POMPONII MELAE

DE

SITU ORBIS

LIBRI TRES.

POMPONII MELAE

DE

SITU ORBIS

LIBRI TRES

AD OPTIMAS EDITIONES COLLATI

PRAEMITTITUR NOTITIA LITERARIA

ACCEDIT INDEX.

RUFI FESTI AVIENI DESCRIPTIO ORBIS TERRAE
ET ORA MARITIMA.

PRISCIANI PERIEGESIS E DIONYSIO.

CLAUDII RUTILII NUMATIANI ITINERARIUM.

VIBIUS SEQUESTER DE FLUMINIBUS,
FONTIBUS, LACUBUS, NEMORIBUS, PALUDIBUS,
MONTIBUS, GENTIBUS,
QUORUM APUD POETAS MENTIO FIT.

ARGENTORATI
EX TYPOGRAPHIA SOCIETATIS BIPONTINAE
MDCCCIX.

NOTITIA LITERARIA
DE
POMPONIO MELA

ex Car. Henr. Tzschuckii V. C. Dissertatione de Pomp. Mela eiusque libro.

I. *De Melae natalibus.*

POMPONIUS MELA et de gente, et de patria, et de tempore quo vixit, multas excitavit doctorum virorum disputationes; nec, cum vetusti auctores de eo nihil scriptum reliquerint, ultra coniecturas, et ea, quae ex ipsius libro collatis indiciis efficiuntur, progredi licet. Nomen *Pomponianam* gentem praefert: quae cum clara et equestri splendore ornata fuerit,[1] eandem et Nostro tribuunt dignitatem, adoptionis legibus vel ipsi, vel maioribus tributam, ita ut ex Hispanica origine ad Romanae civitatis iura transierit. Sunt, qui Annaeorum genti adscribant, et vel Marci Annaei Senecae rhetoris filium, vel ex Luc. Annaeo Seneca, philosopho celeberrimo, nepotem faciant.[2] Qui priorem sententiam amplectuntur, admini-

1 Vid. Corn. Nepos in vita Attici cap. 1. et Patinus de familiis Rom. p. 223.

2 Conf. Hager. Geogr. Büchersaal Tom. II. p. 484 seq. Dietz in praef. ad interpretationem Germanicam Melae p. 18.

cula quaerunt ex libris M. A. Senecae rhetoris, decem controversiarum libris celebrati, quippe qui reliquit tres filios, *M. Annaeum Novatum*, *L. Annaeum Senecam*, praeclarum illum Senecam, et *L. Annaeum Melam*, quorum etiam nominibus librum I. et V. controversiarum inscriptum esse constat.[1] Nec, si temporis rationem ineamus, huic sententiae inesse videtur, quod adversetur et repugnet. Notum est enim, Senecam philosophum puerum Romam deductum fuisse a. U. C. 772. annos fortasse, quod sumere, hac data aetate, liceat, circiter X. natum, ex quo fratri minori VIII. annorum aetas tribui potest. Cum vero Imperator Claudius de domita Britannia triumphum egerit a. U. C. 797. attigit tunc Noster annum aetatis XXX. eoque librum suum conscripsit,[2] et, si a. U. C. 820. ipse se trucidavit, [3] vixit annos L.

At, ne quid dissimulem, sunt tamen alia, quae huic sententiae refragentur. Nec enim dicendi forma et ratio Annaeae gentis orationem et instituta refert, nec, si quis leve hoc argumentum in diversis fratrum naturis, sensibus et ingeniis existimet, cum frater [4] in exsilium a Claudio missus apocolocyntosin effudisset, laudasse hic videatur illum imperatorem, [5] ut taceam, non *Melam* a

1 Conf. Opsopoeus ad lib. I. init. et inprimis Lipsius in Vita Senecae descripta c. 2.

2 Unde orationis vigor, verborum ornatus, et rerum descriptarum colores facilius intelliguntur.

3 Vid. Tacitus Annal. XVI. 17.

4 Attigit Kappius in praefatione; infringere studuit Hager l. c. p. 300.

5 Nempe Seneca primo imperii anno in exsilium a Claudio missus est: expeditio Britannica, quam cum laude eius commemorat Noster III. 6. suscepta est an. tertio.

Tacito produci, sed *Mellam*, quae forma etsi etiam in priscis libris de Nostro reperiatur, scribendi potius vitium videtur, vel quod Mellaria ortum eum crederent.[1]

Gravissimam vero dubitationem obiicere videtur nomen Pomponii, omisso Annaei. Si enim, quod de maximo natu fratre legitur, et hic adoptionis iure in aliam gentem, Pomponiam, migravit, eius tamen legibus et institutis Annaei certe nomen non abiicere, sed novae familiae inferre debebat. Quod factum esse cum nusquam reperiatur, et historia plane hanc coniecturam destituat, sed Mellae nomen in bonis libris obvium a Nostro Mela potius avocet, vaga illa esse, quivis intelliget.

At nullo fundamento altera sententia nititur, licet id ponat Fabricius,[2] et Hagerus[3] non solum

1 Non enim solum plurimi codices, sed et editiones ante sec. XV. et initio XVI. praeferunt *Mella*, et sic Ptolemaeus Romae 1508. f. in cuius editione multa ex Nostro repetuntur, exhibet *Mella*, ut Boccatius de genealogiis IX. 33. X. 1[illegible] passim, etsi etiam *Mela* legitur. Nempe *τὸ l* geminare solent librarii in multis nominibus, ut exemplis adpositis docet Cannegieter. ad Aviani fab. X. 9. *Melam* tamen hac forma protulerunt olim etiam alii, qui eius mentionem iniecerunt, ut Freculphus Chron. Tom. I. lib. 2. c. 16. ubi locum eius ex lib. III. 6. de Scanza (sic) sistit, et de XXX. Orcadibus ex proxima narratione Scholiastes Iuvenalis ad II. 160. Melam etiam sic agnovit Hermolaus Barbarus, et post recentiores omnes, secuti Plinium in Ind. auctorum libri III. Quod si vero a Mellaria patria nomen sortitus esset, non *Mella* appellandus erat, sed *Mellarius*, ut recte monet praeter alios, grammatica lege ductus, Vadianus, quidquid contra moliatur Nunnesius.

2 In Bibl. Lat. Tom. II. p. 475. At recte id submovit Ernesti, qui fratrem illius facit.

3 L. c. His vero momentis impulsus ad opinionem de Senecae filio propendet: Senecae fuerunt Hispani, Mela item; illi ex Baetica orti, hic etiam; Seneca rhe-

recte id et probabiliter stare posse affirmet. Quae enim in hanc rationem disputantur, nihil ea evincere arbitror, cum historia nihil eiusmodi adferat, immo Seneca philosophus [1] Marcum filium unice inducat. Porro si Seneca pater, triumphante Claudio, [2] annum circiter XXX. demum agebat, tunc filius X. fere annos natus esse poterat, in quam aetatem non cadunt libri et rebus impediti et scribendi forma graves. Quae denique de morte Mellae apud Tacitum et Plinium [3] narrantur, licet discrepent aliquantum, si ad unum referas, nec emendationibus succurras, [4] ad illum Melam, vel Mellam pertinent, de quo primo loco est expositum.

Ex Pomponia gente celeberrima eius originem derivandam censet Müllerus, [5] quod tamen hinc refutat Hagerus, [6] quod Mela ipse se non Romanum, sed Hispanum referat, et Pomponia gens a Pompone, [7] Numae regis filio, ducatur; in quo quidem, quid ferrent adoptionis leges, [8] parum curasse videtur. Praestat igitur in re incerta et in varias partes agitata ignorantiam fateri, quam dubio pede huc illuc vagari.

tor filium habuit nomine Melam, cur non et philosophus; potest a patruele, Annaeo Mela, adoptatus esse.

1 In Consolat. ad Helviam c. 16. f.

2 Conf. superior ratio et computatio.

3 Tacit. l. c. Plin. XIX. 33. s. 6.

4 Ut suadet Hagerus Tom. II. c. l.

5 Einleitung -- der alten Lat. Schriftsteller Tom. V. p. 417.

6 Pag. 490. c. l.

7 Vid. Plut. in Numa. c. 21.

8 Conf. Sigonius de nominibus Romanor. Opp. Vol. VI. pag. 40. Harduinus in Opp. sel. pag. 691. praeter alios.

II. *De Melae patria.*

Aliam disputationem illa quidem aliquanto graviorem et impeditiorem movit quaestio de Melae patria. Licet enim ipse mentionem eius faciat,[1] tot tamen tantisque et lectionum varietatibus et opinionum concursibus ille locus iactatur, ut, ubi consistere possis, vix reperias. Quam enim quisque lectionem sustinendam putat, eam etiam ad Melae natale solum accommodat, ita ut ab aliis praeferatur *Tingentera*,[2] alii iidemque maiori numero malint *Mellariam.*[3] Aliis placet *Tartessus*,[4] quam post *Carteiam* dixerunt, nunc *Algeziram. Tariffenses* hodie, notante Olivario,[5] civem suum iactant. Nempe *Tariffa* olim *Belo* dicta est. Plerique in *Tingi* haerent, etsi vario modo eam urbem designant. Sic aliis[6] simpliciter est *Tingi*, h. *Tanger*, aliis[7] *Tingi Ibera*, vel *Tingi altera*[8] s. *Cetra-*

1 Lib. II. 6. f.

2 Vid. ad l. c. not. crit. ubi et aliorum diversas sententias habebis expositas.

3 Sic statuit Cod. Lips. auctor in margine, etsi in ipso contextu legitur *Mellana*, quod et ostendunt alii Codices. Post plures alii eandem opinionem foverunt, in quibus Hermolaus, Vadianus, Pintianus, Nunnesius, Vurstisius, Casaubonus ad Strab. lib. III. p. 96. (ubi leg. censet *Tingi e regione sita Mellaria*) Vasconcellus ad Resendii antiquit. Lusitan. lib. V. pag. 10. Ambrosius Moralis IX. 6. Io. Mariana IV. 2. Ioan. Vasaeus in Chron. Hispan. s. a. Christi 44. Brietius in parallelis Geogr. P. I. lib. 1. c. 3. Hager p. 497. c. l. ubi de situ disquirit, alii.

4 Uti Schotto, Sanctio, Clementi in specimine bibl. Hispan. Maians. p. 13. quippe qui II. 6. f. legendum censet: *atque inde nos sumus.*

5 In praefat. ad Melam.

6 Conf. Belley in Memoires de Paris Tom. XXXVIII. p. 116.

7 Sic Nic. Anton. in bibl. Hisp. vet. Tom. I. lib. 1. c. 11. p. 50.

8 De Tingi altera vid. Salmas. c. 27. s. 24. p. m. 204. Bochart. in Chanaan I. 24. qui eandem faciunt Iuliam Iozam Strabonis c. l. Iuliam Traductam Prideaux ad marmora Oxon. n. 57. p. 190. ed. a. 1676. Mazochius ad tab. Heracl.

ria, quam eandem putant *Iuliam Traductam*, *Iuliam Iozam*. Sententiam alii cohibent,[1] nec liquere pronuntiant.

Etsi difficile est lites illas componere, natalique Melae urbi suum nomen adserere, loco tamen isto attente considerato, pressiusque librorum vestigia secutus, eam opinionem propius ad verum collineare existimo, quae *Tingenteram*, vel *Cingenteram* praeferat. Illa enim lectio non solum ex Codicum scriptura facile eruitur, sed et olim in priscis editionibus adnexa syllaba *tum* stetit, donec Hermolaus Barbarus primum inverteret, et, ut Melam Mellariae alumnum, nominis forte sono adlectus, reddere posset, inde *cingente freto* effingeret, quod in alios deinceps libros migravit. Ita vero, si lectionem illam, *atque unde nos sumus*, teneas, urbis nomen, quod desideratur, optime subiicitur, Nostroque usitata orationis forma redditur, quam in simili nexu sequi solet. Saepe enim ille eodem modo dicit, *atque unde*, ut nomen regionis, urbis et loci sententiam[2] claudat. Quam facile autem adhaerere potuerit *tum* voci *Tingentera*, vel *Cingentera*, nemo est, quin intelligat, in primis si lectionis usu edoctus cogitaverit, quam lubenter Mela in progressione cursus ad nova loca commemoranda variandi causa particulis *post*, *exin*, *inde*, *dein*, *deinde*, *tum* uti so-

Tom. I. p. 66. Tom. II. p. 544. quae est Caetraria Vossii, qui Caetrariensem natione, genere Poenum facit.

1 Sic Gonzalez de Salas in noticia tercera ad calcem interpret. Hisp. Hamberger c. l.

2 Conf. I. 8. p. 14. I. 19. p. 30. II. 2. p. 40. l. 15. II. 3. p. 43. l. 7. II. 5. p. 52. l. 13. etc.

leat. Licet vero obscurum et humilem locum, sive *Tingenterae*, sive *Cingenterae* nomen gesserit, quivis facile largiatur adversantibus, non tamen, si reliqua apto ordine et nexu stent colligata, id impedit, quo minus patriam facta eius mentione gratus praedicaverit, et apud posteros quasi nobilitaverit.

III. *De aetate Melae.*

Hinc vero clarior lux effulget et luculentiora signa apparent ab ipso Mela expressa, ex quibus non tam coniectura fieri, quam iudicio certo evinci potest, quo tempore ille vixerit. Quod enim in descriptionibus regionum et urbium saepe usu venire solet, ut, si temporum comparationem ingrediamur, multa immutata, aut novata deprehendamus, id in Mela etiam certissimis indiciis comprobatum intelligemus. Cum igitur *Solorum* mentionem iniicit ita, ut *Pompeiopolis* nomen sua aetate gessisse affirmet,[1] ante Pompeium certe vixisse non potuit, quo assignante nominis illa mutatio demum innotuit. Eadem fere tempora attingit aetas Cornelii Nepotis, cuius auctoritatem et fidem laudat.[2] Commemoratur porro *Iol*,[3] quam suo tempore *Caesaream* vocitatam scribit, unde quidam Iulii Caesaris aetate vixisse existimarunt;[4] minus tamen recte, cum novum illud nomen spectet potius Augustum, cuius

1 I. 13.
2 III. 5. et 9.
3 I. 5.
4 Sic Vossius de Hist. Lat. III. 1. Crenius in Animadv. pag. 19. omninoque Cocleus in epistola dedicatoria, Gonzalez, interpres Hispanus.

liberalitate in regnum restitutus erat Iuba.[1] Tum adiecta verba, *quia Iubae regia fuit*. posteriora Iulio Caesare vel etiam ipso Augusto tempora indicant. Accedit alia notatio in statuendo ad Anconam Gallicarum Italicarumque gentium termino, qui olim fuit Aesis, post Rubico Caesaris aetate, ut ex eius rebus in bello civili gestis apparet.[2] Augusti aetatem spectant porro *turris Augusti titulo memorabilis*[3] in Hispania, *tres arae*[4] in eadem, *quas Sestianas* vocarunt, *Augusti nomine sacrae*. nomen ibidem urbis *Caesaraugusta*.[5] quam illo tempore conditam fuisse affirmat Strabo,[6] *Augusta* in Treveris,[7] etsi, quod putat Petrus de Marca,[8] inde minime consequitur, sub Augusto Melam floruisse. Alii alia signa ad Tiberii tempora transferunt. Ita cum quidam olim tradiderint, teste Eustathio,[9] *Typhonem* mutato nomine a Tiberio *Orontem* appellatum fuisse, qualem producit Noster,[10] eum etiam ultra Augusti aetatem annis provectum fuisse; quod tamen male refutat Ballu,[11] dum Melam multis ante natum Tiberium annis vixisse putat, itemque Schottus,[12] quia Mela Tiberii aequalis nihil de eo attingat, quod tamen eum facturum fuisse verisimile sit ex nar-

1 Ut docet Strabo lib. XVII. p. 571. s. 831.

2 Conf. Cellarius in Geograph. ant. II. 9. 35.

3 III. 1. p. 66.

4 III. 1. p. 67.

5 II. 6. p. 55.

6 Lib. III. p. 104. s. 151.

7 III. 2. p. 69.

8 In Marca Hisp. I. 4. 3. qui tamen simpliciter hoc et ad viam quasi notat.

9 Ad Dionys. v. 919.

10 I. 12. extr.

11 Ad Oppiani Cyneget. II. 116. p. 279.

12 Ad Melam c. I.

ratione de Britannia. Nec magis probari potest, quod scribit Ciacconius,[1] multa Strabonem de India ex Nostro ad verbum fere repetiisse, cum contra aliis indiciis evinci possit, Strabone mortuo Melam vixisse. Sic, ut aliqua adferam, quam urbem Strabo[2] Κρούνους vocat, in Nostro[3] dicitur *Dionysopolis*. Quae Melae tempore interciderat *Bizone*.[4] Strabo terrae motu conquassatam quidem fuisse et absorptam, non tamen penitus exstinctam refert.

Longe autem certissimum aetatis indicium exstat in eo loco,[5] ubi triumphi meminit, quem acturus sit de Britannia tunc demum aperta Principum maximus. Quod etsi quidam, ut Vossius, Crenius, ad Iulium Caesarem referunt, probari tamen nequit. Hic enim expeditione suscepta Britanniam attigit potius, quam aperuit, nec de ea unquam triumphavit, quod rectius tribuitur Claudio, quippe de quo disertis id verbis narrat Suetonius.[6] Immo ipse Mela satis clare priorem expeditionem indicat verbis: *mox certiora magis et explorata dicentur*. Quod vero Claudium *principum maximum* vocat, nil mirum esse debet ex illius temporis more, quo magnifica quaevis de imperatoribus praedicabant, et effusis adulationibus omnia in maius augebant. Cum vero Claudius illam expeditionem susceperit imperii anno 3. a. U. C. 796. coniectura haud incerta fieri potest de

1 Ad Melam III. 7.
2 Lib. VII. p. m. 436.
3 II. 2. p. 40.
4 l. c.
5 III. 6.
6 In vita c. 17.

tempore, quo Mela hunc librum conscripsit. Recte igitur primus Vadianus, quod notavit Antonius,[1] Claudii aequalem fuisse Melam contendit, quem et secuti postea sunt Vinetus, Vossius, alii. Ad Claudii imperium ducunt etiam narrationes de abolitis Druidarum sacrificiis,[2] et de phoenice,[3] qui Claudii tempore apparuit Romamque deportatus est, unde insolentiores etiam digressiones in hac libelli brevitate intelligi possunt. Nec obstat, quod Orcades memorat,[4] quas ante Vespasianum et Titum incognitas fuisse tradit Tacitus,[5] cum alii contra imperio Rom. Claudium adiecisse affirmant. Male igitur aliquis ad Flaviorum tempora aetatem Melae proferat. Gravius aliquanto aberravit a vero auctor editionis Saling. a. 1538. in praefatione, qui Melam Ptolemaei facit aequalem, quia vixerit ante Plinium et Solinum, nec constare putat principem illum, qui Britanniam fuerit adortus. Quam vero diu vixerit, et an quinque imperatorum aetatem inde ab Augusto ad Neronem viderit, uti Müllerus existimat,[6] parum liquet, cum nec ad coniecturam detur locus.

IV. *De libro Melae eiusque argumento.*

Inclaruit Mela libro quamvis brevi, elegantissimo tamen et utilissimo, in quo orbis decriptionem Latinorum auctorum primus proposuit. Titulus, quem praeferunt codices et editiones, ma-

1 In Bibl. Hisp. vet. Tom. I. lib. I. c. II. p. 50.
2 Lib. III. 2. p. 68.
3 Lib. III. 8. p. 84.
4 Lib. III. 6. p. 77.
5 In Agricola c. 10.
6 Pag. 421. c. l.

xime quidem variat, sed, si rem spectes, ad idem fere redit. Modo enim legitur *Geographia*, modo *Chorographia*, uti etiam adnotatum est a viris doctis. Illa quidem hic sensu latiori intelligitur, cum etiam mathematica requirat; haec minus recte apponitur, quoniam Noster non orbis terrarum partem, sed totum complexus est, et duo illa verba differunt, ut pars a toto, ex sententia etiam veterum.[1] Alii codices in fronte praeferunt inscriptionem *de situ orbis*. Sic et in editis libris maxime olim variatum est, quippe quibus praeponitur *Cosmographia*, *Geographia*, *descriptio situs orbis*, vel *de situ orbis libri tres*, in quo titulo inde a longo tempore consenserunt editores. Quae quidem varietas satis declarat, librarios manus admovisse, et, concepta libri imagine, utcunque libuisset, titulum adiecisse, quem ex Graeca inprimis lingua petitum doctiorem putassent; nisi velis, Graeco verbo a Mela Latinum subiectum fuisse, quod tamen in hac etiam varietate minus credibile videtur.

Ipse *de orbis situ* se dicturum in aditu operis affirmat, quae et causa videtur, cur a plerisque haec inscriptio probata fuerit et recepta.

Librum autem integrum et immutilato corpore ad nostram aetatem pervenisse, et exordium finisque et ipsa narrationis series videtur docere, etsi sunt, qui aliter statuant.[2] At, quod dolen-

1 Vid. Ptolem. lib. I. init.

2 Sic Pintianus ad Melam I. 8. non opus integrum, sed eius tantum fragmentum ad nostra tempora descendisse putat, idemque ad I. 9. vix umbram eius ad nos pervenisse credit. Certe Servius ad Virg. Aen. IX. 31. ex Mela de Gange III. 7. adfert aliqua, quae libri nostri ignorant. Sic nostra

dum est, ita a saevis imperitorum et barbarorum librariorum manibus vexatus est, ut misere disiectus distortusque in populorum maxime et locorum nominibus ultimam cladem effugeret. An praeterea maius opus aut scripserit vere, aut commentatus sit, [1] quaesitum est et disputatum a viris doctis, cui causam dederunt verba in praefatione posita: *Dicam autem alias plura et exactius*, quae tamen commode ad uberiorem explicationem eorum referri possunt, de quibus strictim breviterque in prioribus quatuor capitibus dixerat.

Qualem autem librum hunc hodie habemus, ita in regionum et locorum descriptionibus institutus est et compositus, ut aptam rerum seriem iustumque ordinem vix, aut raro desideres. Cum enim primo summam totius praecipuasque terrarum orbis partes paucis complexus attigit, inde a Mauretania egressus circumvectusque maritimo cursu singulas regiones, litora earum legens, potiora loca interius exteriusque sita, adspersis passim iis, quae in ipsis incolisque memorabilia essent, persequitur, donec eo, unde cursum instituerat, revertitur. Cum enim, ut ipsa libri expositio docet, in animum induxisset, insigniora tantum loca stringere, quare etiam multa aliis memorata praeteriit, et nosset, maritima loca et frequentiora semper fuisse et magis exculta, hoc cur-

aetate Bæhrens in Anzeige der Gr. und Lat. Schriftsteller p. 220. et Eschenburg in Handbuch der klassischen Literatur p. m. 246.

1 Vid. ad praef. p. 9. seqq. Sic *alias* de maiori opere intelligit Andres dell' origine, progressi - d'ogni letteratura (1787.) Tom. III. p. 424.

su uti, et, ut litora procurrunt, quaecunque attigisset, ea etiam calamo sequi et notare maluit. Duobus igitur libris prioribus oram interni maris utpote frequentiorem et celebriorem describit, tertium iis regionibus tribuit, quos cingit Oceanus.

Ut autem summa totius libri, et quas complectitur terrae partes, in uno conspectu positae, appareant, hunc ordinem tenuit Mela: In libro I. facta terrae partitione partiumque brevi descriptione, a *Mauretania* orditur, ultima maritimae Africae in occasum et fretum Gaditanum regione. Inde in ortum Asiam versus egressus *Numidiam*, *Africam* proprie sic dictam, *Cyrenaicam*, *Aegyptum*, *Arabiam*, *Syriam*, *Phoenicen*, *Ciliciam*, *Pamphyliam*, *Lyciam*, *Cariam*, *Ioniam*, *Aeolida*, *Bithyniam*, *Paphlagoniam*, et quae inde prope Pontum, Bosporum Cimmerium et paludem Maeotida expositae sunt regiones et gentes ad Rhipaeos usque montes, qui Asiae terminum statuunt, prosequitur.

Libro II. inde digressus ripam Tanais et oram Maeoticae paludis Europaeam, et qui eam occupant, *Scythas Europaeos* perstringit, altero latere a Taurica Chersoneso Euxini litus ad Byzantium usque pervectus, ubi Thracia obversatur, quam excipiunt deinceps instituti cursus serie *Macedonia*, *Thessalia*, *Hellas*, *Peloponnesus*, *Epirus* et *Illyricum*. Subsequuntur gemina Italiae litora, *Gallia Narbonensis* et Hispaniae litus ad fretum usque, unde coeperat. Hinc ad Tanais ostia iterato cursu reversus insulas in interno mari sitas recenset.

Libro III. internum mare egressus oram Hispaniae occiduam et septemtrionalem persequitur, quatenus Oceano attinguntur. Hinc *Galliarum* ad Oceanum, *Germaniae*, *Sarmatiaeque* tractum in *Scythica* usque *litora marisque Caspii* in terras ingredientis fauces describit, gentibusque aliquot enumeratis Oceanique insulis per Eoa litora *Indiae* ad Gangis ostia vertitur. Cuius maritimo tractu lustrato per *Carmaniam*, *Persas*, *Arabas*, quatenus oras habitant, in interiora Africae loca exspatiatur. Sic prope omnibus, quae innotuerant, expositis, in occidentalem Libyae oram versus Aethiopas Hesperios progreditur, tandemque, unde coeperat, in *Mauretania* ad *Ampelusiam* promontorium subsistit.

Ex quo satis apparet, maiori studio et prolixiori narratione oram interni maris eum descripsisse, ut hominibus et rebus illustriorem; unum eumque tertium librum externis regionibus dedisse.

Opus illud ipsum iam olim antiquissimae editiones cum codicibus in tres libros divisum exhibebant, quorum primus sine numero tamen capitum segmentis factis inscriptisque tres orbis terrarum partes indicat, cum Asiae et Africae particulari descriptione, reliqua dispertitis tantum libris separatisque paulum regionibus uno fere tenore ad finem usque procedunt. Hinc posteriores capita numerarunt, praefixis potiorum regionum titulis, plura modo, modo pauciora: quae variatio satis declarat, librariorum illa et editorum in-

genio esse invecta,[1] ut taceam, aliqua verba aetatem Melae nondum tulisse, in quibus sunt *particularis*, *mediterraneum* [2] *mare*, quod Romani appellare solent *Nostrum mare*, vel omnino *internum*: Hinc vero factum est, ut editores capitum numero inter se discreparent, pauciora alii, alii plura designarent.[3]

An ipsum librum Romae scripserit, ut putat Vossius,[4] quod circa Tiberim in eo latere loca persequatur, quorum situs aliter constare nequeat, non est quidem a vero alienum, etsi certi aliquid statui nequit.

V. *De praecipuis libri vitiis et virtutibus.*

Cum in tam vasto terrarum orbe non labi paene monstri simile sit, uti recte pronuntiat Resendius,[5] inprimis si cogitemus, quam parum ille veteribus fuerit exploratus, nec singulas regiones et loca ab ipso Geographo adiri et perlustrari posse, quam porro difficile fuerit in ea, quae tunc fuit, librorum penuria et caritate, aliorum narrationes et descriptiones conquirere et percipere, nemini

1 Sic recte iudicat Schottus ad I. 1. init. Vossius tamen ad III. 10. init. capitum divisiones et inscriptiones ad remotiora tempora et ad ipsum Melam videtur reiicere, quod ibi in titulo fuerit scriptum: *Atlas et Atlanticum pelagus*, quare non opus fuerit, vocabulum *Atlantis* repetere.

2 *Mediterraneus* per se quidem vox est proba et passim obvia, at in hoc nexu apud posteriores demum occurrit, veluti Isidor. Orig. XIII. 16. Sic *Pontus mediterraneus* legitur in inscriptione apud Murator. Inscript. 695. 1.

3 Recentiores fere libri primi faciunt capita XIX. Reinoldius etiam XXII. cum antiquiores habeant tantum VI. vel etiam plura XX. et XXI. Idem observatur in reliquis libris.

4 Ad II. 4.

5 In antiqq. Lusit. lib. I. p. 10.

mirum videri poterit, si Mela, nimis illorum auctoritate confisus, vel incuriose rerum expositarum delectu habito, a vero in multis aberraverit. Cuius quidem culpa cum in illos auctores maximam partem transferri possit, tum ipse solus reprehendi debet, si parum certam et constitutam rationem in hoc argumento tractando sequitur, nec, quae professus est, ipsa re praestat.

In quo primum hoc notandum videtur, quod cum fingat maritimum cursum, non tamen eum semper tenere, sed subinde consistere, egressumque navi et exspatiatum vicinas terras obiisse et invisisse, cuius vel unum exemplum in Graeciae descriptione [1] commemorasse sufficiat, ut ex urbibus praeteream *Pellam* [2] aliasque plures. Si tamen hoc vitium, leve illud sit et excusabile, cum ad certum ordinem tenendum seriemque rerum persequendam expeditior illa via pateat, nec, qui navibus vehuntur, ubi memorabilia se in vicinis terris deprehensuros esse noverint, ab earum aditu et investigatione exclusi sint. Attamen inde gravius oboritur, quod, cum ita instituisset, a suo ipse consilio descivit, et, cum clarissima quaeque se strictim dicturum esse affirmasset, [3] multa tamen loca praeteriit, quae propter celebritatem indicare recte poterat, aut potius debebat, in quibus sunt *Cannae*, *Munda*, *Ecbatana*, *Hierosolyma*, *Pharsalus*, *Persepolis*, *Leuctra*, *Mantinea*, *Stagira*, quod nomen pro *turri Calarnaea*, satis

1 Lib. II. 3.

2 Lib. II. 3. init.

3 In Praefatione.

ignobili, reponebat Pintianus,[1] et in textum recepit Schottus. Sic *Nicopolim*[2] desiderat Ciacconius, miraturque neglectam, ut *Caietam.*[3] Sic celebres fontes silet, ut *Aganippen*, *Castalium*, *Hippocrenen*, cum obscuriores etiam commemoret, quod idem fecit in locis et fluminibus. *Scandile* humilis et tenuis insula inseritur, quare eum etiam notat Vossius,[4] deest *Pactolus*, ex montibus *Helicon*, *Tmolus*, alii. Alia tamen videtur caute silentio praeteriisse, quod gravioris calamitatis memoriam in Romanis excitare nollet, ut *Carras*, *Cannas*, *Trebiam* fl. *Trasimenum* lacum. Ne tamen ultra modum proferatur illa reprehensio, notandus est mos auctoris, quo multa loca tecte indicat sub regionibus cognominibus, ut *Antiochiam*,[5] *Smyrnam*,[6] *Damascum*,[7] urbesque alias plures. Cum *Helvetii* absunt, Gallis eos complexus est, ut *Peucetios* Calabris, tanquam synonymos, ut putat Mazochius.[8]

Verum enim vero, unde multa melius intelligi et lenius iudicari possunt, non tam suae aetatis geographiam exhibuit, sed ultra Alexandrum M. et Philippum descendit, adeoque antiquiora illis passim captat, et, quae olim fuerit locorum facies, qui fuerint incolae eorumque mores, commemorat. Hinc in recensum producit *Styra*, *Lycastum*, *Olynthum*, *Marathon*, alia, uti solent, qui

1 Lib. II. 2. p. 42.
2 Ad II. 3. p. 47.
3 Ad II. 4. p. 51.
4 Ad II. 7. p. 59.
5 Lib. I. 12. extr.
6 Lib. I. 17. extr. ubi conf. Vossius, passimque Iac. Gronovius.
7 Lib. I. 11. pr.
8 Ad tab. Heracl. P. II. p. 544.

aliorum fidei sua debent, nec omnia ipsi tentarunt et explorarunt.[1] Hinc quae ex Herodoto transtulit, etiam tunc ipsius tempore strident *Troglodytae*,[2] nudi sunt *Gamphasantes*,[3] armorumque omnium ignari, in *Arethusa* fonte spectantur iacta in Alpheum,[4] *India*que alit formicas non minus maximas canibus.[5] Sic *Phaeaces* et *Pyraeos*[6] in pristinas sedes reducit, aliosque, qui olim viguerant.

Porro antiqua nomina retinet, ubi nova successerant, cuius exempla subministrant *Myrlea*, *Cios*, *Sesamus*, *Potidaea*; alia contra, duobus nominibus deceptus, tanquam diversa adfert, quo nomine notatur de *Borysthenide* et *Olbia*,[7] de *Cruno* et *Dionysopoli*,[8] etsi in eo ab aliis defenditur.

Praepostero alia ordine recenset, ut *Lyciam* et *Pamphyliam*,[9] *Arabicum mare* et *Persicum*,[10] *Hyrcanos* et *Cadusios*,[11] *Achaiam* et *Elida*,[12] *Calatin* et *Tomos*.[13] Idem in singulorum situ observatur, vel in disceptationem venit, de *Beryto*,[14] *Azoto*,[15] *Cossentia*.[16] Sui oblitus fuisse videtur, cum *Leucada*,[17] oppidum Leucadiae, in Acarnania recenset,

1 Vid. Dodwell. in dissert. de Scylace §. 15. p. 59. de Marciano §. 4. p. 148. sq. in Hudsoni Geogr. min. Vol. I. Vossius ad Melam I. 11. extr.

2 Lib. I. 8. p. 15.

3 Ibid.

4 Lib. II. 7. p. 61.

5 Lib. III. 5. p. 79. Conf. Iac. Gronov. in Geogr. ant. p. 58.

6 Lib. II. 3. p. 48.

7 Lib. II. 1. p. 36.

8 Lib. II. 2. p. 40.

9 Lib. I. 2. p. 7.

10 Ibid. p. 5.

11 Ibid. p. 7.

12 Lib. II. 3. p. 44.

13 Lib. II. 2. p. 40.

14 Lib. I. 12. fin. ubi conf. Perizonius, idemque ad I. 2.

15 Lib. I. 10.

16 Lib. II. 4. p. 50.

17 Lib. II. 3. p. 47. et II. 7. p. 60.

cum postea Leucadiam ipsam insulis seorsum adnumeret.

Confusiones tamen aliquas in locorum situ notando intulisse videntur librarii, qui male multa disiecerunt, nomina etiam ita deformarunt, ut vera scriptura vix erui possit, aut etiam depravatae lectiones ab editoribus quibusdam receptae. Hinc Cluverius [1] non recte Nostrum in *Senogalliae* situ erroris incusat, quem non admisit. Glossas vero in textum irrepsisse, satis aperte aliqua loca manifestant. Sic temere in multis libris obtruditur *scilicet*, [2] et alibi *pecorum*, [3] narratio etiam de *Antandri* nomine, [4] quod videtur, integra. Sed haec non proxime pertinent ad geographicam descriptionem, quae hic inprimis spectatur. Quantas tamen clades et iniurias tulerit etiam in ea, quantaque librariorum commenta acceperit, luculenter et ad fastidium usque docere possunt notae criticae: ex quibus apparet, si quis alius, Melam misere iactatum fuisse et vexatum. Exempla eiusmodi multa notavit passim cum aliis Pintianus, plura etiam largiori copia congessit, ut *Murranos* et *Vegetos* in ora maris interni, in Gallia *Elusaberrim*, in Thracia *Tritonicen*, in Scythia *Terrestriam*, *Sexolitas*, in Lesbo *Ciravam*, in Oceano semptemtrionali *Satmalos*, quorum monstrorum numerus facile magno cumulo augeri possit, etsi post pleraque ad probabilem et veriorem formam revocata sunt.

1 In praefat. ad German. antiq.

2 Lib. I. 9. p. 18. l. 28. post *illis*.

3 Lib. II. 1. p. 37. l. 17. inter *illa* et *durant*.

4 Lib. I. 18. p. 27.

Ubi tamen vere aperteque in statuendo ordine erravit, ita eum excusandum putant, in quibus Ciacconius, quod ornatum orationis nominum confusa citatione impedire noluerit, etsi parum id valet ad excusandam ordinis negligentiam in opere maxime geographico, cuius haec praecipua virtus existimatur. Videtur id ipse Mela sensisse, et errorum in eo admissorum gratiam praeoccupare voluisse, dum de *perplexo satis locorum ordine* lectores in praefatione monet, et alibi [1] Tenedum aliasque insulas, eo quo dicturus sit ordine, ad Tauri montis promontorium expositas esse, affirmat, cum tamen omnino se litora ordine, quo iaceant, stricturum esse, profiteatur. [2]

Sed progrediendum nunc est ad libri virtutes, quae non compensant solum vitia, sed et longe superant, alia, quae adspersa reperiuntur, si non plane eluunt, at certe levant.

Si enim prima lex est eorum librorum, in quibus res historicae aut geographicae traduntur, ut vera adferant, et fabulosa falsaque a certis et indubiis, diligenter et quatenus licet, separent, non privandus esse sua laude videtur Pomponius. Licet enim regiones et maria adire ipse omnia non potuerit, vel, ut Strabo, plurima perlustraverit, quippe cuius peregrinationis aut nulla exstant, aut saltem incerta [3] vestigia, adhibuit tamen gra-

1 Lib. II. 7. p. 57.

2 Lib. I. 4. extr.

3 Adsunt enim in hanc suspicionem virorum quorundam doctorum coniecturae, quas petunt ex illustrioribus locorum descriptionibus, veluti *antri Corycii*, *Garumnae*, de quibus conf. I. 13. et III. 2. Ita iudicat Beckmann. ad Aristot. de mir. auscult. c. 91.

vissimos, quos nactus erat, auctores, atque ex iis conquisivit, quae prodesse sibi crederet. In quibus ipse nominatim producit *Homerum*,[1] *Hannonem*,[2] *Hipparchum*,[3] *Cornelium Nepotem*;[4] alios vel silentio praeterit, forte ne in disertam quaestionem raperetur brevis descriptio, aut locorum series crebra auctorum iactatione interpellaretur; vel in universum omninoque tantum ostendit, ut *Graecos*, quibus et *Romanos* addit,[5] aut sic dicere solet: *ita veteres tradidere*,[6] *praeter physicos Homerus*,[7] *ut doctioribus placet*,[8] *auctores, quos sequi non pigeat*,[9] *ut experti tradidere*,[10] *ut fabulis traditur.*[11] Passim etiam his formulis innuit: *ut quidam putant*,[12] *ut alii aiunt*,[13] *ut dictitant*,[14] *ut ferunt*,[15] *accepimus*,[16] *dicuntur*,[17] *memorantur*,[18] et similibus, ex quibus aliquae dubitationem, vel fabulosam narrationem indicant.

Neque uno duce semper contentus alios etiam

p. 187. de Salsulis II. 5. ut antea Vossius, hic et omnino de Gallia. Tum vero etiam Idam ascendit, Araxen tentavit.

1 I. 9. p. 19. II. 7. p. 58. III. 5. p. 74. Ex Homero etiam II. 3. quae sola novit oppida et pauci praeterea commemorant, *Cynon* et *Calliaron* petiisse videtur.

2 III. 9. p. 85. seq.

3 III. 7. p. 81.

4 III. 5. p. 75. III. 9. p. 85. Praeterea narrationem de Britanniae indole III. 6. ex Nepote repetiisse, apparet ex Iornande de reb. Get. c. 2. qui cum eadem habet, diserte Nepotem auctorem allegat.

5 Lib. II. 5. p. 54.

6 Lib. III. 7. p. 81.

7 Lib. III. 5. p. 74.

8 Lib. III. 1. p. 64.

9 Lib. III. 6. p. 78.

10 Lib. I. 13. p. 23.

11 Lib. II. 7. p. 57.

12 Lib. II. 6. p. 56.

13 Lib. I. 9. p. 19. I. 19. p. 30.

14 Lib. II. 2. p. 39.

15 Lib. I. 11. p. 20. et alibi saepius.

16 Lib. I. 2. p. 6. I. 19. p. 29. et alibi.

17 Lib. I. 7. p. 13.

18 Lib. I. 8. p. 15. III. 10. p. 87.

audit et sequitur, illorumque narrationes et monita profert, ne temere et caeco quasi obsequio credidisse videatur, et ut lectores facta comparatione ipsi iudicare resque ipsas exploratius intellectas teneant. Sic ubi de Oceani accessu et recessu paulo prolixius propter rei mirabilem causam, quam pro consilio libri, disserit, varias recenset opiniones,[1] quid de priscis Cariae incolis statuerint diversi auctores, adfert,[2] in Antandri nomen eiusque originem ex aliis inquirit,[3] de terra Oceano circumflua praeter physicos et Homerum Cornelii Nepotis narrationem refert,[4] de Thebis Aegyptiis cum Homero alios producit,[5] de vasto et incognito Africae tractu aliis subiungit Hannonis testimonium.[6] Hinc vero causa intelligitur, cur in recensu regionum diversorum temporum res et facta deinceps posita commemoret, notata etiam locorum intervalla modo passibus, modo stadiis, modo navigationum cursibus designet, nec in aliis quibusdam certum tenorem servet, prout alii alia, vel eadem, vel diversa, vel plura, vel pauciora subministrabant.

Quos vero praeter supra nominatos auctores consuluerit, cum vel ex Pliniano catalogo appareat, quam pauci ad nostra tempora servati sint, difficilius erui possit, nec nisi coniecturis aliorumque indiciis teneri, cum de iis, qui etiam nunc exstant, certius ferri possit iudicium. In quorum quidem numero primus poni debet *Herodotus*.

1 Lib. III. 1.
2 Lib. I. 16. init.
3 Lib. I. 18. p. 27.
4 Lib. III. 5. p. 74. sq.
5 Lib. I. 9. p. 19.
6 Lib. III. 9. p. 86.

quod data opera et instituta multorum locorum comparatione evicit Schottus,[1] licet, ut in aliis, Graeca non semper constanti fide reddiderit. In rebus Gallicis et Britannicis, liberius tamen passim immutatis, multis leviter excerptis, ducem sequitur *Iulium Caesarem;*[2] in Aethiopicis fabulosos quamvis maxime *Megasthenem* et *Deimachum*, quod colligi potest ex iis, quae Strabo refert,[3] si Melam compares.[4] An ipsum Strabonem reddiderit, incertum est, etsi quidam contendunt. Sic Salmasius antri Corycii descriptionem ex Strabone sumtam putavit,[5] refutatus ideo graviter a Vossio; de interiori Thessalia ipsa eius verba interpretatum Casaubonus,[6] quod tamen dubium est, cum eandem, brevem inprimis sententiam, iisdem paene verbis edere auctores diversi possint; in narratione de litore Galliae lapideo et piscibus fossilibus ante oculos habuisse Astruc. Remota sunt etiam alia indicia tenuioribus vestigiis expressa, quibus conspectis viri docti plurium aliorum auctorum gressus praevios sibi deprendisse visi sunt. *Ephorum*, *Hecataeum*, *Hellanicum* ostendit Vossius,[7] ut contra Pintianum ἀγάλματα Herodoti in Melae poculis vindicet. *Ephorum* secutus videtur in Aeolidis finibus statuendis, et

1 Vid. eius geographica et historica Herodoti separatim edita 1581. post etiam adnexa Melae A. Gronovii 1748. p. 330. seqq.

2 Vid. Mela III. 3. et Iul. Caesar de B. G. VI. 21. seq.

3 Lib. II. p. 48. s. 70.

4 III. 10.

5 Ad Solin. c. 38. p. m. 544. Idem etiam omnino putat Hagerus in libro Histor. Bücher-Saal Vol. II. P. 7. p. 501.

6 Vid. ad Strab. lib. IX. p. 296. s. 430. coll. Mela II. 3. a verbis: *Terrae interiores* ad *ferunt*.

7 Ad II. 1. p. 37.

Tibarenorum moribus describendis;[1] *Theagenem* de Cydna,[2] saepius *Artemidorum* reddidisse putat Hermolaus Barbarus;[3] *Eratosthenem* Mannertus,[4] etsi in divisione terrae in tres partes ab illo discedit; *Polybium* in eodem argumento Schottus,[5] dissentiente Nunnesio; *Callimachum* de Hyperboreorum legatione Delphos missa[6] Stephanus;[7] *Diodorum Siculum*[8] in speciosa descriptione orientis solis in Ida Vossius et Wesselingius, quorum tamen ille communem auctorem ferri posse monet; *Apollonium Rhodium* diligenter legisse ex multis narrationibus, ut de Mossynorum regibus,[9] de Dysceladi mentione[10] Vossius; *Metrodorum* in terminatione Philoteris[11] secutum esse Pintianus. Ex *Metrodoro* duxisse videtur narrationem de immanibus ad Rhyndacum anguibus,[12] quod non obscure discitur ex Plinio VIII. 14. qui, dum eandem iisdem verbis exhibet, eius auctoritatem praefert. In quibusdam ita ab aliis auctoribus, quorum vel libri vel fragmenta exstant, recedit, ut, quos repetierit, exquiri non possit. Sic lib. I. 19. a Themistagora Milesio Phasin urbem conditam scribit, cuius originem alii ad Milesios omnino referunt. Lubenter tamen eum antiquiores Graecos sequi solere, ex multis locis intelligitur. Vid. Vossius ad I. 17. fin. et alibi.

1 I. 19. p. 31.
2 II. 3. p. 43.
3 Ad lib. II. 7. p. 59. de Cicynetho.
4 In libro Geographie der Griechen und Roemer T. I. p. 122.
5 Ad I. 1. p. 5.
6 III. 5. p. 72.
7 In praefat. ad Melam.
8 XVII. 7. Cf. Mela I. 18. p. 28.
9 I. 19. p. 31.
10 II. 7. p. 60.
11 III. 8. p. 83.
12 I. 19. p. 29.

Neque tamen, cum in tanta diversarum rerum congerie sibi ipse solus minime sufficeret, sed aliorum subsidiis egeret, quaecunque parata habuisset, temere corripuit, sed et iudicium, diligentiam et prudentiam in delectu adhibuit.[1] Quod manifestis signis declarant voces et formulae, quas dubiis rebus vel fabulosis saepe interposuit.[2] Praeterea ipse fabulas indicat,[3] barbara et a Romanae linguae usu aliena nomina cognovit,[4] nominum causas et origines diiudicat, de incolarum vetustate disputat,[5] mores mutatos comparat,[6] locorum conversiones attingit,[7] prolixius fere et quasi lubentius in rerum naturalium causas inquirit,[8] vel dubitanter aliorum narrationibus suam opinionem superstruit.[9]

Si qua tamen adhaeserunt, quae fabulosa, incerta et vana esse nemo infitiabitur, aetatis illius inscitiae, rerum obscuritati, auctorumque aliorum malae fidei tribuenda sunt.[10] Talia sunt, quae de *Phoenice* III. 8. *formicis*, ea quidem magnitudine III. 7. *Panotis* III. 6. *Himantopodibus* III. 10. *Blemyis* I. 8. de *hominibus mutis orisque usu carentibus* III. 9. aliisque monstrosis formis narrat, quas Africae Asiaeque regionibus quibusdam tribuit. In Aethiopicis quidem et Indicis, uti supra nota-

1 Quas virtutes in multis narrationibus praedicat et tuetur H. Stephanus in praef. ad Melam.

2 V. c. *si fidem res capit, si credere libet, sic creditur, ut ferunt,* aliaeque plures.

3 Ut II. p. 57. et 60. III. 6. p. 78.

4 Lib. I. 18. p. 27. III. 7. p. 81.

5 Lib. I. 16. init.

6 Lib. III. 2. p. 68.

7 Lib. III. 3. extr.

8 Vid. de Nilo I. 9. de maris motibus alternis III. 1.

9 Lib. II. 7. p. 58.

10 Conf. II. 5. p. 53. seq.

vi, delusus esse maxime videtur commentis *Deimachi, Megasthenis* et aliorum quorundam, quos diserte Strabo ψευδολόγους vocat, [1] ex quo autem certiora cognoscere, et explosa negligere potuisset, si aut voluisset eum consulere, aut consulendi per rei librariae difficultatem copiam habuisset.

Alia, quod fit in moribus hominum et situ locorum, postea sunt immutata, ita ut priorem formam frustra requiras; alia navigationibus et itineribus peregre factis vel diligentius explorata, vel rectius cognita; quaedam adeo confirmata, multa, ut nunc, admirationis iniiciendae, aut delectationis alendae causa verborum ornatu praeter rem in maius aucta. Sic, quantum ipsa Germania mutata est ab illa, quam veteres ostentant; quantae criminationes in eius incolas collatae, quarum causae vel plane nunc sunt abolitae, vel cum aliis communicatae. Nec sagacissimus Buffonius [2] Aristoteli statim fidem derogandam existimat, si, quae hodierno usu nondum probata sunt, aut explorata, tradat.

Alia libri virtus cernitur in magna orationis brevitate, qua amplissimam rerum copiam concludit, quas inter se apte connexas tenet. Neque culpa cupide in Melam transferatur, si quas gentes et urbes ab eo omissas esse animadvertamus, quas fama etiam vulgaverat, contra ignobiliores et tenuiores productas. Constat enim, saepe librarios imperitas manus iniecisse, remotiora nomina et

1 Lib. II. p. 48. s. 70.

2 Vid. eius Naturgeschichte der vierfüssigen Thiere, ed. Berol. Tom. II. p. 134.

obscuriora depravasse, alia etiam ex vitiosa vel male excepta pronuntiatione variasse, quod in nomine *Minyes* notavit Brunckius,[1] et plurimis aliis exemplis doceri potest. Accedit rerum humanarum vicissitudo, quae sursum deorsum omnia fert progrediente tempore, difficilemque reddit rerum commemoratarum diiudicationem.

Ex iis tamen, quae hactenus disserui, varia enata sunt de Mela virorum doctorum iudicia[2] vel laetiora,[3] vel tristiora.[4] Quid veteres de eo censuerint, ignotum est, quippe quibus minime innotuisse videtur, et, si qui posterioris aetatis scriptores eius mentionem faciunt, nullum interponunt iudicium, in quibus produci possunt Servius,[5] Iornandes,[6] Freculphus,[7] Boccatius.[8]

Nemo autem in Nostro recte reprehendat ob-

1 Ad Apollon. Rhod. I. 378.

2 Collegit aliqua Thom. Pope Blount in censura celebriorum auctorum p. 104. seq. Alia ab editoribus edita exstant.

3 Sic Vossius ad I. 13. neminem Latinorum accuratius de Geographia scripsisse iudicat. Andres dell' origine, progressi --- d'ogni letteratura Tom. III. pag. 424. laudat *scelte{z}{z}a nelle noti{z}ie, giudi{z}io nel riferirle et da per tutta sapere ed erudi{z}ione.* Cluverius in praefat. ad German. antiq. eum Geographum agnoscit, quem sequi non pigeat.

4 Qualia tulerunt Verderius in censione auctor. antiq. p. 7. in primis Penzelius in Strabonis interpretat. German. Vol. II. pag. 856. n. 15. Sic negligentem imperitumque in multis vocat Gatterer in Commentatt. -- Goettingens. Vol. XII. p. 194.

5 Conf. ad Virgil. Aen. IX. 31. ubi locum ex lib. III. 7. de Gange refert, etsi Codices multi pro Mela Melonem substituunt. Sic ex Mela II. 1. narrationem de Agathyrsis refert.

6 De rebus Get. cap. 3. ex Codice quidem Ambrosiano, cum in aliis Melae nomen non legatur, qui ex eo in sinu Codano memorat *Scandzam*, ubi vulgo hodie III. 6. legitur *Codanonia* s. *Scandinovia.*

7 In Chron. Tom. I. lib. 2. cap. 16. qui ex eodem Melae loco repetit *Scanza.*

8 In locis pluribus, quorum supra notavi aliqua.

scuritatis vitium, si quando vividiori oratione adsurgat, condensatis et consertis verbis sententias contrahat, fluxamque et diductam seriem coërceat, quippe quae non tam sensum et intelligentiam impediunt, quam interpretandi molestiam augent, quamvis non negem, in tam tenui libello, in quo adumbratur potius, quam exprimitur plena Geographiae imago, qui non viris, sed adolescentibus scriptus videtur, dicendi genus planius, apertius et tenuius facile desiderari posse.

Denique quae singularis libri dos est, taediumque et satietatem legentium depellit, effecit, ut non mera semper nomina locorum et gentium legerentur, sed et rerum dulcissima condimenta adspergerentur. Quis enim est, quin capiatur et elegantissimis et vividissimis fluminum, antrorum, mariumque descriptionibus? Quem non delectent de rerum memorabilium causis, etsi prolixiores, quam libri consilium ferre videatur, disputationes, et ad Nili exuberantis fontes marinorumque motuum investigationes lubentem detineant? Quis fastidiat rerum memorabilium, clarorum hominum, conditorum, pugnarum, victoriarum mutationumque ubivis obviarum notationes, nec plures memoratas cupiat? Ex quo non temere Schottus iudicare videtur, [1] ne ipsum quidem Ciceronem, [2] si Geographica, quae scribenda susceperat, absolvisset, elegantius scriptu rum fuisse.

1 In Praefat. 2 Conf. ad Attic. II. 4. et II. 7. init.

INDEX EDITIONUM POMPONII MELAE

IN SEX AETATES DIGESTUS.

AETAS I. *NATALIS.*

. . . . *Editio princeps* s. a. l. et typogr. 8 mai. (probabiliter in Italia et in principiis artis typographicae excusa.) Omisso titulo statim incipit a verbis Melae: *Urbis* (*Orbis*) *situm dicere* etc. In fine leguntur haec: *Pomponii Mellae Cosmographiae liber explicit.* Capita non numerat, sed narrationem in parva segmenta, praeviis etiam inscriptionibus, dividit. Nec in margine, nec usquam alibi adscripta est nota. Graeca semel literis Graecis exprimit I. 1. etsi adsperso vitio ποθρμὸς; reliqua Latinis semper reddit. Vitiis scribendi scatet gravioribus verborumque corruptionibus, quales tulit codex, quem repetit. Passim tamen etiam subministrat lectiones bonas et reconditas. Contulit eam Tzschuckius.

1471 *Mediolanensis.* 4. s. titulo et typogr. In fine habet: *Pomponii Mellae cosmographiae liber explicit Mediolani septimo Kalendas Octobres millessimo quadringentessimo septuagessimo primo.* Saxius in Hist. typ. gr. Mediolanensis pag. 559. putat esse ex officina Ant. Zaroti, qui per illud tempus Mediolanensem typographiam solus exercuit. Rarissima editio, et in paucis bibliothecis obvia. Fuit olim in libris Ducis de la Vallière, teste Catal. Tom. III. pag. 20. pretio 163. librarum vendita.

1473 *Pomp. Melae Cosmographia cum comment. Cocchi. Venetiis.* 4. — Ita Mattair. Tom. IV. pag. 331. ex Bibl. Norib. Sauberti. Eandem memorant Beughemius in Incunab. typogr. pag. 111. et Orlandi in Origine della Stampa pag. 390. Conf. etiam Denis Supplem. Tom. II. pag. 776. qui addit *per Nic. Ienson. in fol.* At

Cocchi commentarios nemo novit. Neque Cocleus sub isto nomine latere potest, cuius editio an 1512. prodiit.

1477 *Pomp. Mela d. XV. Nov. Venetiis.* 8. — Tantum ex Maittairio Tom. I. Part. 1. pag. 374. et Orlandino pag. 390. innotuit, nec aliam norat fidem Tzschuckius in Elencho edd. Melae.

——— Aliam Venetam h. a. in 4. cum hac subscriptione: *per Bernardum Pictorem et Erhardum Ratdolt de Augusta una cum petro Loslein de Langencen correctore ac socio*, memorant Maittaire Tom. IV. pag. 374. Orlandini pag. 28. Catherinot apud Wolfium in monum. typogr. Zapfius in Annal. typogr. August. pag. 98. Sed et haec inter dubias referenda. Vid. an. seq.

1478 *Veneta* I. 4. Incipit absque titulo: *P. Mellae Cosmographi de situ orbis liber primus.* Sequitur *prooemium* rubro colore scriptum. In fine haec leguntur: *Impressum hoc opusculum Venetiis per Bernardum pictorem et Erhardum Ratdolt de Augusta una cum petro Loslein de Langencen correctore ac socio. MCCCCLXXVIII. Laus Deo.* — Exstat eius exemplum in bibl. Senat. Lipsiens.

——— *Veneta* II. 4. In fine: *Impressum hoc opusculum Venetiis per Franciscum renner de Hailbrun. MCCCCLXXVIII. Laus Deo.* — Est mera repetitio editionis antecedentis, teste Tzschuckio, qui utramque inspexit.

1482 *Veneta* III. 4. *P. Mellae Cosmographi Geographia: Prisciani quoque ex Dionysio Thessalonicensi de situ orbis interpretatio.* In fine: *Erhardus ratdolt Augustensis impressit Venetiis 15. Calend. Augusti. Anno salutis nostre 1482. Laus Deo.* Char. semigoth. — Praefixam habet tabulam lineis signisque distinctam, qua cernitur expressa Europa, Asia et Africa et pelagus Indicum. Textus divisus in segmenta insignioris argumenti, praemissis inscriptionibus, v. c. in libro I. *prooemium, mundi in quatuor partes divisio, summa Asiae* etc. In reliquis libris ipse tantum liber indicatur. Ceterum conspirat fere cum editione Veneta superiori utraque, nec nisi raro discrepat.

1488 *P. Melae Cosmographia cum commento Cocchi. Venetiis.* 4. — Maittair. Tom. I. pag. 501. ex Sauberti Bibl. Norib. Dubia editio. Conf. an. 1473.

AETAS II. *HERMOLAI BARBARI.*

.... s. a. et l. 4. (f. Romae, circa an. 1493.) curante *Hermolao Barbaro.* In fronte gerit tantum haec verba: *Pomponius Mela.* In aversa parte incipit Praefatio Hermolai ad Alexandrum VI. Pont. Max. in qua profitetur, se trecenta in Pomponio, quae manabant, ulcera, vel cicatrice, vel splenio contexisse. Hanc sequitur textus, parvis tantum segmentis distinctus, nullis vel capitibus, vel capitum numeris adpositis. In fine haec leguntur: *P. Melae Cosmographi libri tertii et ultimi finis.* — Conf. de hac ed. Freytagii Apparat. lit. Tom. I. pag. 127. Hermolai castigationes proxime sequentes editores tantum non omnes amplexi sunt.

1493 *Hermolai Barbari Castigationes in Pomp. Melam,* subiectae eiusd. Castigg. sec. Plinianis. Romae, formis Eucharii Argentei, Germani. fol. — Saepius dein recusae Mediolani, Basileae etc. Conf. Denis in Merkwürdigkeiten der Garellischen Bibliothek pag. 217. seqq. et Indicem nostrum edd. Plinii.

1498 *Salmanticae.* 4. c. figg. *Pomponii Melae Cosmographi de situ orbis libri tres.* Ad calcem: *Opus praeclarissimum Pomp. Melae Cosmographi cum introductionibus et aliis tantopere necessariis per* Franciscum Nunnis *de la Verva, Medicinae Professorem, elaboratis. Explicit feliciter. Impressum vero Salmanticae (cuius loci elongatio ab Occidente IX. et ab aequinoctiali XLI. gradibus constat) anno Domini MCCCCXCVIII. Sole Tauri punctum gradiente primum.* Adnexum Aelii Antonii Nebrissensis Grammatici in Cosmographiae libros Introductorium. — Rarissima extra Hispaniam editio, quam descripsit Dav. Clemens in Specimine bibliothecae Hispano-Maiansianae, Hannoverae 1753. pag. 12. seq. Conf. Denis in Supplem. typogr. Maittair. pag. 450. Panzer Tom. III. pag. 2. Usus est ea Petr. Io. Nunnesius in adnotatis, quae protulit Abr. Gronovius in ed. Melae 1748. inde a pag. 521.

1499 *Pomp. Mela de situ orbis. Venetiis, per Bernardinum Venetum de Vitalibus XXIII. April.* 4. — Sic Maittair. Tom. IV. pag. 709. Suspectam habet Panzer Tom. III. pag. 463.

1501 *Veneta* IV. s. l. 4. *Pomp. Mela Cosmographus de situ orbis Hermolai Barbari fideliter emendatus.* In fine: *Libellus ad Lectorem: O lector: qui locorum gentiumque situs fideli Calamo conscriptos: Curas: studio tuo peracri me nunc lectus* (laetus) *amplectere: quae enim in me Impressorum incuria prius litura fueram digna: nunc revisa et fideliter emendata miraque Arte Impressa Iohan. Baptista Sessa Foelici auspicio tibi nunc impartitur. Vale Anno Domini 1501. Die 27. Octobris.* — Panzer Tom. VIII. pag. 340. Sequitur ed. Romanam s. a. et l.

1502 *Veneta* V. s. l. 4. *Pomp. Mela Cosmographus de situ orbis Hermolai Barbari fideliter emendatus.* In fine: *Libellus ad Lectorem* etc. ut in ed. anteced. *nunc revisa et fideliter emendata miraque arte impressa per Albertinum de Lisona Vercellensem Foelici auspicio tibi nunc impartitur. Vale. Anno Domini MCCCCCII. die XIIII. Mai.* — Repetitio ed. 1501. cuius etiam vitia typographica servavit, admixtis novis. Memorat eam Panzer Tom. VIII. pag. 357.

1507 *Parisina* I. 4. *Pomp. Mela de totius orbis descriptione. Author luculentissimus Nunquam antea citra montes impressus.* Subiicitur his insigne typographi Iohannis Petiti. Aversa pagina legitur Epistola dedicatoria Godofredi Torini Biturici ad Philibertum Baboum, civem Bituricum Ser. Galliarum regis dispensatorem, scripta Parrhisiis VI. No. Decembr. MCCCCCVII. Hanc sequitur textus. Textum excipit brevis epistola ad eundem Philibertum de Mela emendato, et Index in Melam. Tandem haec leguntur: *Anno — MDVII. decima die Ianuarii Impressum est hoc opus per Egidium Gormuntium et per Torinum Bituricum diligentissime recognitum Parrhisiis*; quibus verbis subiecta est tabula ligno incisa, in qua infima haec: *Gilles de gourmont.* — Reddit editionem principem, assumtis tamen quibusdam lectionibus ex ed. Mediolanensi a. 1471. observante Tzschuckio. Scatet vero vitiis et erroribus.

1509 *Wittembergae.* 4. curante *Barthol. Steno.* Titulus nudus: *Pomponius Mela.* In fine: *Impressum Wittemburgii* (sic) *per Ioannem Viridomontanum Anno MDIX.* — Refert editionem Hermolai Barbari, nec nisi rarissime ab illa discedit.

1512 *Norimbergae.* 4. *Cosmographia Pomponii Mele: Authnris nitidissimi Tribus libris digesta: parvo quodam Compendio Ioannis Coclei Norici adaucta quo Geographie principia generaliter comprehenduntur, Brevisque Germanie Descriptio, Ad profectum Iuventutis Laurentianae Norinbergensis inprimis: Dein ad Ceterorum quoque in litterarum studio successus nunc prima sui Editione in lucem profert. Chelidonius Musophilus ad lectorem: Que canit historias divino carmine Clio* etc. Haec in fronte. Aversa pagina legitur Epistola nuncupatoria Io. Coclei ad Ant. Kress Laurent. eccl. prepositum, quae data est: *ex scholis nostris sexto Idus Octobris 1511.* Sequitur textus Melae, in capitula cum numeris divisus, sic ut primus liber contineat capp. 10. secundus 12. tertius 15. In fine exstat Epistola Benedicti Chelidonii ad Io. Cocleum, data *Norimberge X. Calendas Februarias anno salutiferi partus 1512.* — Panzer Tom. VII. pag. 451. qui annotat, eam typis Io. Weissenburgeri excusam esse. Sequitur fere ed. Paris. an. 1507. et, ubi discedit, Venetarum aliquam reddit.

——— *Vindobonensis* I. 4. *Pomp. Melae Geographiae libri tres. Hermolai Barbari in eundem integrae castigationes. Index in Pomponio contentorum copiosissimus.* In fine: *Viennae Pannoniae per Hieronymum Vietorem Philovallem et Ioannem Singrenium de Oeting, Calcographos diligentissimos. Pridie Nonas Septembris Anno. M. D. XII.* — Praefuit huic editioni Io. Camers, qui etiam Indicem adiecit. Diligenter eam descripsit Denis in Wiens Buchdrucker-Geschichte pag. 71. seq.

1513 *Parisina* II. 4. *Pomp. Mele scriptoris luculentissimi maxima cura recogniti Cosmographia. Venalem apud Ioannem parvum reperies in vico Divi Iacobi sub lilio aureo.* Titulum excipit dedicatio his inscripta verbis: *liber P. Phoenix Amanaeo Fuxensi protonotario Candalensi quam illustrissimo Ac regis Navarrae nepoti S. P. D.* Fert autem in aliis haec: *Io. Parvum ad se misisse Melam lacerum et mancum, ut, si non omnino sanari posset, valeret aliquanto melius.* Subiungitur textus, cuius lib. I. habet capita 7. secundus 5. tertius 4. In fine legitur: *Pomp. Mela finitus impressus ac iterum revisus et emendatus sumptibus Iohannis parvi*

bibliopole alme universitatis Parisiensis nona Iunii 1513. — Basis est editio an. 1507. sed textum exhibet multo ea emendatiorem, novasque passim sistit lectiones, quibus ab edd. Hermolai et Camertis differt.

. . . . *Lipsiensis* I. 4. s. a. *Pomp. Mela de situ orbis ab Hermolao Barbaro et Io. Camerte castigatus, cum Indice. Lipsiae, ex aedibus Wolffgangi Monacensis.* — Panzer Tom. VII. pag. 177. Reddit Melam Camertis.

1517 *Iuntina* I. 8. *Pomponius Mela.* Iulius Solinus. Itinerarium Antonini Aug. Vibius Sequester. P. Victor de regionibus urbis. Dionysius Afer de situ orbis, Prisciano interprete. *Florentiae, per haeredes Philippi Iuntae.* — Hanc editionem curavit Ant. Francinus, qui in textu castigando, libro antiquissimo literis Longobardicis scripto usus est. Conf. ad an. 1519.

AETAS III. *VADIANI.*

1518 *Vindobonensis* II. fol. *Pomp. Melae Hispani Libri de situ orbis tres, adiectis Ioachimi Vadiani Helvetii in eosdem Scholiis: Addita quoque in Geographiam Catechesi: et Epistola Vadiani ad Agricolam digna lectu. Cum Indice summatim omnia complectente.* In fine: *Impressus est Pomponius Viennae Pannoniae expensis Lucae Alantse civis et bibliopolae Viennensis per Io. Singrenium ex Oeting Boioariae. Mense Maio Anni M. D. XVIII.* — Vadiani annotationes *rus et stivam olere* ait Is. Vossius; quod iudicium iniquius visum Colomesio, qui Vadianum potiore iure magnis Germaniae viris a Ios. Scaligero adnumeratum esse existimat. De eodem ita Olivarius: *Vadianus vir omnium iudicio eruditissimus praeter ea, quae ex variis auctoribus citat, unde facile colligere possis hominem multae fuisse lectionis, raro adducit, quo vel locos depravatos emendet, vel desideratos restituat, contentus illa doctissima ostentatione; quamquam iis, quae ad historiam spectant, non minus valuerit ille, quam digressionibus prolixissimis et molestissimis.* Nonnulla Vadiani reprehendit Io. Camers in commentario ad Solinum, cui Vadianus respondit in secunda Melae sui éditione. Novissime contra malevolorum iniurias defendit Denis in Wiens Buchdrucker-Geschichte pag. 186.

seq. Est autem opera Vadiani magis in explicando, quam in emendando versata, commentariusque copiosus in rebus geographicis illustrandis, dignusque omnino qui legatur, cum habeat plura in hoc genere, quae alibi vix reperias. Nec tamen prorsus neglexit criticam rationem, sed aliquot loca tum ingenio, tum inprimis Ms. ope emendavit, quem Georg. Collimitius, mathematicus, suppeditaverat. Conf. an. 1522. Ceterum de hoc Vadiano plura Goldastus Tom. III. rerum Alemannicarum.

——*Veneta* VI. *Aldi*. 8. *Pomponius Mela*. Iulius Solinus. Itinerarium Antonini Aug. Vibius Sequester. P. Victor de regionibus urbis Romae. Dionysius Afer de situ orbis, Prisciano interprete. Praecedit brevis Franc. Asulani ad lectorem praefatio, in qua mendas multas, quibus obsiti fuissent illi Geographi, sublatas esse affirmat. In fine: *Venetiis, in aedibus Aldi et Andreae Soceri mense Octobri 1518.* — Textum exhibet nudum, in pauca capita divisum. Repetit autem fere Florentinam an. 1517. a qua ubi discedit, videtur adiuta fuisse codice Veneto.

1519 *Pomp. Melae Geographia. Cracoviae, in officina geographica Victoris*. 4. — Commemorat hanc editionem Bauerus in Bibliothecae librorum rariorum supplementis Vol. III. pag. 164. Videtur repetitio esse Camertinae an. 1512.

——*Iuntina* II. 8. superioris (an. 1517.) repetitio, eosdemque Geographos complectens. In fine: *Impressum Florentiae per haeredes Philippi Iuntae. Anno D. XIX. a Christiana salute supra mille, mense Aprili. Leone X. Pontifice.* — Maittair. Tom. II. pag. 335. Crevenna Vol. V. pag. 21. Codicem plerumque sequitur Venetum.

1520 *Vindobonensis* III. 4. *Pomp. Melae Geographiae libri tres* etc. ut in ed. 1512. cuius etiam in margine numerat paginas. In fine: *Viennae Pannoniae per Ioannem Singrenium. Expensis Lucae Alantse civis Vienn.* — Praemissa Camertis praefatio, et Index ex eiusdem ed. repetitus. Ipse tamen textus est ex Vadiani editione 1518. descriptus. Conf. Denis l. l. pag. 213.

1521 *Veneta* VII. 16. s. l. *Pomp. Mela*. Iulius Solinus. Itinerarium Antonini Aug. Vibius Sequester. P. Victor

de regionibus urbis Romae. Dionysius Afer de situ orbis, Prisciano interprete. In fine: *Alexander Paganinus mensis Augusti MDXXI.* — Panzer Tom. VIII. pag. 469. inter Venetas refert. Morellius Tusculani prodiisse putat.

——*Lipsiensis* II. 4. *Pomp. Melae scriptoris eruditissimi tres Geographiae libri multo castigatius, quam antehac excusi. Hermolai Barbari in eundem integrae castigationes ad Alexandrum VI. Pont. Max. Index in Pomponio contentorum copiosissimus Io. Camerte autore.* In fine: *Lipsiae apud Melchiorem Lottherum MDXXI.* — Panzer Tom. VII. pag. 217. Sequitur editionem Camertinam, a qua raro tantum discrepat. Vitia vero admisit graviora.

——*Aldinam* h. a. cum Solino etc. ex priori repetitam, memorat Fabricius in Bibl. Lat. Tom. II. pag. 71. Panzerus ignorat.

.... s. a. l. et typogr. 4. *Pomp. Melae de situ orbis libri tres.* Haec in titulo. In fine insigne bibliopolae incognitum expressum. Textus multis in locis a Camerte aeque ac Vadiano differt; in aliis modo Camertem, modo Vadianum sequitur. Variantes lectiones ex ea notavit Tzschuckius.

1522 *Basileensis* I. fol. *Pomp. Melae de situ orbis libri tres accuratissime emendati una cum commentariis Vadiani Helvetii castigatioribus et multis in locis auctioribus factis. Basileae anno M. D. XXII. Loca aliquot ex Pomponianis commentariis repetita indicataque, in quibus aestimandis censendisque Ioh. Camerti cum Ioach. Vadiano non admodum convenit. Ioach. Vadiani — ad Rudolphum Agricolam Epistola.* In fine: *Basileae, apud Andream Cratandrum, mense Ianuario M. D. XXII.* — Praeter nova, quae commentario Vadiani in hac editione accesserunt, textus ipse accuratius excusus est, pluresque adfert emendationes, quae in ed. 1518. non inveniuntur.

1526 *Iuntina* III. 8. *Pomponius Mela.* Iulius Solinus. Itinerarium Antonini Aug. Vibius Sequester. P. Victor de regionibus urbis Romae. Dionysius Afer de situ orbis, iterum castigatus, et cum graeco exemplari conlatus. In fine: *Impressum Florentiae per heredes Philippi Iuntae. Anno D. XXVI. a Christiana sa-*

lute supra mille, mense Februario. Clemente VII. Pontifice maximo. — Sic Panzer Tom. VII. pag. 41. Ernesti in Bibl. Fabric. et Kappius in ed. Melae altera male eam referunt ad an. 1527. Textus subinde differt a prioribus Iuntinis.

1530 *Parisina* III. fol. *Pomp. Melae de orbis situ libri tres accuratissime emendati, una cum commentariis Ioach. Vadiani Helvetii castigatioribus et multis in locis auctioribus factis* etc. ut in ed. 1522. cuius est repetitio. *Lutetiae Parisiorum Anno MDXXX. Mense Iunio.* Sine nomine typographi.

1531 *Basileensis* II. 12. cum Solino, si fides Fabricio et Hagero.

1532 *Parisina* IV. 8. *Pomp. Melae de situ orbis libri tres cum Indice copiosissimo. Excudebat Christianus Wechelus.* In media fronte apparet arboris figura, quam ambit tortilis chartae scida his verbis inscripta: *unicum arbustum non alit duos erythacos.* Editoris nullum exstat vestigium. Textus plerumque est Vadiani.

1533 *Fribergae.* 4. — Dubia editio, memorata soli Wilischio in bibliothecae Altenburg. Indice (an. 1721.) pag. 196. et post eum Hagero et Kappio.

AETAS IV. *OLIVARII.*

1536 *Parisina* V. 8. sine mentione loci et anni, quae tamen ex dedicatione ad Gulielmum Mainum, filiorum Christianissimi regis Francorum praeceptorem scripta discuntur. Titulus: *Pomp. Melae de situ orbis libri tres cum Petr. Io. Olivarii Valentini, viri in Geographia doctissimi, Scholiis. Hermolai Barbari in eundem Pomp. Melam Castigationes. C. Iulii Solini Polyhistor, s. rerum orbis memorabilium Collectanea, partim ad vetustissimorum exemplarium fidem restituta. Rerum ac verborum in hisce omnibus memorabilium trigeminus Index.* — In textu constituendo subinde quidem a Vadiano discessit Olivarius; sed quas attulit emendationes, Pintiano fere subreptas, pro suis male vendidit, parum inde laudis meritus. Scholia, textui subiecta, parcius, aut levius orationis veram rationem et indolem attingunt, maximeque in geographicis comparandis versantur. Saepius vero a

sequentibus editoribus textus Olivarii repetitus est, adiectis etiam a quibusdam commentariis eiusdem; unde nomen suum huic aetati dedit. Ceterum differunt exemplaria huius editionis, observante Tzschuckio, vel quod typis sit repetita, vel quod in cursu operae mutata. Neque tamen discrimen illud tantum est, ut non pro una eademque editione sit habenda.

1538 *Basileensis* III. fol. C. Iulii Solini Polyhistor etc. *Huic ob argumenti similitudinem Pomponii Melae de situ orbis libros tres fide diligentiaque summa recognitos adiunximus. Accesserunt his praeter nova Scholia* (Seb. Münsteri) *quae loca autoris utriusque obscuriora passim illustrant, etiam tabulae geographicae permultae.* In fine: *Basileae, apud Michaëlem Isingrinium et Henricum Petri MDXXXVIII.* — Rarissima ed. cuius exemplum servatur in bibl. Acad. Goetting. Münsteri scholia magis ad historiam, quam ad criticam spectant.

——— *Basileensis* IV. fol. cum Solino, et Floridi Apologia pro Plauto. — Sic Antonius in Bibl. Hisp. vet. Tom. I. lib. I. c. 11. Fabricius in Bibl. Lat. Tom. II. pag. 79. et Hager in Geogr. Bücher-Saal Vol. II. pag. 522.

——— *Salignaci. Io. Soter excudebat.* 8. — Textum nudum exhibet, in plerisque cum Vadiano consentientem.

——— *Lugdunensis* I. 8. ex editione Olivarii, et cum eiusdem notis.

——— *Parisina* VI. 8. — Catal. bibl. publ. Lugduno-Batavae pag. 200.

1539 *Parisina* VII. 8 min. *Pomp. Melae de situ orbis libri III. summa fide atque diligentia recogniti una cum adnotationibus Pet. Io. Olivarii — cum Indice copiosissimo. Parisiis, Sim. Colinaeus.* — In margine adlitas habet lectiones variantes, ex codice antiquo depromtas.

1540 *Parisina* VIII. fol. *Apud Christ. Wechelium sub scuto Basileensi.* — Repetitio Vadianae 1530.

——— *Parisina* IX. fol. *apud Io. Roigni.* cum commentariis Vadiani. — Utraque haec ed. exstat in bibl. Dresdensi.

1543 *Basileensis* V. fol. *apud Mich. Isingrinium.* — Eadem continet, quae editio Bas. III. cuius mera repetitio esse videtur.

——— *Salmanticae.* 8. *Ferdinandi Nunnez de Guzman* (qui a

patria urbe *Pintianus* dictus) *Castigationes in Pomp. Melam.* — Praemissa epist. dedicatoria ad Io. Quinonem, Salmanticensis Academiae praefectum, in qua postquam de Melae ulceribus et vomicis questus erat Pintianus, de castigationum suarum ratione et consilio haec tradit: » Plurima in eo verba desiderabantur, nec singula modo verba, sed versus interdum aliquot. Quaedam redundabant, falso ei attributa; alia praepostero ordine, alia mendosissime scripta legebantur. Multis imperitorum Grammaticorum sacrificulorumque glossematis ineptis, item impudentium castigatorum appendicibus refertus erat. Quae omnia, qua potui diligentia, partim solus post tot censuras, ut reor, sanavi; partim in meliorem conditionem redegi, ad accuratiorem magisque exactam disquisitionem revocata. « Subnatae autem illae castigationes erant, quod ipse profitetur, ex scholis privatis, per ferias academicas habitis, in quibus Melam adolescentibus quibusdam exposuerat. Post emisit retractationes, in quibus, quae aut non satis recte dicta in Pomponium visa essent, aut omissa, emendavit, aut supplevit; tumultuaria enim opera priores observationes compositas fuisse. Ingenium et doctrinam Pintiani facile in iis agnoscas, licet liberius subinde in auctorem grassetur: codicis consulti vestigium nusquam apparet. Multa iis, in scholis excepta, surripuisse Olivarium, supra notatum est.

1550 *Tubingae.* 8. *Pomp. Melae de situ orbis libri tres.* — Reddit fere lectiones editionis s. a. et l. quam supra ante Basileensem I. posuimus.

1551 *Parisina* X. 4. *Pomp. Melae de situ orbis libri tres accuratissime emendati. Lutetiae apud Vascosanum.* — Maittair. Tom. III. pag. 601.

——— *Lugdunensis* II. 8. cum notis Olivarii et Hermolai Barbari castigationibus.

1552 *Lugdunensis* III. Inter *Antiquitatum variarum auctores*, qui h. a. prodierunt *Lugduni apud Seb. Gryphium.* 12. — Textus et notae sunt Olivarii.

1555 *Basileensis* VI. fol. cum commentariis Vadiani.

1556 *Parisina* XI. 4. cum notis Olivarii, expressa typis *Iac. Kerveri.*

1557 *Basileensis* VII. fol. Commentarii in C. Iul. Solini Polyhistora, et L. Flori de Romanorum rebus gestis libros, ac tabulam Cebetis, Ioh. Camerte auctore: praeterea *Pomp. Melae de orbis situ libri tres cum commentariis Ioach. Vadiani. Basileae, per Henricum Petri.* — Rarioribus libris adnumerat Bayer in Bibl. libr. rar. P. III. pag. 58.

—— *Parisina* XII. 4. cum notis Olivarii. — Servatur in bibl. Acad. Goetting.

1560 *Parisina* XIII. 4. *Pomp. Melae de situ orbis libri III. summa fide et diligentia recogniti, cum Indice rerum memorabilium copiosissimo. Parisiis, ex typographia Thomae Richardi sub bibliis aureis e regione collegii Remensis.* — Sequitur textum Olivarii, ita tamen, ut multas lectiones admittat, quae tantum ad marginem ed. Paris. 1539. adscriptae erant.

—— *Lugdunensis* IV. 12. *apud haeredes Seb. Gryphii.* — Eosdem exhibet Antiquitatum variarum auctores, quos continet editio 1552. cuius repetitio est.

1561 *Parisina* XIV. 4. ex XIII. recusa, eundemque titulum praeferens.

1564 *Basileensis* VIII. 8. *Pomp. Melae philosophi celeberrimi de orbis situ libri tres, tabulis illustrati. Basileae, apud Henric-Petri.* — Textus est Vadiani, paucis exceptis. In margine subinde leguntur appellationes eorundem locorum apud alios, Ptolemaeum maxime. Tabulae geographicae rudius descriptae.

1566 *Parisina* XV. 4. *Pomp. Melae de situ orbis libri tres, summa fide et diligentia recogniti, cum Indice rerum memorabilium. Parisiis 1566. ex typographeo Dionysii a prato via Amygdalina ad veritatis insigne.* — Consentit cum Parisinis an. 1560. et 1561.

AETAS V. *VINETI* ET *SCHOTTI.*

1572 *Parisina* XVI. 4. cum animadversionibus *Eliae Vineti*, qui et textum emendatiorem dedit, non additis tamen emendationum rationibus. In fine haec leguntur: *Elias Vinetus Santo emendabam adnotabamque iterum inter praelegendum Burdigalae anno a Christo nato millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, annisque post quatuor Martiali Campano Petrocoro, Medi-*

co, harum etiam literarum perquam studioso mihique amicissimo edendum tradidi; si forte Lutetiae, quam post annos duodecim revisebat, ex Petro Pithoeo, Petro Daniele aliisque eruditis amicis nostris comperiret, hauddum quemquam post Hermolaum Barbarum optimae geographiae auctori Latino parem operam praestitisse. — Rarissima editio. Varias eius lectiones dedit Tzschuckius in notis criticis.

—— *Coloniae Agrippinae.* 8. *Guilielmi Sooni* Vantesdeni Auditor, sive Pomp. Mela disputator de situ orbis. *Colon. Agripp. apud Io. Birckmannum.* — Soonus, ut concisum auctorem dilucidiorem redderet, Melam quasi in scenam induxit, et de Geographia secum disserentem fecit; pauca tamen meliora reddidit, aut illustravit. Ipse textus foedioribus vitiis est inquinatus.

1576 *Basileensis* IX. 8. una cum Solino, scholiis (Io. Oporini in libri I. septem capita priora,) tabulis, et praefatione Christ. Vurstisii. *Basileae, ex officina Henricopetrina.* — Textum repetit ed. 1564.

1577 *Basileensis* X. fol. ex ed. et cum commentariis Vadiani.

—— *Parisina* XVII. 4. Dionysii Alex. et *Pomp. Melae situs orbis descriptio.* Aethici Cosmographia. C. Iul. Solini Polyhistor. In Dionysii poëmation commentarii Eustathii. Interpretatio eiusdem poematii ad verbum ab Henr. Stephano scripta: nec non annotationes eius in idem, et quorundam aliorum. *In Melam annotationes Petr. Io. Olivarii. Excudebat Henr. Stephanus.* — »Melae libello non tam adiungendas, quam inserendas, Petri Olivarii annotationes existimavi, in quibus quid sit discriminis inter vetera et recentia locorum nomina ostendit. Hinc factum est, ut mihi quas secutus ipse esset editiones, easdem magna ex parte sequi necesse fuerit, lubenter alioqui ab illis frequentius discessuro.« Haec Stephanus in Prolegomenis. Omnino pauca sunt, quae ille mutavit.

—— *Augustae Vindelicorum.* 8. *Epitome Geographiae veteris et novae: et Pomponius Mela de situ orbis, edita Georg. Henischii, medici et mathematici Augustani, studio et labore.* — Habet quaedam sua bona haec editio, Me-

lam aliquanto correctiorem exhibens, quam in superioribus habebatur.

1582 *Burdigalae.* 4. cum Eliae Vineti animadversionibus. — Recusa ed. 1572.

——— Pomp. Mela de Sarmatia, cum comment. Ioach. Vadiani. — In *Pistorii* Corpore Historiae Poloniae. *Basileae, apud Henricum Petrum.* fol.

——— *Antverpiae.* 4. *Pomponii Melae de situ orbis libri III. Andreas Schottus, Antverpianus, recensuit, et spicilegio illustravit. Additae Hermolai Barbari Veneti et Fredinandi* (sic) *Nonnii Pintiani castigationes.* — Laudabilem operam Melae navavit Schottus, usus Msto ex bibliotheca S. Victoris Lutetiae. Idem vir doctus h. a. edidit Antverpiae *Geographica et Historica Herodoti,* quae Mela Latine reddidit, et post utilitatis causa editioni 1748. inseruit Abr. Gronovius.

1588 *Parisina* XVIII. 4. *Pomp. Melae de situ orbis libri tres ad multa nova veteraque exemplaria emendati ex Hermolai Barbari et Eliae Vineti lucubrationibus, quibus hac editione accesserunt Fr. Nonii Pintiani et Andr. Schotti variae lectiones. Parisiis, apud Nic. Nivellium sub signo Columnarum.* — Constat 40. paginis, nec praefatione, nec notis instructa est. Variae lectiones, quarum fontem indicat titulus, in margine sunt notatae.

1591 *Rostochii.* 8. *typis Steph. Myliandri.* — Nudum textum habet absque praefatione. Servatur in biblioth. Acad. Goetting.

1595 *Basileensis* XI. 8. *Pomp. Melae de situ orbis libri tres, et C. Iul. Solini Polyhistor. Uterque nunc scholiis et tabulis elegantibus illustratus, et a multis mendis repurgatus est, indice sufficienti praefixo. Basileae per Sebast. Henricpetri.* — Est repetitio ed. 1576. cum ipsis etiam eiusdem vitiis.

1598 *Salmanticae.* 8. *Pomp. Melae de situ orbis libri tres per Franc. Sanctium, Brocensem, in inclyta Salmanticensi academia Primarium Rhetorices, Graecae linguae doctorem, purgati, correcti et emendati. Salmanticae apud Didacum a Cussio.* — Libros Melae exhibet sine notis, sed emendatiores. Schottus eam omnibus aliis praeferebat. Paucissimas tamen esse eius emendationes, monet Maiansius in Spec. bibl. Hispano-Maiansianae pag. 99. Rara est editio in ipsa etiam Hispania.

Exemplum eius cum cod. Chisiano collatum habuit Iac. Gronovius.

1605 *Lugdunensis* V. 12. *apud Barthol. Vincentium.* — Recusa editio Olivariana, sed vitiosissime.

1609 *Lugdunensis* VI. 8. C. Iul. Solini Polyhistor. *Hac postrema editione adiectus est Pomp. Melae de situ orbis liber, cum annotationibus Petr. Io. Olivarii, Valentini, huic operi inserviens.* — Mendosa editio.

1619 *Parisina* XIX. 24. — Nudus est Melae textus ex recensione Schotti.

1625 *Parisina* XX. 12. cum Aethico et Henr. Glareani compendiaria descriptione orbis terrarum. Ita Fabricius. Kappius in editione altera refert ad an. 1626.

1635 *Parisina* XXI. 12. *Pomp. Melae de situ orbis libri tres, et Aethici cosmographia; Henr. Glareani descriptio orbis terrarum. Parisiis, apud Io. Libert.* — Maittair. Tom. III. pag. 899.

——— *Helmstadii.* 12. ex recensione Andr. Schotti, sine notis.

1646 *Lugduni Bat.* 12. *Pomponius Mela de situ orbis.* C. Iul. Solini Polyhistor. Aethici Cosmographia. Cum notis variorum. *Lugd. Bat. apud Hieron. de Vogel.* — Elegans editio. Mela interpretem habet Olivarium, Solinus Delrionem, Aethicus Simlerum. Textus est Olivarii.

AETAS VI. *VOSSII* ET *GRONOVIORUM.*

1658 *Hagae Comitis.* 4. *Is. Vossii observationes ad Pomp. Melam de situ orbis. Ipse Mela longe quam antehac emendatior praemittitur. Hag. Com. apud Adr. Ulacq.* — Inter plurima Mss. quibus ad restituendam Melae lectionem usus est editor, tria tamen se potissimum secutum profitetur, nimirum Vaticanum omnium antiquissimum, Britannicum ex bibliotheca Arundelliana, tertium suum, Vossianum postea dictum. Ex iis, qui castigationes edidere in Melam, solum sibi profuisse ait Pintianum. Basin fecit textum Vineti. Emendationum, quas attulit multas, in iisque egregias et probabiles, rationem reddit commentarius multiplici doctrina refertus.

1666 *Rintelii.* 12. *apud Hauenstein, bibliopolam Hannovera-*

num. — Schotti textum exhibet sine notis, sed in multis locis depravatum, et vitiis typographicis deturpatum.

1685 *Lugduni Bat.* 8. Iac. Gronovii I. tacito tamen editoris nomine. *Pomp. Melae libri tres de situ orbis. Iulii Honorii Or. Excerptum cosmographiae nunc primum ex Ms. editum. Cosmographia, quae falso hactenus Aethicum auctorem praetulit, variis lectionibus ex Ms. illustrata. Omnia diligentissime recognita, additis ad Melam notis. Lugd. Bat. apud Iornandum Luchtmans.* — Textum Vossii passim reformavit Gronovius, in notis gravius invectus est in eundem. Inde rixa excitata inter ipsum et Vossium. Vossius emisit *Observationum ad Pomp. Melam Appendicem Londini* 1686. 4. in quibus se non non solum defendit, sed et acerrimis morsibus Gronovium compressum iactavit. Hic novis collectis *Epistolam* scripsit *ad Io. Georg. Graevium, qua respondetur argutiolis, quibus in Appendice observationum ad Pomp. Melam utitur Is. Vossius, Lugduni Bat.* 1687. 8.

1696 *Lugduni Bat.* 8. Iac. Gronovii II. *Pomp. Melae de orbis situ libri III. nummis antiquis et notis illustrati ab Iac. Gronovio. Iul. Honorati Oratoris Excerpta cosmographiae ab eodem nunc primum ex Ms. edita. Cosmographia falso Aethicum auctorem praeferens cum varr. lect. e Ms. Ravennas Geographus ex Ms. Lugdunensi suppletus.* — Adhibiti codices tres, Mediolanensis, Gudianus et Chisianus, unde subinde profecit textus. Notae etiam prodierunt auctiores; e quibus tamen apparet, Gronovium non magis propitium manibus fuisse Vossianis, quam vivo pepercerat Vossio.

1700 *Franekerae.* 8. *Pomp. Melae libri tres de situ orbis, cum observationibus Isaaci Vossii. Accedunt eiusdem Vossii observationum ad Pomp. Melam Appendix, et tres indices. Editio secunda, in qua observationes textui subiectae sunt, quae in prima editione in fine operis apparebant. Franekerae, apud L. Strick.* — Alia exemplaria huius ed. praeferunt an. 1701.

1711 *Iscae.* 4. *Pomp. Melae de situ orbis libri tres, ad omnium Angliae et Hiberniae codicum Mss. fidem summa cura et diligentia recogniti et collati, tabulisque cuncta in eo scriptore gentium locorumque amplectentibus nunc primum il-*

lustrati. Opera et studio Io. Reinoldii. Iscae Dumnoniorum. — Praestans editio, et viginti septem tabulis orbis antiqui commendabilis. » In contextu sine Mss. auctoritate nihil se mutasse auctor affirmat. Quod ad Codices autem attinet, quorum ope adiutus fuit, dicit se impressum exemplar nactum fuisse, in cuius margine Bernardus, apud Oxonienses olim Astronomiae Professor, multorum Mss. variantes lectiones, dum peregre esset, adscripserat. Ms. autem ex Collegio Greshamiensi; alterum ex Archiepiscopi Cantuariensis bibliotheca, quem Vossius prae omnibus, quos viderat aliis, commendat; tertium ex Novo Collegio Oxonii; quartum denique apud Hibernos se contulisse ait. His accesserunt tria exemplaria typis edita, unum ex prima omnium editione, ac duo altera ante annum MD. publicata. « Haec Io. Wardus in Epist. ad Abr. Gronovium. Ipse editor operis sui institutum lectoribus non aperuit, neque notas adposuit: quare certum iudicium de receptis ab eo lectionibus ferri nequit. Sequitur autem inprimis Vossianam textus recensionem.

1719 *Londini.* 4. *Pomp. Melae de situ orbis libri tres, ad omnium Angliae et Hiberniae codicum Mss. fidem collati* etc. ut in ed. anteced. *Londini, apud Gul. Taylor.* — Ad editionem 1711. excusa.

1722 *Lugduni Bat.* 8. *Pomp. Melae de situ orbis libri III. Cum notis integris Herm. Barbari, Petr. Io. Olivarii, Fred. Nonii Pintiani, Petr. Ciacconii, Andr. Schotti, Is. Vossii, et Iac. Gronovii. Accedunt Honorii Oratoris Excerpta cosmographiae. Cosmographia falso Aethicum auctorem praeferens cum varr. lectt. ex Ms. Ravennatis Anonymi Geographia ex Ms. Leidensi suppleta. Curante Abrahamo Gronovio. Lugd. Bat. ex officina Sam. Luchtmans.* — Contextum ex paterna ed. 1696. ad verbum fere expressum exhibuit Abrahamus filius. Textui subiunxit integras Barbari, Olivarii, Pintiani et Schotti notas; quibus accedunt paternae, multis accessionibus locupletatae. Sequuntur tandem observationes Vossii, et notae Ciacconii, quas ex cod. bibliothecae Leidensis descriptas cum editore communicaverat Sigeb. Havercampus. Praemissae sunt praecipuorum editorum praefationes, cum typo orbis ter-

rarum ex mente Pomp. Melae a Petro Bertio delineato.

1738 *Curiae Variscorum.* 8. sine notis. *Pomp. Melae de situ orbis libri tres, ad splendidissimum exemplar Abr. Gronovii recusi, et indicibus copiosis adornati ab Henr. Adamo Meisnero, Schleizensi.*

1739 *Londini.* 4. *apud Sam. Birt.* — Repetitio editionis Reinoldii 1711. sine ulla et tituli et textus varietate, adnexis etiam tabulis geographicis.

1743 *Lugduni Bat.* 12. *Pomp. Melae de situ orbis libri III. ad veterum exemplarium fidem castigati. Lugd. Bat. ex officina Luchtmanniana.* — Curavit Abr. Gronovius, qui nomen dedicationi praefixit. Textum habet sine notis, ad editionem Reinoldi denuo recognitum.

1744 *Curiae Variscorum.* 8. — Recusa editio Meisneriana 1738.

1748 *Lugduni Bat.* 8. *Pomp. Melae de situ orbis libri tres, cum notis integris Herm. Barbari* etc. *Curante Abrahamo Gronovio.* — In hac nova editione accessere praeter alia ornamenta notae Petr. Io. Nunnesii in duo priora capita libri primi, et Iac. Perizonii ad libri I. capita 17. Textus denuo recensitus et castigatus est ad Mss. codices.

1752 *Glasguae.* 12. *Pomp. Melae de situ orbis libri tres, ex recensione Abr. Gronovii. Excudebant Robertus et Andreas Foulis.*

1756 *Curiae Variscorum.* 8. — Repetita Meisneri editio ad recensum Gronovii.

1761 *Etonae.* 4. *typis Io. Pote bibliop. et typograph.* — Editio Reinoldiana, quam titulus alteram vocat, ut iam antea praeferebat editio 1739. a qua non nisi loco et bibliopola differt.

1773 *Lipsiae.* 8. *Pomp. Melae de situ orbis libri III. ex recensione Gronoviana, in usum scholarum. Lipsiae, impensis Weidmanni heredd. et Reichii.* — Praefatus est Aug. Guil. Ernesti. Ad calcem adiectae excerptae variorum notulae. Haud magni pretii editio.

1774 *Curiae Regnitianae.* 8. ex recensione Abr. Gronovii, curante *Io. Kappio*, cum varietate lectionis et indice. — Utilis editio, auctius recusa ibid. an. 1781.

1775 *Etonae.* 4. Reinoldiana editio denuo impressa, factis passim mutationibus.

1781 *Curiae Regnitianae.* 8. *Pomp. Melae de situ orbis libri III. cum varietate lectionis Reinold. et Gronov. Accedunt Indices locupletissimi in usum scholarum. Curante Io. Kappio. Editio altera multum auctior. Curiae Regnitianae, apud Io. Gottl. Vierlingium.* — Vid. an. 1774. Scatet, quod dolendum, vitiis typographicis, adeoque iuventutis commodis minus est apta.

1782 *Wirceburgi.* 8. ap. *Stahel.* — Nudus est textus ex Gronoviano exemplo redditus.

1790 *Norimbergae.* 12. *Pomp. Melae de situ orbis libri III. ex recensione Is. Vossii atque Gronovii. Norimbergae, apud Riegel.*

1804 *Parisiis* et *Pictavii.* 8. 3. voll. cum versione Gallica *C. P. Pradin.* — Vid. infra Verss.

——— *Lincii.* 8. Auctor est *Fr. Nic. Titze*, historiae Professor in Lyceo Lincensi, qui bibliothecam Latinam classicam octo Tomis instruxit, quibus auctores Rom. veteres, prosaicos et poëticos, partim integros, partim excerptos in commodum iuventutis complecti et notas criticas maxime adiicere statuit. Agmen ducit Mela, cui introductionem praemisit, in qua de eius vita, scriptis etc. breviter disserit. In textu sequitur recensionem Vossii, ita tamen, ut aliqua ad vetustiorum exemplarium fidem, pauca etiam ad suam coniecturam immutaverit, quorum quidem rationem in notis dedit.

1806 et 1807 *Lipsiae.* 8 mai. 3 voll. quorum secundum et tertium tribus singula partibus constant. *Pomp. Melae de situ orbis libri tres, ad plurimos Codices Mss. vel denuo vel primum consultos aliorumque editiones recensiti, cum notis criticis et exegeticis vel integris vel selectis Hermolai Barbari, Ioach. Vadiani, Petr. Io. Olivarii, Fredenandi Nonii Pintiani, Petr. Ciacconii, Andr. Schotti, Io. Oporini, Petr. Io. Nunnesii, Is. Vossii, Iac. et Abr. Gronoviorum, et Iac. Perizonii, nec non msstis Io. Georg. Graevii, Iac. Gronovii, et Petr. Burmanni, conlectis praeterea et adpositis doctorum virorum animadversionibus, additis suis a Car. Henr. Tzschuckio. Lipsiae, sumtibus Siegfr. Lebrecht Crusii.* — Volumen primum post praeviam Dissertationem de Pomponio Mela eiusque libro a pag. I. ad CLIV. exhibet textum auctoris multo quam adhuc habebatur emendatiorem,

cum Indice duplici: 1) Verborum copiosissimo. 2) Geographico et historico. Volumine secundo continentur Notae criticae. Tertium habet Notas exegeticas. Editio inter praestantissimas non solum Melae, sed omnino veterum auctorum, quae unquam lucem viderunt, numeranda.

1808 *Viennae. 8. Pomp. Melae de situ orbis libri III. ad optimas editiones collati, cum indice copiosissimo. Viennae, apud Pichler.* — Videtur esse repetitio editionis Kapianae.

VERSIONES.

HISPANICAE.

1642 La Geographia de Pomponio Mela illustrada con nombres modernos de lugares, montes, y rios, por *Luis Tibaldos* de Toledo. En Madrid. 8.

1644 Compendio geographico i historico de el orbe antiquo, i Descripcion de el sitio de la Tierra escripta por Pomponio Mela Espannol antiguamente en la Republica Romana, con nueva i varia illustracion, restituido a la suia Espannola, de la Libraria de Don Iusepe Antonio Gonzalez de Salas. En Madrid, por Diego Diaz de la Carrera. 4.

GALLICA.

1804 Pomponius Mela, traduit en françois sur l'édition d'Abraham Gronovius, le texte vis-à-vis la traduction, avec des notes critiques, géographiques et historiques, qui ont pour objet de faciliter l'intelligence du texte et de justifier la traduction, de mettre en parallèle les opinions des Anciens sur les principaux points de géographie, de chronologie et d'histoire, et de présenter un système complet de géographie comparée, par *C. P. Fradin*, Professeur de géographie et d'histoire. A Paris et Poitiers. 8. 3 voll. avec 2. cartes géographiques.

ITALICA.

1557 I tre libri di Pomponio Mela del sito, forma, e misura del mondo, tradotti per Messer *Tommaso Porcacchi*. In Vinegia, appresso Gabriel Giolito de' Ferrari. 8.

ANGLICAE.

1585 The Worke of Pomponius Mela the Cosmographer of the situation of the world, most orderly prepared and divided every parte by it selfe: with the Longitude and Latitude of everie Kingdome, Regent, Province, Rivers, Mountaines, Citties and Countries. Whereunto is added that learned worke of Julius Solinus Polyhistor, with a necessarie Table for this Booke; right pleasant and profitable for Gentlemen, Marchaunts, Mariners, and Travellers. Translated into Englyshe by *Arthur Golding*. London, printed by Thomas Hacket. 4.

1590 The rare and singular Worke of Pomponius Mela, that excellent and worthy Cosmographer *etc. ut in ed. antec.* London, printed for Thomas Hacket. 4.

GERMANICA.

1774 Pomponius Mela drey Bücher von der Lage der Welt. Ins teutsche übersetzt und mit einem vollstændigen geographischen Commentar zum Gebrauch des Schulen erlæutert von *Ioh. Christ, Dietz*. Giesen. 8.

NOTITIA LITERARIA
DE CARMINIBUS AVIENI
GEOGRAPHICIS

ex Ioannis Christiani Wernsdorfii Poëtis Latinis minoribus Tom. V. Part. II. p. 656 - 663.

I. Inter Carmina Avieni geographica[1] primum locum tenet *Metaphrasis Periegeseos Dionysii*, quae in antiquioribus quibusdam libris *Situs Orbis* vel *Ambitus Orbis*, in recentioribus plerumque inscribitur *Descriptio Orbis terrae*. Dodwellus[2] putat, cum Avienus Graecam vocem Περιήγησις non repetere in fronte libri, sed interpretari propria inscriptione, et suum nomen, non Dionysii, apponere voluerit, hoc eo fine fecisse, ut se auctorem magis poëmatis, quam interpretem, exhiberet. Et fere consentiunt in eo eruditi alii, ut Barthius, Vossius, Ramiresius, non esse carmen illud meram interpretationem Dionysii, sed proprium Avieni opus, quod ille, materia maximam partem a Dionysio sumta, suo impendio atque instrumento exstruxerit, quamvis non defuerint alii, qui versionem Dionysii esse imprudenter dicerent. Etenim non pauca Dionysii suo lubitu abiicit atque omittit, alia multa adiicit ex aliis forte scriptoribus hausta, omnia vero stilo liberrimo, et oratione tam luculenta ornataque exponit, ut legentes poëtam, suo ingenio excitatum, emi-

1 De Avieno eiusque carminibus conf. Fabricii Notitiam litter. praemissam editioni Fabularum Phaedri Bipont. p. XXXVIII. sqq.

2 In Dissertatione *de aetate Dionysii.*

nenti quodam spiritu ferri videamus. In quo sane plurimum differt a Prisciano, qui ubique strictior et religiosior in interpretando est, non poëtam, sed grammaticum, professus; quamquam et hic multa libertate usus est. Descriptionem Orbis terrae ante Oram maritimam esse compositam, ipse Avienus memorat, atque istam citat in Ora marit. v. 71. seq. Sed qui hanc Descriptionem primum omnium Avieni operum fuisse, eoque tirocinii rudimentum ab eo positum existimat, Cannegieterus, [1] haud dubie fallitur, et verba, e quibus hoc colligit, initio Descriptionis orbis posita, falso interpretatur:

— — — — *Oceanumque*
Carminis auspicium, primum memorate Camenae.

quippe *auspicium* Avienus non omnium carminum, quae unquam scripturus est, sed illius, quod nunc ingreditur, initium dicit Oceanum futurum, hoc est, primo loco et prima parte Descriptionis suae se acturum esse pronuntiat de Oceano, qui totam terram ambit; quae ipsa sententia Dionysii est, ab Avieno expressa. Sed hoc nimirum arripit Cannegieter, ut sententiae suae velificetur, qua cum omnium carminum, quae uni Avieno tribui solent, auctores dirimere conatur, tum hoc inprimis contendit, ut Fabularum auctorem, qui hoc primum opus suum profitetur, ab auctore Descriptionis orbis distinguat, sicut ab eodem paulo ante Arateorum auctorem discerni voluit. Sed qui Phaenomenôn et Geographicorum carminum non unum auctorem velit agnoscere, nescio qua ratione eum et quibus argumentis duci oporteat, cum non solum omnium Codicum tituli, in uno auctoris nomine consentientes, sed et interiora utriusque libelli, unus idemque genius auctoris, par et simile institutum, idem stilus ornatus, figuris, verbis antiquis, et constructione Graeca insignis, unicuique, qui gustum et scientiam earum rerum habet, persuadere debeant, unum Avienum eorum auctorem esse. Neque ineptum est credere, fuisse hoc institu-

1 Diss. *de aetate et stilo Avieni* cap. 7.

tum Avieni, ut coeli pariter atque orbis terrae descriptione facta, morem atque munus Geographorum plane exsequeretur, qui ubi partes terrae referre et definire ad coeli regiones solent, utriusque descriptionem amant coniungere. Qua in re praeivisse sibi poëtam Varronem Atacinum haud dubie noverat, cuius e fragmentis Chorographiae hodie exstantibus apparet, eum de coeli pariter ac terrarum regionibus locutum esse. Itaque hac ratione adductum Avienum, credimus, post Dionysii Periegesin Latino carmine expressam voluisse coeli et astrorum descriptionem ex Arato reddere.

II. Quod *Ora maritima* inscribitur carmen, versibus iambicis scriptum, non integrum, sed fragmentum operis est, qua omnem oram maris mediterranei, cum Ponto Euxino et Maeotide, ad mare usque Scythicum describere voluit. Hoc ipse auctor declarat a versu 53. ad 71. et videtur innuere inscriptio libelli, quam prima editio Ven. praefert, ac Pithoeus, P. Melian in ed. Madrit. et Hudsonus reddiderunt, *Orae maritimae liber primus.* Nam si haec inscriptio e vetusto Codice est, omnino significat vastum opus fuisse, quod totam marium interiorum oram describeret pluribus libris, quorum primus forte a Gadibus ad Ligusticum mare pertinuit. Nunc parte maiore eius operis perdita, initium tantum restat, longum id quidem, sed tamen et nonnullis lacunis hians, quod a freto Herculeo ad Massiliam usque procedit. Hoc opus, nescio, qui intactum Latinis ingeniis dicere Crinitus potuerit, cum Varronis Orae maritimae et Litoralia laudentur a veteribus. Et Io. Baleum illud magno errore non Avieno, sed Rufino cuidam, poëtae Britanno, tribuisse, in Prooemio ad Rutilium memoravimus. Ad Probum, virum Consularem, scriptum esse, idque versu primo indicari, Vossius et ex eo Funccius notant. Quod quidem hactenus verum esse non abnuo, ut Probus intelligatur, qui aliquando honoribus Consularibus floruit, sed id ab Avieno hoc loco significari nego. Probum enim nudo no-

mine alloquitur, neque alium, quam amoris et benevolentiae honorem habet, sanguine sibi iunctum, et liberorum loco esse significans, ceterum tum, cum scriberet, adolescentem admodum, cuius docilitati et discendi cupidini gratificari ea descriptione Orae maritimae cupit. Nempe, ut ex versu carminis 1. et 32. patet, interrogaverat Probus, nobilis iuvenis, Avienum, quis Ponti Euxini et maris Maeotici situs esset; cui desiderato quo benignius accuratiusque respondeat, omnem maris mediterranei ambitum edocendum suscipit, ut inde Maeotici situm maris, quod pars extrema et terminus illius est, hoc melius intelligeret. Hoc loco non intempestivum, nec ad declarandum operis de Ora maritima scopum inutile sit, quaerere, quae causa fuerit, cur et Probus iuvenis de situ maris Maeotici tam curiose quaereret, et Avienus, qui parentis in hoc officium se praestare ait, tam operose et diligenter, quippe longo carmine elaborato, respondendum putaret. Et, nisi plane fallor, haec causa fuit. Erat Probus, iuvenis, qui honoribus et divitiis eluxit postea, ex ea gente, quae Aniciis, Clodiis, Flavianis, Hermogenianis, Olybriis, ipsisque Avienis innexa, ingentes divitias et amplissima patrimonia per omnes fere Romani imperii provincias, mari mediterraneo circumiacentes, possidebat, et sine dubio tot praefecturis Pr. Orientis, Italiae, Illyrici continuo gestis acquisiverat. In Ponti tractibus ampla habuisse praedia, Pontici nomen declarat, Hermogeni Praefecto Pr. Orientis, a quo Hermogeniani nominati, tributum; in Thracia Olybrii. [1] Anicios fere solos maximas opes possidere scribit Zosimus, [2] et *Casas*, villam Aniciorum in Africae regione Syrtica, memorat Itinerarium Anton. Flavianum Myrmecium agros et praedia in Taurica habuisse, cognomen ostendit; in Africa & Iberia, Avienus noster in carmine testatur. Musoniano, quem ipsum Avieni nostri cognatum puto, agros in Asia

1 Vid. Reinesius Epist. ad Rup. pag. 641.

2 Lib. VI. cap. 7.

fuisse, innuit Symmachus.[1] Denique de ipso, qui haec iuvenis quaesivit, Petronio Probo, Praef. Pr. Ammianus Marcellinus[2] tradit, sparsa per universum orbem Romanum patrimonia habuisse. Iam puer nobilis, qui tot regnorum et villarum dominus futurus erat, qui praediorum multorum, quae gentiles sui per diversas et longinquas orbis Romani terras tenebant, vix nomina tenere, nedum regiones et situs poterat, hic, mirum non est, si de regionibus praediorum, praesertim longinquis, curiosius quaesivit, atque hinc situm maris extremi, Maeotici, praecipue cognoscere voluit,[3] cuius in terris adiacentibus plurimas eius gentis possessiones fuisse diximus. Avienum vero negotio eo suscipiendo, credibile est, inservire, non modo studiis, sed et gloriae gentis illius, cui scribebat, voluisse, operamque dedisse, ut Probo per occasionem eam plurima, si non omnia, gentis suae praedia per insulas et ambitum maris mediterranei ostenderet; neque dubium est, quin ille per totum opus regna nobilium Romanorum diligenter annotaverit, modo illud integrum, nec parte maxima truncatum, ad nos pervenisset. In ipso mari Maeotico describendo praecipuum sibi auctorem fuisse Sallustium profitetur, *ad cuius inclitam descriptionem multa* se dicit *iunxisse*, quae ex Graecorum commentariis sumsisset. Unde totius Orae maritimae descriptio enata videtur. Atque ex hoc loco Avieni colligo, Sallustium descriptionem Ponti Euxini singulari libro dedisse, quem miror a viris doctis, qui de Romanis scriptoribus egerunt, inter deperdita Sallustii scripta non memorari. Etsi videri potest Sallustius, ut quidam existimant, hanc descriptionem libro IV. Historiarum, ubi de

1 Epist. Lib. III. 53.

2 Lib. XXVII. c. 11.

3 Non est mirum, inquam, Probum iuvenem praedivitem haec quaesivisse, siquidem Ammian. Marcell. Lib. XIV. c. 6. scribit, eam suo tempore arrogantiam et vanitatem nobilium et Senatorum Romanorum esse, ut *patrimonia sua in immensum extollant, cultorum utpote feracium multiplicantes annuos fructus, quae a primo ad ultimum solem se abunde iactitant possidere.*

bello Mithridatico egit, inseruisse, idemque fecit Amm. Marcellinus lib. XXII. cap. 8. qui per occasionem profectionis Iuliani in Orientem situm Pontici sinus et regiones populosque per eum tractum monstrare suscipit; tamen, cum ea descriptio toties sub peculiari titulo citari a Grammaticis soleat, id satis causae esse videtur, ut pro libro Sallustii singulari habeamus. Nonius Marcellus [1] *Sallustium in Situ Ponti* allegat: Commentator Horatii [2] *de situ Pontico*: Servius [3] *Sallustium de Ponto.* Alia fragmenta, in quibus de Ponto et eius populis agitur, si nudum auctoris nomen, nec eius libri titulum appositum habent, [4] propterea ad alium Sallustii librum referri non debent. Si omnia fragmenta libri IV. Historiarum, ad quem pertinuisse descriptionem Ponti putant, relegimus, nullum in iis reperimus, quod ad Pontum eiusque gentes spectet. Quae igitur ad hunc spectant, et nunquam ad Historiarum aliquem, sed aliquando ad proprii tituli librum referuntur, haec probabiliter indicant, librum Sallustii de Situ Ponti seiunctum ab eius historiis fuisse. Ceterum mirum videri potest, cum olim M. Terentii Varronis liber *de Ora maritima* exstiterit, a Servio aliquoties citatus, hunc ab Avieno non usurpatum, nec iuxta Sallustium inter fontes materiae suae memoratum esse. Sed fortasse Varronis liber non similis Avieni proposito fuit, nec maris mediterranei ambitum complexus est, siquidem e Servii loco ad Aen. I. 112. potest colligi, eum solummodo, vel praecipue, de ora maritima Italiae egisse. Illud magis mirari licet, Avienum in exponenda Ora maritima commentariis vetustissimorum Graecorum, quos ipse versu 42. seqq. nominat, plurimum usum esse, atque notitiam locorum et gentium antiquis temporibus magis, quam suis, accommodasse. Unde de ea parte Descriptio-

1 Pag. 524. edit. Paris. in v. *Proximum.*

2 Ad Carm. lib. I. Od. 17. 18.

3 Ad Aeneid. III. 533.

4 Ut in Servio ad Aen. II. 312. XII. 141. Macrob. Saturn. VII. 12. Scholiast. Iuvenal. XV. 115.

nis, quae hodie superest, et Hispaniae maxime oram continet, Petrus de Marca 1 observavit, Avienum antiquata gentium nomina usurpare solere, eaque omittere, quae tum in usu erant, cum ipse scriberet. Sed videtur eum amor et copia lectionis antiquae et literarum Graecarum permovisse, ut hoc consilio uteretur, et fortasse ad dignitatem nobilis et praedivitis iuvenis putabat pertinere, ut per occasionem hanc uberiore doctrina imbueretur, atque e praesenti gentium locorumque statu in memoriam vetustiorum temporum adduceretur. Neque tamen in recensendis locis omisit plane, quae nova et suis temporibus nota essent, ut e pluribus locis fragmenti, quod superest, apparet.

1 Marcae Hispanicae lib. I. cap. XII. num. 5.

Editiones carminum Avieni geographicorum.

1488 *Editio princeps Veneta* libri Phaenomenon et carminum geographicorum. 4. curante *Georg. Valla.* Praemittitur praefatio Victoris Pisani ad Paulum Pisanum, Senatorem Venetum. In fine legitur: *Hoc opus impressum Venetiis arte et ingenio Antonii de strata Cremonensis. Anno salutis MCCCCLXXXVIII. octavo Cal. Novembres.* — Pluribus eam descripsit Wernsdorfius Tom. V. P. 2. Poët. Lat. min. pag. 692-700.

1502 *Venetiis.* fol. *R. F. Avieni de orbis terrae partibus liber.* — Memoratur Nic. Antonio Bibl. vet. Hisp. lib. II. cap. 9. pag. 161. qui eam cum aliis in bibliotheca Barberina Romae esse ait.

1508 *Viennae.* 4. *Dionysii Periegesis. I. Situs orbis Ruffo Festo interprete.* In fine: *Vienne. Cuspinianus nevos et verrucas sustulit: Winterburger impressit.* — Denis Wiens Buchdrucker-Geschichte pag. 19.

1513 *Bononiae.* 4. *Situs orbis Dionysii Ruffo avieno interprete*, cum epistola *Io. Antonii Modesti* nuncupatoria. In fine: *Bononiae, per Benedictum Hectoris bibliopolam bononiensem Anno dni. MDXIII. mensis Novembris.* — Panzer Tom. VI. pag. 327.

1515 *Viennae.* 4. *Dionysii Afri ambitus orbis: Rufo Festo Avieno paraphraste: castigatissime impressus. Pellegente et conferente proba exemplaria Ioachimo Vadiano Helvetio: qui partim aliorum iudicio, partim suo studio et diligentia, pleraque loca, quae antehac viciosissime impressa erant, in communem studiosorum utilitatem restituit: observata clausularum carminumque exacta distinctione: ut iam vel mediocriter eruditi ex Avieno, studio etiam privato, proficere abunde possint.* Haec commonitio, instar praefationis, in fronte libri posita, ipsique titulo subiecta est. Textus statim pagina aversa incipit. In fine haec leguntur: *Vadianus tandem nevos et verrucas pro virili sustulit: Ioannes Singrenius diligenter impressit. Vienne mense Februario Anno* etc. *Decimo quinto.* — Denis Wiens Buchdrucker-Geschichte pag. 118. Praestantissima editio.

1590 *Parisiis.* 12. Inter Pithoei Epigrammata et Poëmatia vetera. — Expressa est haec editio maximam partem e prima Veneta, sed nonnullis in locis vitiosior ipsa Veneta est: Vadianae elegantiam nulla parte assequitur.

1596 *Lugduni.* 8. Inter Pithoei Epigrammata et Poëmatia vetera Lugduni repetita.

1608 *Antverpiae.* 8. Inter *Poëmata vetera*, quae adiuncta sunt Daretis Phrygii de bello Troiano libris VI. a Corn. Nepote Latino carmine donatis, edita est *R. F. Avieni Descriptio orbis terrae* cum Lucani Panegyrico ad Calp. Pisonem etc. per *Alex. Car. Trognaesium, Antverpiae apud Ioach. Trognaesium.* — Expressa est haec ex Pithoeana, paucis exceptis.

1619 *Genevae.* Inter Pithoei Epigrammata et Poëmatia vetera, recusa Genevae. — Vid. ad ed. 1590.

1632 *Duaci.* 8. cum Darete Phrygio etc. — Repetitio ed. 1608.

——— *Antverpiae.* 4. una cum Fabulis Avieni.

1634 *Madriti.* 4. *Ruffi Festi Avieni V. C. Opera quae extant, nimirum Descriptio orbis terrae, orae maritimae, Arati Phaenomena, Fabularum liber, Epigrammata varia. Don Petrus Melian, in Conventu Guatimalensi Novae Hispaniae regius Auditor, collegit, ex bibliotheca D. Laurentii Ramirez de Prado.* In ultima pagina libri: *Madriti ex offic. Franc. Martinez.* — Editio haec una

ex omnibus est, quae Avieni opuscula, quotquot ei tribuuntur, coniuncta exhibet. Textus omnium carminum, praeter Aratea, de Pithoei exemplo valde mendoso sumtus atque descriptus est, nullis nisi apertissimis vitiis correctis, et novis admissis.

1712 *Oxoniae*. 8. Inter Geographiae veteris Scriptores minores a *Io. Hudsono* editos Vol. IV. — Textum Pithoeano paulo emendatiorem dedit Hudsonus, eique varias lectiones et coniecturas eruditorum subiecit.

1713 *Londini*. fol. Inter Opera et Fragmenta veterum poëtarum profanorum et ecclesiasticorum, a *Mich. Maittairio* collecta et edita, Vol. II. — Textus apparet ex Hudsoni exemplo exscriptus.

1766 *Pisauri*. 4. In Collectione Pisaurensi omnium poëmatum, carminum, fragmentorum Latinorum, Tom. IV.

1786 *Amstelodami*. 8. *Rufi Festi Avieni Descriptio orbis terrae, cum coniecturis nonnullis Clar. Schraderi nunc primum editis, ac textui subiectis. Accedunt Nic. Heinsii, Casp. Barthii, Cl. Salmasii aliorumque adnotationes in Avienum. Impensis et curis H. Friesemanni, qui hic illic sua addidit. Amstelodami, apud Petrum den Hengst.* — Textum exhibet ex Hudsoniana editione non admodum accurate exscriptum, subiectis variis lectionibus et coniecturis ab Hudsono collectis, quibus subinde immixtae sunt ineditae Schraderi, Heinsii, aliorum. Ad calcem apponuntur capita nonnulla ex Heinsii et Barthii Adversariis, e Salmasii Exercitt. Plin. et ex libro Observat. Miscell. descripta, quibus Avieni aliquot loca corriguntur, aut explicantur.

1791 et 1792 *Helmstadii*. 8. Inter Poëtas Latinos minores, a *Io. Christ. Wernsdorfio* editos, et commentariis illustratos, Tom. V. P. II. et III. *Helmstadii, impensis C. G. Fleckeisen.* — Praestans editio, omniumque emendatissima et locupletissima.

DE
PRISCIANI PERIEGESI.*

PRISCIANI Caesareenis [1] Periegesis Latino carmine expressam exhibet Περιήγησιν Οἰκουμένης, sive Enarrationem Orbis, Dionysii Alexandrini, qui ab opere suo ipse Periegeta vocari solet. Quo titulo Priscianus suum poëma inscripserit, admodum dubium est. Nam exemplaria antiqua, calamo exarata pariter, atque aere excusa, valde inscriptiones variant. Plerique ipsum Dionysii opus nominant, addito nomine interpretis Prisciani, atque vel *Dionysii Cosmographiam*, vel *opus de situ orbis*, vel *Descriptionem orbis habitabilis*, vel *Orbis ambitum*, Prisciano interprete, vel a Prisciano, aut Rhemnio Fannio e Graeco versum etc. inscribunt. Rectius fecisse videntur, qui Priscianum ipsum, ut auctorem, nominarunt, Dionysium, ut fontem operis; veluti antiqua Veneta operum Prisciani editio 1475. inscripsit *Prisciani Interpretatio ex Dionysio de orbis situ*, et alia 1485. *Prisciani de situ orbis carmen.* Qui accuratissime

* Ex Io. Christ. Wernsdorfii Poëtis Lat. min. Tom. V. Part. I. p. 225. seqq.

1 Caesareensis vocari solet, non quia Caesarea oriundus fuit, nam patria Romanus a plerisque habetur, sed quia literis ibi institutus et diutissime versatus fuit. Intelligenda autem Caesarea Palaestinae, quae urbs eo tempore celeberrima literarum cultu fuit. Iustiniani tempore floruisse, certissimus omnium testis est Cassiodorus, ipsius aequalis, qui in Orthographiae capitis XIII. inscriptione praedicat, Priscianum Grammaticum suo tempore Constantinopoli doctorem fuisse. Docuit autem Constantinopoli in aula Imperatoris publico stipendio conductus, et Professor Grammaticae constitutus, adeoque Christianus, quod ipsum plura Periegeseos ab eo scriptae loca testantur.

et recentius Prisciani poëma ediderunt, ut Papius, Pithoeus, Hudsonus, inscribendum illud putarunt *Prisciani Periegesis e Dionysio.* Quam inscriptionem ut fide Codicis manuscripti innixam puto, ita cum Henr. Dodwello pro verissima et genuina ipsius Prisciani habeo. Nam auctorem indicat, qui sibi Periegesin Latinam quasi propriam vindicet, nec solum Graecam interpretetur: quod sane ipse voluit Priscianus, in ipsoque carmine satis testatus est, quo quidem Dionysii textum et seriem rerum sequitur, sed pro lubitu pertractat, et pro personae suae vel instituti ratione sciens et prudens mutat; multa breviter dicta latius explicat, alia, quae ille copiosius, contrahit: quae Dionysius pro more ethnicorum poëtarum extulit, hic ad rationem et sensum Christianismi accommodat: multa a Dionysio narrata praetermittit plane et detruncat, contra aliis in locis plurima de suo aut alieno interserit, arcessitis aliunde, et, maxime e Solino, repetitis, rebus memorabilibus, ad historiam regionis cuiusque pertinentibus, quas narrationi Dionysii tanquam appendlces annectit, ut pluribus exemplis demonstravit Henr. Dodwellus in Dissert. de aetate et patria Dionysii, eius Periegesi ab Hudsono praemissa, §. 25. Omnia vero plana et facili, nec usquam altius assurgente, oratione edisserit, totumque opus ad brevis institutionis rationes, et ad animos iuniorum, Geographiae notitia imbuendos, componit. Quod enim ipse Dionysius sibi ait propositum fuisse Perieg. v. 171. seq. ut poëmate suo speciem aliquam universi orbis intellectu facilem complecteretur, qua quis percepta alios imperitos posset de singulis edocere; hoc inprimis Priscianus, tanquam officium Grammatici, videtur amplexus, et propterea Dionysianum poëma ad docendum vertisse, quod ipsum non intermisit his versibus profiteri:

Nunc tibi telluris regiones carmine pandam,
Ut cernas animo non visas lumine terras,
Atque docens alios lauderis pectore docto.

Editiones Periegesis Prisciani.

1476 *Venetiis.* fol. In antiquissima Operum Prisciani editione, inchoata anno 1475. et continuata an. 1476. Fini subscribitur: *Impressum Venetiis impensis Iohannis de Colonia sociique eius Iohannis mathen de Gherretzem Anno domini MCCCCLXXVI.*

1482 *Venetiis.* 4. una cum Pomp. Mela, per Erhardum Ratdolt Augustensem. Vid. editiones Melae h. a.

1485 *Venetiis.* fol. ex emendatione et recognitione *Ben. Burgnolli* Veronensis. Inter Opera Prisciani ab Hannib. Foxio et sociis impressa.

1499 *Coloniae.* 4. *Cosmographia Dionysii Thessalonicensis, imaginem terrae habitabilis, loca quoque a secularium ac divinarum rerum scriptoribus frequentata in se continens* etc. In fine legitur: *Cosmographia Dionysii Thessalonicensis de situ terrae habitabilis per Priscianum e greco in latinum traducta. Impressa Coloniae prope conventum predicatorum Anno Dni 1499. die ultima mensis Augusti.*

1512 *Viennae.* 4. *Dionysii Afri de situ orbis: sive Geographia, Prisciano, aut Fannio Rhemnio interprete lib. unicus. Ioannis Camertis in eundem Commentariolum.* Ad calcem: *Viennae Pannoniae, in aedibus Hieronymi Vietoris et Ioannis Singrenii sociorum. Expensis vero Leonardi et Lucae Alantse fratrum. Undecimo Kalendas Novembris. Anno M. D. XII.* — Inter primarias habenda Camertis editio.

1517 *Florentiae.* 8. In editione Melae Iuntina I. — Vid. supra pag. XXXVIII. h. a.

1518 *Venetiis.* 8. In editione Melae Aldina. — Vid. pag. XXXIX. h. a. Usus est hac editione Andr. Papius, qui textum a corretore valde mutatum et interpolatum fere ubique clamat in notis. Multos insititios versus habet, unde longior et numerosior versibus est, quam aliae editiones.

1519 *Ingolstadii.* 4. *Dionysii sive Libyos, sive Halicarnasii, de Geographia elegantissimus libellus a Prisciano, vel (ut aliis placet) a Fannio Rhennio e Graeco versus.* Titulo subiicitur distichon:

Aspice quam parvo lector studiose libello
Clausa sit immensi machina magna soli.

In fine legitur: *Impressum Ingolstadii per venerabilem*

virum M. Andream Lutzen, Anno salutis nostrae MD-XIX. decimo nono Kalendas Decembris.

——*Florentiae.* 8. In editione Melae Iuntina II. — Vide supra pag. XXXIX.

1521 *Venetiis.* 12. una cum Pomp. Mela, Solino etc. — Vide supra pag. XXXIX. seq.

1522 *Basileae.* 8. *Dionysii Afri de situ orbis opus studiosis necessarium, Graece scriptum. Idem in Latinitatem a Rhemnio Grammatico translatum, falso hactenus Prisciano adscriptum. In idem Coelii Calcagnini annotatiunculae, ex libris eiusdem excerptae. Basileae apud Valentinum Curionem, anno 1522. mense Septembri.* — Convenit cum Aldina, et multis locis corrupta est.

1526 *Florentiae.* 8. In editione Melae Iuntina III. — Vide supra pag. XL.

1530 *Coloniae.* 8. *Dionysius Afer, a Rhennio Fannio latinitate donatus: a Christiano Torchillo Morsiano ad exemplar Graecum diligenter castigatus, et cum memorabilium rerum, et celebrium locorum nominibus in marginibus illustratus. Coloniae apud Eucharium Cervicornum. Anno M. D. XXX. Mense Augusto.* — Sequitur quidem Torchillus exemplar Aldinum eiusque similia, adeoque et versus spurios et interpolationes habet, sed tamen hinc inde verba et dictiones castigavit, et nonnullas Camertis emendationes suscepisse videtur.

1539 *Lugduni.* 8. Antonini Itinerarium. Vibius Sequester de fluminibus etc. P. Victor de regionibus urbis Romae. *Dionysius Afer de situ orbis Prisciano interprete. Lugduni, apud heredes Sim. Vincentii.*

1561 *Basileae.* 8. Procli de Sphaera liber I. Cleomedis de mundo libri II. Arati Phaenomena. Dionysii Afri Descriptio orbis habitabilis. Omnia Graece et Latine. Sequitur pag. 788. *Dionysii Afri poëma de orbis situ, Prisciano interprete.* Subiunctae sunt in Dionysii opusculum de situ orbis aliquot annotatiunculae Ceporini. *Basileae, per Henricum Petri.* — Fabricius praeterea huic editioni annos assignat 1523. 1534. 1547. 1585. 8.

1575 *Antverpiae.* 8. Dionysii Alexandrini de situ orbis liber, interprete Andrea Papio, Gandensi. *Prisciani Periegesis e Dionysio, ex emendatione Andreae Papii*

Gandensis, cum eiusdem notis ad eam, et Musaei Hero et Leander interprete eodem. *Antverpiae, ex offic. Christ. Plantini.*— Optimis adnumeranda editio.

1577 *Parisiis.* 8. Dionysius cum versione Henr. Stephani prosaria, et Eustathii commentariis, *Prisciani metaphrasi et Andr. Papii notis in eam*, una cum Pomp. Mela etc. *Excudebat Henr. Stephanus.* — Conf. supra pag. XLV.

1578 *Rostochii.* 4. *Dionysius Afer de orbis situ, Prisciano interprete. Rostochii, excusa per Iac. Lucium.* — Praefationem praemisit Henr. Brucaeus, in qua breviter agit de Dionysii patria et aetate, de partitione et ordine rerum in carmine, denique de praestantia recentioris Geographiae prae antiqua. Constat foliis 28. Plane expressa ex Antverpiensi Papii.

1590 Inter Epigrammata et Poëmatia vetera a P. Pithoeo edita Parisiis 1590. 12. et repetita Lugduni 1596. 8. Genevae 1619. 8.

1697 *Oxoniae.* 8. Dionysii orbis Descriptio, cum veterum Scholiis et Eustathii Commentariis. Accedit *Periegesis Prisciani, ex editione et cum notis Andr. Papii. Oxonii, e theatro Sheldoniano.* Cum tabb. geograph. — Edidit Eduardus Thwaites, Collegii Reginae Socius.

1710 *Oxoniae.* 8. Dionysii orbis Descriptio, cum Commentariis Eustathii et Anonymi paraphrasi Graeca. Accedunt antiquae versiones *Prisciani* et *R. Festi Avieni.* Cum mappis geogr. (Cura *Io. Hudson.*) *Oxoniae, e theatro Sheldoniano.* — Repetita Londini apud Io. Bowyer an. 1717.

1712 *Oxoniae.* 8. Inter Geographiae veteris Scriptores minores a *Io. Hudsono* editos Vol. IV. — Textum sequitur Papii.

1713 *Londini.* fol. Inter Opera et fragmenta veterum poëtarum a *Mich. Maittairio* edita Vol. II.

1766 *Pisauri.* 4. In Collectione Pisaurensi omnium poëmatum, carminum, fragmentorum Latinorum, Tomo IV.

1788 *Altenburgi.* 8. Inter Poëtas Latinos minores, a *Io. Christ. Wernsdorfio* editos et commentariis illustratos, Tomo V. Part. I.

DE CLAUDIO RUTILIO NUMATIANO.

Claudius Rutilius Numatianus, natione Gallus, Magister officiorum s. palatii, Urbique praefectus, Honorio imperium tenente, floruit circiter annum U. C. 1169. qui est Christi 417. Qua provincia vel urbe Galliae oriundus fuerit, de eo ambigitur. Alii Tolosam, alii Pictavium ei patriam assignant. Patris sui *Lachanii* memoriam ipse in carmine suo celebrat, Lib. I. v. 595. eumque Proconsulari potestate Tusciae praefuisse, et statuam honoris et bene meritorum causa ei a Pisanis positam memorat v. 575. seqq. Post captam a Gothis Romam, vastatasque Italiam et Galliam, ad revisendas maiorum suorum sedes, easque e ruinis excitandas, evocatus Roma Rutilius, iter illud in patriam Galliam, in qua non diu post diem suum obiit, elegantissimo carmine scripsit. Sed dolendum sane est, magnam huius operis partem iniuria temporum intercidisse: de secundo enim libro pauca admodum supersunt. Quae tamen habemus, ita sunt egregia, ut, quo saepius legantur, eo maiorem sui faciant admirationem. Laudat Romam, laudat amicos suos honoratos, tam candide et eximie, ut in his simul proponat exempla, quae utinam consequerentur omnes, qui praesunt rebus humanis! Fuit quidem a sacris christianis alienus, sic tamen, ut ea minime sugillet. Nam cum monachos perversos aut sordidos Iudaeos vituperat, quid id ad christiana sacra attinet? Haec Dammius in Dedicat. editioni Rutilii praeposita. Ipsum poëma in monasterio Bobiensi sua aetate inventum tradit Raph. Volaterranus.

Editiones Rutilii.

1520 *Editio princeps Bononiensis*, curante *Io. Baptist. Pio.* 4. *Claudius Rutilius, poëta priscus, de laudibus Urbis, Etruriae et Italiae. Bononiae, in aedibus Hieronymi de Benedictis Bonon.* Praemittitur Io. Bapt. Pii Carmen elegiacum ad Leonem X. Pont. Max. Ad finem apponuntur quaedam Epigrammata Graecorum auctorum Latine conversa. Exstat in bibl. Academiae Georgiae Augustae.

1523 *Romae.* 4. Inter *Varios auctores de Roma prisca et nova*, editos Romae ex aedibus Iacobi Mazochii Rom. Academiae bibliopolae, decimo Kal. Febr. 1523. — Plane convenit hoc exemplum cum editione Bononiensi, ceterum negligenter et admodum mendose exscriptum est.

1546 *Parisiis.* 8. — Dubia editio. Memoratur in Catalogo Biblioth. Barberin. Tom. II. pag. 328.

1558 *Venetiis.* 8. Commentariis Reipublicae Romanae, s. de Urbe, imperio et civitate Rom. Onuphrius Panvinius *Itinerarium Rutilii* post Sextum Rufum et P. Victorem de regionibus urbis Romae inseruit libro I. de Urbe. — Repetiti hi Commentarii *Parisiis* 1588. 8. et *Francofurti* apud Wechelii heredes 1575. et 1597. fol. In Praefatione Rutilio praemissa profitetur Onuphrius, se Rutilium multis librariorum vitio obortis erroribus sublatis, emendatum, et aliquot versibus, qui in vulgato deerant, locupletatum, *Gabrielis Faërni* opera, denuo in lucem dare. Versus isti sunt quatuor 575-578.

1562 *Antverpiae.* 8. *Rutilii Claudii Numat. Galli Itineraria*, post Hieronymi Fracastorii varia Poëmata. Antverpiae, apud Martini Nutii viduam. — Repetit editionem Onuphrii, cuius etiam praefatio praeponitur, sed plurimis mendis scatet.

1575 *Basileae.* 12. Iosias Simlerus *Rutilii Claudii Itinerarium* post Aethici Cosmographiam et Antonini Itinerarium provinciarum, sequente Vibio Sequestre de flumin. et libello provinciarum Galliae, edidit, addita variarum lectionum annotatione, quas in Bononiensi et Onuphriana editione, item in ver-

sibus reperit, quos plurimos ex Rutilio citat Leander Albertus in Descriptione Italiae.

——— *Francofurti ad Moen.* 8. *Hodoeporica, sive Itineraria a diversis clariss. viris, tum veteribus, tum recentioribus, carmine conscripta: item Epigrammata de praeclaris urbibus, studio Nathanis Chytraei. Francof. ad M. apud haeredes Chr. Egenolphi.* — Rutilius hoc in syntagmate legitur a pag. 14.-40. Textus expressus ex editione Simleriana. Variae lectiones non additae,

1580 *Basileae.* 8. *Hodoeporicon sive Itinerum totius fere orbis lib. VII. Opus historicum, ethicum, physicum, geographicum, a Nic. Reusnero Leorino IC. iam olim collectum: nunc demum Ieremiae Reusneri fratris cura ac studio editum. Basileae ad Perneam Lecythum.* — Liber rarus, ut docuit Freytagius in Apparat. crit. Tom. III. n. C. et CI. Rutilii Itineraria secundum et tertium locum in libro III. tenent.

1582 *Romae.* 8. *Cl. Rutilii Numatiani Galli V. C. Itinerarium. Ab Iosepho Castalione emendatum, et adnotationibus illustratum. Romae, excudebat Vincentius Accoltus.* — Primaria haec editio Castalionis, qui primus Rutilium accuratius recensuit, emendavit, et adnotationibus rerum illustrandarum instruxit.

1590 *Parisiis.* 12. Inter Epigrammata et Poëmata vetera a Pithoeo edita.

1592 *Basileae.* 8. *Itinerarium totius orbis, sive opus peregrinationum variarum, in VII. classes distinctum, historicum, ethicum, physicum et geographicum. Ex recensione Nic. Reusneri. Secunda editio auctior, cum tergemino Indice,* auctorum, itinerum, rerum denique et verborum. *Basileae, per Cunradum Waldkirch.* — Rutilius legitur pag. 170.-194. Textus non differt ab ed. 1580.

1596 *Lugduni.* 8. Inter Pithoei Epigrammata et Poëmata vetera, h. a. repetita Lugduni.

1618 * *Lugduni.* 8. *Claudii Rutilii Numatiani Galli Itinerarium, cum animadversionibus Theodori Sitzmanni, Thuringi. Lugduni, excudebat Nic. Iullieron, typographus regius.* — Curavit Iustus Zingerlingius, qui dedicationem praemisit. In margine apponuntur variae lectiones Pii, Onuphrii, Leandri, Simleri, Castalionis. Animadversiones seorsum positae leguntur post ipsum poëma. Rara editio.

1619 *Genevae.* 8. Inter Pithoei Epigrammata et Poëmata vetera, recusa Genevae.

1623 *Francofurti.* 8. *Claudii Rutilii Numatiani Galli Itinerarium, sive de reditu suo libri II. in Germania nunquam editi. Caspar Barthius recensuit, et animadversionum commentarium adiecit. Francofurti, typis Wechelianis, sumtibus Danielis ac Davidis Aubriorum, et Clementis Schleichii.* — Praeter notas Barthii nihil habet praecipui. Textus enim plane ad exemplum Sitzmannianum excusus est, ita quidem, ut paginae paginis prorsus respondeant, nec errores quidem typographici sunt sublati.

1628 *Francofurti.* 8. Eadem repetita.

1687 *Amstelodami.* 12. *Cl. Rutilii Numatiani Galli Itinerarium, integris Simleri, Castalionis, Pithoei, Sitzmanni, Barthii, Graevii, aliorumque animadversionibus illustratum. Ex museo Th. Ians. ab Almeloveen. Amstelodami, apud Io. Wolters.* — Congessit, ut videre est, omnes superiorum interpretum annotationes, solas Graevii nondum editas ab auctore impetravit, suasque ipsius adiecit. In contextu plerumque superiores editores Castalionem et Sitzmannum sequitur.

1713 *Londini.* fol. Inter Opera et fragmenta veterum poëtarum Latinorum, a *Mich. Maittairio* edita, Vol. II. pag. 1410. seqq.

1721 *Luneburgi.* 8. *Cl. Rutilii Numatiani Galli de reditu suo in patriam, et laudibus urbis Romae, vulgo Itinerarium vocatum.* Hoc titulo Christ. Frid. Schmidius, Rector Ioannei Luneb. castigatum Rutilium, sed sine annotationibus, edidit.

1731 *Leidae.* 4. *Cl. Rutilii Numatiani Galli Iter, sive de reditu in patriam, cum notis integris Simleri, Castalionis, Pithoei, Sitzmanni et Barthii, curante P. Burmanno, qui et suas adiecit adnotationes.* Inter Poëtas Latinos minores a P. Burmanno editos Tom. II. pag. 1. seqq.

1741 *Altorphii.* 8. *Rutilii Claudii Numatiani Galli Itinerarium. Integris Io. Georg. Graevii, Theod. Ians. ab Almeloveen animadversionibus Andreas Goetzius Norimb. recensuit. Altorphii, apud L. Schupfel* 1741. et novo titulo praefixo 1743. Inscite et negligenter facta editio.

1752 *Glasguae.* 8. Inter Poëtas Latinos minores ex editione Petri Burmanni repetitos, pag. 71-92.

1760 *Brandenburgi.* 8. *Claudii Rutilii, Viri Clarissimi, de reditu suo libri II. Accurate recensuit Christ. Tobias Damm.* Addita est *Paraphrasis perpetua carminum Cl. Rutilii de reditu suo, curante Tob. Dammio,* eodem loco et anno. — Textum exhibet accurate recensitum, et multis locis felicius, quam superiores editiones, interdum tamen audentius refictum. Paraphrasis adiecta luculenti instar commentarii est, et admodum utilis ad poëtam intelligendum.

1766 *Pisauri.* 4. In Collectione Pisaurensi omnium poëmatum, carminum, fragmentorum Latinorum, Tomo IV. pag. 189. seqq.

1786 *Erlangae.* 8. *Claudii Rutilii Numatiani Galli, Viri Clarissimi, Itinerarium, sive de reditu quae supersunt. Recensuit, varietatem lectionis et Gottl. Cortii notarum in Rutilium fragmentum addidit Io. Christ. Kappius. Accedit Gottl. Christoph. Harles Epistola.* — In textu Dammium sequitur, nonnunquam tamen suas ipsius emendationes admisit, subinde etiam translocationes aliquas versuum tentavit. Quod in calce libri adiecit Cortii notarum in Rutilium fragmentum, ultra versum 27. non procedit.

1788 *Altenburgi, ex offic. Richteria.* 8. Inter Poëtas Latinos minores, a *Io. Christ. Wernsdorfio* editos, et commentariis illustratos, Tomo V. Part. I. — Optima editio, superiorum bona omnia complectens, et textum denuo recensitum exhibens cum eruditis adnotationibus.

GALLICA versio Itinerarii Rutiliani prosaica inserta est Collectioni Itinerariorum vorsa et prosa oratione scriptorum, (*Recueil amusant de Voyages en vers et en prose*) quae prodiit Parisiis 1783. sex voluminibus in 12. et exstat eius Tomo III. pag. 47.-90.

DE

VIBIO SEQUESTRE.

Vibius Sequester quibus in terris et sub quo coelo natus sit, nemo facile dixerit. Nomen eius Romanum hominem signat. Nota olim satisque celebrata fuit gens Vibia. At *Vibius Sequester*, quantum constat, aliunde, quam ex hoc libello, notus non est. Saxius in Onom. I. pag. 450. circa annum Christi 389. Oberlinus in Praefat. ad suam editionem pag. III. seq. post eversum imperium occidentis Romanum, quinto, vel sexto forsan, aut septimo demum seculo, vixisse suspicantur. Scripsit libellum vilem quidem, et vitiis scatentem, neque tamen plane inutilem ad antiquitatem et poëticam Geographiam cognoscendam, de fluminibus, fontibus, lacubus, nemoribus, paludibus, montibus, gentibus, quorum apud poëtas mentio fit. Princeps editio est *Pisaurensis*:

1512 C. Iulius Solinus de situ orbis et mirabilibus: *Vibius Sequester de fluminibus, montibus, lacubus et gentibus:* Provinciarum totius orbis nomina. *Impressum Pisauri ab Hieronymo Socino, ultimo Ianuarii MDXII.* fol. — Panzer Vol. VIII. pag. 237. Secutae sunt editiones sequentes:

1517 *Iuntina* I. cum Mela, aliisque aucδribus. *Florentiae.* 8. — Vid. supra pag. XXXVIII.

1518 *Aldina*, cum Mela etc. *Venetiis.* 8. — Vid. supra pag. XXXIX.

1519 *Iuntina* II. cum Mela etc. *Florentiae.* 8. — Vid. ibid.

1521 *Venetiis.* 16. cum Mela, Solino etc. apud *Alex. Paganinum.* — Vid. supra pag. XXXIX. seq.

1523 Inter varios auctores de Roma prisca et nova. *Romae, ex aedibus Iacobi Mazochii Ro. Academiae bibliopolae MDXXIII. Decimo Calendas Februarias.* 4.

1526 *Iuntina* III. cum Mela etc. *Florentiae.* 8. — Vid. supra pag. XL.

1539 *Lugduni*, ex praelo haeredum *Simonis Vincentii.* 8. una cum Marciano Capella, Itinerario Antonini, P. Victore, et Dionysio Afro. — Haec editio Vibium exhibet e Msto emendatum et suppletum.

1575 *Basileae.* 12. cum Aethico, Antonini et Rutilii Itinerariis etc. curante *Iosia Simlero.* — Conf. supra pag. LXIX.

1615 *Tolosae.* 8. cum Plutarchi libello de fluviorum et montium nominibus, itemque Psello de lapidum virtutibus, Vibium edidit *Iac. Phil. Maussacus.*

1711 *Roterodami.* 8. *Vibius Sequester de fluminibus, fontibus, lacubus, nemoribus, paludibus, montibus, gentibus, quorum apud poëtas mentio fit. Ex recensione Francisci Hesselii, cum eiusdem adnotationibus. Roterodami, apud Arn. Willis.* — Elegans editio, et sollicita cura ad mstos Codices emendata.

1778 *Argentorati.* 8. *Vibius Sequester de fluminibus, fontibus* etc. *Lectionis varietatem et integras doctorum commentationes adiecit et suas Ier. Iac. Oberlinus. Argentorati, apud Amandum Koenig.* — Textum denuo recensuit Oberlinus, usus lectionis varietate duorum Codicum, Parisini et Mediolanensis. Hesselii notae, quas per omnem suum librum sparserat, suo quaeque loco commodius in hac editione repositae, additis aliorum ipsiusque editoris observationibus. Praemissa brevis Dissertatio de Vibio eiusque libro. Adiecti indices sex.

POMPONII MELAE

DE

SITU ORBIS

LIBRI III.

POMPONII MELAE

DE

SITU ORBIS

LIBER I.

PROOEMIUM.

Orbis situm dicere aggredior, impeditum opus, et facundiae minime capax; (constat enim fere gentium locorumque nominibus, et eorum perplexo satis ordine, quem persequi, longa est magis quam benigna materia;) verum adspici tamen cognoscique dignissimum, et quod, si non ope ingenii orantis, at ipsa sui contemplatione pretium operae attendentium absolvat. Dicam autem alias plura et exactius: nunc ut quaeque erunt clarissima, et strictim. Ac primo quidem quae sit forma Totius, quae maximae partes, quo singulae modo sint atque habitentur, expediam; deinde rursus oras omnium et litora, ut intra extraque sunt, atque ut ea subit ac circumluit pelagus; additis, quae in natura regionum incolarumque memoranda sunt. Id quo facilius sciri possit atque accipi, paulo altius summa repetetur.

CAPUT I.

De Mundo et partibus eius.

Omne igitur hoc, quidquid est, cui Mundi Coelique nomen indidimus, unum id est, et uno ambitu se cunctaque amplectitur. Partibus differt: unde sol oritur, Oriens nuncupatur, aut Ortus; quo demergitur, Occidens, vel Occasus; qua decurrit, Meridies; ab adversa parte, Septemtrio. Huius medio Terra sublimis cingitur undique Mari: eodemque in duo latera, quae Hemisphaeria nominantur, ab oriente divisa ad occasum, zonis quinque distinguitur. Mediam aestus infestat, frigus ultimas: reliquae habitabiles paria agunt anni tempora, verum non pariter. Antichthones alteram, nos alteram incolimus. Illius situs ob ardorem intercedentis plagae incognitus; huius dicendus est. Haec ergo ab ortu porrecta ad occasum, et quia sic iacet, aliquanto, quam ubi latissima est, longior, ambitur omnis Oceano, quatuorque ex eo maria recipit: unum a septemtrione, a meridie duo, quartum ab occasu. Suis locis illa referentur. Hoc primum angustum, nec amplius decem millibus passuum patens, terras aperit atque intrat. Tum longe lateque diffusum, abigit vaste cedentia litora, iisdemque ex diverso prope coëuntibus, adeo in arctum agitur, ut minus mille passibus pateat. Inde se rursus, sed modice admodum, laxat: rursusque etiam, quam fuit, arctius exit in spatium. Quo cum est acceptum, ingens iterum et magno se extendit am-

bitu, et magnae paludi, ceterum exiguo ore, coniungitur. Id omne, qua venit, quaque dispergitur, uno vocabulo Nostrum mare dicitur. Angustias introitumque venientis, nos Fretum, Graeci Πορθμὸν appellant. Qua diffunditur, alia aliis locis cognomina acceptat. Ubi primum se arctat, Hellespontus vocatur. Propontis, ubi expandit. Ubi iterum pressit, Thracius Bosporus. Ubi iterum effundit, Pontus Euxinus. Qua paludi committitur, Cimmerius Bosporus. Palus ipsa, Maeotis. Hoc mari et duobus inclitis amnibus, Tanai atque Nilo, in tres partes universa dividitur. Tanais a septemtrione ad meridiem vergens, in mediam fere Maeotida defluit: ex diverso Nilus in pelagus. Quod terrarum iacet a freto ad ea flumina, ab altero latere Africam vocamus; ab altero, Europen: [ad Nilum, Africam; ad Tanain, Europen.] Ultra quidquid est, Asia est.

CAPUT II.

Brevis Asiae descriptio.

Tribus hanc e partibus tangit Oceanus, ita nominibus ut locis differens. Eous ab oriente, a meridie Indicus, a septemtrione Scythicus. Ipsa ingenti ac perpetua fronte versa ad orientem, tantum ibi se in latitudinem effundit, quantum Europe et Africa, et quod inter ambas pelagus immissum est. Inde cum aliquatenus solida processit, ex illo Oceano, quem Indicum diximus, Arabicum mare et Persicum, ex Scythico Caspium recipit: et ideo, qua recipit angustior, rursus ex-

panditur, et fit tam lata, quam fuerat. Deinde cum iam in suum finem aliarumque terrarum confinia devenit, media nostris aequoribus excipitur: reliqua altero cornu pergit ad Nilum, altero ad Tanain. Ora eius cum alveo Nili amnis ripis descendit in pelagus, et diu, sicut illud incedit, ita sua litora porrigit: deinde fit venienti obviam, et primum se ingenti ambitu incurvat, post se ingenti fronte ad Hellesponticum fretum extendit: ab eo iterum obliqua ad Bosporum, iterumque ad Ponticum latus curva, aditum Maeotidos transverso margine attingit: ipsam gremio ad Tanain usque complexa, fit ripa, qua Tanais est. In ea primos hominum ab oriente accipimus Indos, et Seras, et Scythas. Seres media ferme Eoae partis incolunt, Indi *et Scythae* ultima: ambo late patentes, neque in hoc tantum pelagus effusi. Spectant enim etiam meridiem Indi, oramque Indici maris (nisi quoad aestus inhabitabilem efficiunt) diu continuis gentibus occupant. Spectant et septemtrionem Scythae, ac litus Scythicum (nisi unde frigoribus arcentur) usque ad Caspium sinum possident. Indis proxima est Ariane, deinde Aria, et Cedrosis, et Persis ad sinum Persicum. Hunc populi Persarum ambiunt, illum alterum Arabes. Ab his, quod in Africam restat, Aethiopum est. Illic Caspiani Scythis proximi sinum Caspium cingunt. Ultra Amazones, ultraque eas Hyperborei esse memorantur. Interiora terrarum multae variaeque gentes habitant: Gandari et Paricani, et Bactri, Sugdiani, Harmatotrophi, Co-

marae, Comani, Paropamisii, Dahae super Scythas Scytharumque deserta. At super Caspium sinum, Chomari, Massagetae, Cadusii, Hyrcani, Iberi. Super Amazonas et Hyperboreos, Cimmerii, Zygi, Heniochoe, Gorgippi, Moschi, Cercetae, Toretae, Arimphaei, atque, ubi in Nostra maria tractus excedit, Matiani, Tibarani, et notiora iam nomina, Medi, Armenii, Commageni, Murrani, Veneti, Cappadoces, Gallograeci, Lycaones, Phryges, Pisidae, Isauri, Lydi, Syrocilices. Rursus ex his, quae meridiem spectant, eaedem gentes interiora a litore tenent usque ad sinum Persicum. Super hunc sunt Parthi et Assyrii: super illum alterum Babylonii, et super Aethiopas Aegyptii. Ripis Nili amnis et mari proxima iidem Aegyptii possident. Deinde Arabia angusta fronte sequentia litora attingit. Ab ea usque ad flexum illum, quem supra retulimus, Syria, et in ipso flexu, Cilicia: extra autem, Lycia et Pamphylia, Caria, Ionia, Aeolis, Troas usque ad Hellespontum. Ab eo Bithyni sunt ad Thracium Bosporum. Circa Pontum aliquot populi, alio alioque fine, uno omnes nomine Pontici. Ad lacum, Maeotici: ad Tanain, Sauromatae.

CAPUT III.

Brevis Europae descriptio.

Europa terminos habet ab oriente Tanaim, et Maeotida, et Pontum; a meridie reliqua Nostri maris; ab occidente Atlanticum, a septemtrione Britannicum Oceanum. Ora eius forma litorum a

Tanai ad Hellespontum, qua ripa est dicti amnis, qua flexum paludis ad Pontum redigit, qua Propontidi et Hellesponto latere adiacet, contrariis litoribus Asiae non opposita modo, verum etiam similis est. Inde ad Fretum nunc vaste retracta, nunc prominens, tres maximos sinus efficit, totidemque in altum se magnis frontibus evehit. Extra Fretum ad occidentem inaequalis admodum, praecipue media, procurrit: ad septemtrionem, nisi ubi semel iterumque grandi recessu abducitur, paene ut directo limite extenta est. Mare, quod primo sinu accipit, Aegaeum dicitur: quod sequenti, in ore, Ionium: Hadriaticum, interius: quod ultimo, nos Tuscum, Graii Tyrrhenum perhibent. Gentium prima est Scythia, alia quam dicta est, a Tanai in media ferme Pontici lateris: hinc in Aegaei partem pertinens Thracia Macedoniae adiungitur. Tum Graecia prominet, Aegaeumque ab Ionio mari dirimit. Hadriatici latus Illyris occupat. Inter ipsum Hadriaticum et Tuscum Italia procurrit. In Tusco intimo Gallia est, ultra Hispania. Haec in occidentem, diuque etiam ad septemtrionem, diversis frontibus vergit. Deinde rursus Gallia est, longe et a nostris litoribus huc usque permissa. Ab ea Germani ad Sarmatas porriguntur, illi ad Asiam.

CAPUT IV.

Brevis Africae descriptio.

Africa ab orientis parte Nilo terminata, pelago a ceteris, brevior est quidem, quam Europa, quia

nec usquam Asiae, et non totis huius litoribus obtenditur; longior tamen ipsa, quam latior, et, qua ad fluvium attingit, latissima, utque inde procedit, ita, media praecipue, in iuga exsurgens, pergit incurva ad occasum, fastigatque se molliter: et ideo ex spatio paulatim adductior, ubi finitur, ibi maxime angusta est. Quantum incolitur, eximie fertilis: verum quod pleraque eius inculta, et aut arenis sterilibus obducta, aut ob sitim coeli terrarumque deserta sunt, aut infestantur multo ac malefico genere animalium, vasta est magis, quam frequens. Mare, quo cingitur, a septemtrione, Libycum; a meridie, Aethiopicum; ab occidente, Atlanticum dicimus. In ea parte, quae Libyco adiacet, proxima Nilo provincia, quam Cyrenas vocant: dein, cui totius regionis vocabulo cognomen inditum est, Africa. Cetera Numidae et Mauri tenent: sed Mauri et in Atlanticum pelagus expositi. Ultra Nigritae sunt et Pharusii usque ad Aethiopas. Hi et reliqua huius, et totum latus, quod meridiem spectat, usque in Asiae confinia possident. At super ea, quae Libyco mari adluuntur, Libyes Aegyptii sunt, et Leucoaethiopes, et natio frequens multiplexque Gaetuli. Deinde late vacat regio, perpetuo tractu inhabitabilis. Tum primos ab oriente Garamantas, post Augilas, et Troglodytas, et ultimos ad occasum Atlantas audimus. Intra (si credere libet) vix iam homines, magisque semiferi, Aegipanes, et Blemyae, et Gamphasantes, et

Satyri, sine tectis ac sedibus passim vagi, habent potius terras, quam habitant.

Haec summa nostri orbis, hae maximae partes, hae formae gentesque partium. Nunc exactius oras situsque dicturo inde est commodissimum incipere, unde terras Nostrum pelagus ingreditur; et ab iis potissimum, quae influenti dextra sunt: deinde stringere litora ordine, quo iacent, peragratisque omnibus, quae mare attingunt, legere etiam illa, quae cingit Oceanus; donec cursus incepti operis, intra extraque circumvectus Orbem, illuc, unde coeperit, redeat.

CAPUT V.

Particularis Africae descriptio.

MAURETANIA.

Dictum est, Atlanticum esse Oceanum, qui terras ab occidente contingeret. Hinc in Nostrum mare pergentibus, laeva Hispania, Mauretania dextra est: primae partes, illa Europae, haec Africae. Eius orae finis, Mulucha: caput atque exordium est promontorium, quod Graeci Ἀμπελουσίαν, Afri aliter, sed idem significante vocabulo, appellant. In eo est specus Herculi sacer: et ultra specum Tinge, oppidum pervetus, ab Antaeo, ut ferunt, conditum. Exstat rei signum, parma elephantino tergori exsecta, ingens, et ob magnitudinem nulli nunc usuro habilis; quam locorum accolae ab illo gestatam pro vero habent traduntque, et inde eximie colunt. Deinde est

mons praealtus, ei, quem ex adverso Hispania attollit, obiectus: hunc Abylam, illum Calpen vocant, Columnas Herculis utrumque. Addit fama nomini fabulam, Herculem ipsum iunctos olim perpetuo iugo diremisse colles, atque ita exclusum antea mole montium Oceanum, ad quae nunc inundat, admissum. Hinc iam mare latius funditur, submotasque vastius terras magno impetu inflectit. Ceterum regio ignobilis, et vix quidquam illustre sortita, parvis oppidis habitatur, parva flumina emittit, solo, quam viris, melior, et segnitia gentis obscura. Ex iis tamen, quae commemorare non piget, montes sunt alti, qui continenter et quasi de industria in ordinem expositi, ob numerum, septem, ob similitudinem Fratres nuncupantur. Tamuada fluvius, et Rusgada, et Siga, parvae urbes; et portus, cui Magno est cognomen ob spatium. Mulucha ille, quem diximus, amnis est, nunc gentium, olim regnorum quoque terminus, Bocchi Iugurthaeque.

CAPUT VI.

NUMIDIA.

Ab eo Numidia ad ripas exposita fluminis Ampsaci, spatio quidem, quam Mauretania, angustior est, verum et culta magis et ditior. Urbium, quas habet, maximae sunt, Cirta procul a mari, nunc Sittianorum colonia, quondam regum domus; et, Syphacis cum foret, opulentissima. Iol ad mare, aliquando ignobilis; nunc, quia Iubae regia fuit, et, quod Caesarea vocitatur, illustris.

Citra hanc (nam in medio ferme litore sita est) Cartinna et Arsinna sunt oppida, et Quiza castellum, et Laturus sinus, et Sardabale fluvius: ultra, Monumentum commune regiae gentis; deinde Icosium et Ruthisia urbes, et fluentes inter eas Savus et Nabar, aliaque, quae taceri nullum rerum famaeve dispendium est. Interius, et longe satis a litore (si fidem res capit) mirum ad modum, spinae piscium, muricum ostrearumque fragmenta, saxa attrita (uti solent) fluctibus, et non differentia marinis, infixae cautibus ancorae, et alia eiusmodi signa atque vestigia effusi olim usque ad ea loca pelagi, in campis nihil alentibus esse invenirique narrantur.

CAPUT VII.

Africa proprie dicta.

Regio, quae sequitur a promontorio Metagonio ad aras Philaenorum, proprie nomen Africae usurpat. In ea sunt oppida, Hippo Regius, et Rusicade, et Thabraca. Dein tria promontoria, Candidum, Apollinis, Mercurii, vaste proiecta in altum, duos grandes sinus efficiunt. Hipponensem vocant proximum ab Hippone Diarrhyto, quod litori eius adpositum est. In altero sunt castra Laelia, castra Cornelia, flumen Bagrada, urbes Utica et Carthago, ambae inclitae, ambae a Phoenicibus conditae: illa fato Catonis insignis, haec suo; nunc populi Romani colonia, olim imperii eius pertinax aemula; iam quidem iterum opulentâ, etiam nunc tamen priorum excidio rerum,

quam ope praesentium clarior. Hadrumetum, Leptis, Clupea, Macomades, Thenae, Neapolis, hinc ad Syrtim adiacent, ut inter ignobilia celeberrimae. Syrtis sinus est centum fere millia passuum, qua mare accipit, patens; trecenta, qua cingit: verum importuosus atque atrox, et ob vadorum frequentium brevia, magisque etiam ob alternos motus pelagi adfluentis ac refluentis infestus. Super hunc ingens palus amnem Tritona recipit, ipsa Tritonis: unde et Minervae cognomen inditum est, ut incolae arbitrantur, ibi genitae: faciuntque ei fabulae aliquam fidem, quod, quem natalem eius putant, ludicris virginum inter se decertantium celebrant. Ultra est Oea oppidum, et Cinyps fluvius per uberrima arva decidens: tum Leptis altera et Syrtis, nomine atque ingenio par priori; ceterum altero fere spatio, qua dehiscit, quaque flexum agit, amplior. Eius promontorium est Borion, ab eoque incipiens ora, quam Lotophagi tenuisse dicuntur, usque ad Phycunta (et id promontorium est) importuoso litore pertinet. Arae ipsae nomen ex Philaenis fratribus traxere, qui contra Cyrenaicos missi Carthagine ad dirimendum conditione bellum, diu iam de finibus, et cum magnis amborum cladibus gestum; postquam in eo, quod convenerat, non manebatur, ut, ubi legati concurrerent, certo tempore utrinque dimissi, ibi termini statuerentur; pacti de integro, ut, quidquid citra esset, popularibus cederet, (mirum et memoria dignissimum facinus!) hic se vivos obrui pertulerunt.

CAPUT VIII.

Cyrenaica.

Inde ad Catabathmon Cyrenaica provincia est; in eaque sunt, Hammonis oraculum, fidei inclitae; et fons, quem Solis appellant; et rupes quaedam Austro sacra. Haec cum hominum manu attingitur, ille immodicus exsurgit, arenasque quasi maria agens, sic saevit, ut fluctibus. Fons media nocte fervet; mox et paulatim tepescens, fit luce frigidus; tunc ut sol surgit, ita subinde frigidior, per meridiem maxime riget: sumit dein tepores iterum; et prima nocte calidus, atque, ut illa procedit, ita calidior, rursus cum est media, perfervet. In litore promontoria sunt Zephyrion et Naustathmos, portus Paraetonius, urbes Hesperia, Apollonia, Ptolemais, Arsinoë, atque (unde terris nomen est) ipsa Cyrene. Catabathmos, vallis devexa in Aegyptum, finit Africam. Orae sic habitantur, ad nostrum maxime ritum moratis cultoribus, nisi quod quidam linguis differunt, et cultu Deûm, quos patrios servant, ac patrio more venerantur. Proximis nullae quidem urbes stant, tamen domicilia sunt, quae mapalia appellantur. Victus asper et munditiis carens. Primores sagis velantur; vulgus bestiarum pecudumque pellibus. Humi quies epulaeque capiuntur. Vasa ligno fiunt, aut cortice. Potus est lac succusque baccarum. Cibus est caro, plurimum ferina: nam gregibus, (quia id solum opimum est) quod potest, parcitur. Interiores etiam incultius, sequun-

tur vagi pecora: utque a pabulo ducta sunt, ita se ac tuguria sua promovent: atque, ubi dies deficit, ibi noctem agunt. Quamquam, in familias passim et sine lege dispersi, nihil in commune consultant: tamen, quia singulis aliquot simul coniuges, et plures ob id liberi agnatique sunt, nusquam pauci. Ex his, qui ultra deserta esse memorantur, Atlantes solem exsecrantur, et dum oritur, et dum occidit, ut ipsis agrisque pestiferum. Nomina singuli non habent: non vescuntur animalibus; neque illis in quiete, qualia ceteris mortalibus, visere datur. Troglodytae, nullarum opum domini, strident magis, quam loquuntur, specus subeunt, aluntur que serpentibus. Apud Garamantas etiam armenta sunt, eaque obliqua cervice pascuntur: nam pronis directa in humum cornua officiunt. Nulli certa uxor est. Ex his, qui tam confuso parentum coitu passim incertique nascuntur, quos pro suis colant, formae similitudine agnoscunt. Augilae Manes tantum Deos putant: per eos deierant; eos, ut oracula, consulunt: precatique, quae volunt, ubi tumulis incubuere, pro responsis ferunt somnia. Feminis eorum solemne est, nocte, qua nubunt, omnium stupro patere, qui cum munere advenerint: et tum, cum plurimis concubuisse, maximum decus; in reliquum pudicitia insignis est. Nudi sunt Gamphasantes, armorumque omnium ignari: nec vitare sciunt tela, nec iacere: ideoque obvios fugiunt, neque aliorum, quam quibus idem ingenii est, aut congressus, aut colloquia patiun-

tur. Blemyis capita absunt, vultus in pectore est: Satyris, praeter effigiem, nihil humani. Aegipanum, quae celebratur, ea forma est. Haec de Africa.

CAPUT IX.

Particularis Asiae descriptio.

AEGYPTUS.

Asiae prima pars Aegyptus inter Catabathmon et Arabas; ab hoc litore penitus immissa, donec Aethiopiam dorso contingat, ad meridiem refugit. Terra expers imbrium, mire tamen fertilis, et hominum aliorumque animalium perfecunda generatrix. Nilus efficit, amnium in Nostrum mare permeantium maximus. Hic ex desertis Africae missus, nec statim navigari facilis, nec statim Nilus est: et cum diu simplex saevusque descendit, circa Meroën, late patentem insulam, in Aethiopiam diffunditur, alteraque parte Astabores, altera Astape dictus est. Ubi rursus coit, ibi nomen hoc capit. Inde partim asper, partim navigia patiens, in immanem lacum devenit: ex quo praecipiti impetu egressus, et Tachompso, alteram insulam, amplexus, usque ad Elephantinen, urbem Aegyptiam, atrox adhuc fervensque decurrit. Tum demum placidior, et iam bene navigabilis, primum iuxta Cercasorum oppidum triplex esse incipit. Deinde iterum iterumque divisus ad Delta et ad Melin, it per omnem Aegyptum vagus atque dispersus: septemque in ora se scindens, singulis tamen grandis, evolvitur. Non

pererrat autem tantum eam, sed aestivo sidere exundans etiam irrigat, adeo efficacibus aquis ad generandum alendumque, ut praeter id, quod scatet piscibus, quod hippopotamos crocodilosque, vastas belluas, gignit, glebis etiam infundat animas, ex ipsaque humo vitalia effingat. Hoc eo manifestum est, quod, ubi sedavit diluvia, ac se sibi reddidit, per humentes campos quaedam nondum perfecta animalia, sed tunc primum accipientia spiritum, et ex parte iam formata, ex parte adhuc terrena, visuntur. Crescit porro, sive quod solutae magnis aestibus nives, ex immanibus Aethiopiae iugis, largius, quam ripis accipi queant, defluunt: sive quod sol hieme terris propior, et ob id fontem eius minuens, tunc altius abit, sinitque integrum, et ut est plenissimus, surgere: sive quod per ea tempora flantes Etesiae, aut actas a septemtrione in meridiem nubes super principia eius imbre praecipitant; aut venienti obvii adverso spiritu cursum descendentis impediunt, aut arenis, quas cum fluctibus litori applicant, ostia obducunt: fitque maior, vel quod nihil ex semet amittit; vel quod plus, quam solet, accipit; vel quod minus, quam debet, emittit. Quod si est alter orbis, suntque oppositi nobis a meridie Antichthones; ne illud quidem a vero nimium abscesserit, in illis terris ortum amnem, ubi subter maria caeco alveo penetraverit, in Nostris rursus emergere, et hac re solstitio accrescere, quod tunc hiems sit, unde oritur. Alia quoque in his terris mira sunt. In quodam lacu

Chemmis insula, lucos silvasque et Apollinis grande sustinens templum, natat, et, quocunque venti agunt, pellitur. Pyramides tricenûm pedum lapidibus exstructae; quarum maxima (tres namque sunt) quatuor fere soli iugera sua sede occupat, totidem in altitudinem erigitur. Moeris, aliquando campus, nunc lacus, viginti millia passuum in circuitum patens, altior, quam ad navigandum magnis onustisque navibus satis est. Psammetichi opus Labyrinthus, domos ter mille et regias duodecim perpetuo parietis ambitu amplexus, marmore exstructus ac tectus, unum in se descensum habet, intus paene innumerabiles vias, multis ambagibus huc et illuc remeantibus, sed continuo anfractu, et saepe revocatis porticibus ancipites: quibus subinde alium super alios orbem agentibus, et subinde tantum redeunte flexu, quantum processerat, magno et explicabili tamen errore perplexus est. Cultores regionum multo aliter a ceteris agunt. Mortuos limo obliti plangunt: nec cremare aut fodere fas putant, verum arte medicatos intra penetralia collocant. Suis literis perverse utuntur. Lutum inter manus, farinam calcibus subigunt. Forum ac negotia feminae, viri pensa ac domos curant; onera illae humeris, hi capitibus accipiunt: parentes cum egent, illis necesse est, his liberum alere. Cibos palam et extra tecta sua capiunt: obscoena intimis aedium reddunt. Colunt effigies multorum animalium, atque ipsa magis animalia; sed alii alia: adeo ut quaedam eorum, etiam per imprudentiam, inter-

emisse, capital sit: et, ubi morbo aut forte exstincta sint, sepelire ac lugere solemne sit. Apis populorum omnium numen est; bos niger, certis maculis insignis, et cauda linguaque dissimilis aliorum. Raro nascitur, nec coitu pecudis, ut aiunt, sed divinitus et coelesti igne conceptus; diesque, quo gignitur, genti maxime festus est. Ipsi vetustissimi, ut praedicant, hominum, trecentos et triginta reges ante Amasin, et supra tredecim millium annorum aetates, certis annalibus referunt; mandatumque literis servant, dum Aegyptii sunt, quater cursus suos vertisse sidera, ac solem bis iam occidisse, unde nunc oritur. Viginti millia urbium Amasi regnante habitarunt, et nunc multas habitant. Earum clarissimae, procul a mari, Sais, Memphis, Syene, Bubastis, Elephantine, et Thebae, uti quae (ut Homero dictum est) centum portas, sive (ut alii aiunt) centum aulas habent, totidem olim principum domos, solitasque singulas, ubi negotium exegerat, dena armatorum millia effundere: in litore Alexandria Africae contermina, Pelusium Arabiae. Ipsas oras secant Canopicum, Bolbiticum, Sebennyticum, Pathmeticum, Mendesium, Cataptystum, Pelusiacum, Nili ostia.

CAPUT X.

ARABIA.

Arabia hinc ad Rubrum mare pertinet; sed illic magis laeta et ditior, ture atque odoribus abundat: hic, nisi qua Casio monte attollitur, pla-

na et sterilis, portum admittit Azotum, suarum mercium emporium; qua in altum abit, adeo edita, ut ex summo vertice a quarta vigilia ortum solis ostendat.

CAPUT XI.

SYRIA.

Syria late litora tenet, terrasque etiam, latius introrsus, aliis aliisque nuncupata nominibus; nam et Coele dicitur, et Mesopotamia, et Damascene, et Adiabenè, et Babylonia, et Iudaea, et Commagene. Hic Palaestine est, qua tangit Arabas: tum Phoenice; et ubi se Ciliciae committit, Antiochia; olim ac diu potens, sed cum eam regno Semiramis tenuit, longe potentissima. Operibus certe eius insignia multa sunt: duo maxime excellunt, constituta urbs mirae magnitudinis Babylon, ac siccis olim regionibus Euphrates et Tigris immissi. Ceterum in Palaestina est ingens et munita admodum Gaza; (sic Persae aerarium vocant: et inde nomen est, quod, cum Cambyses armis Aegyptum peteret, huc belli et opes et pecuniam intulerat,) est non minor Ascalo; est Iope, ante diluvium, ut ferunt, condita; ubi Cephea regnasse eo signo accolae affirmant, quod titulum eius, fratrisque Phinei, veteres quaedam arae cum religione plurima retinent: quin etiam rei celebratae carminibus ac fabulis, servatae a Perseo Andromedae, clarum vestigium marinae belluae ossa immania ostentant.

CAPUT XII.

PHOENICE.

Phoenicen illustravere Phoenices, sollers hominum genus, et ad belli pacisque munia eximium; literas et literarum operas, aliasque etiam artes, maria navibus adire, classe confligere, imperitare gentibus, regnum proeliumque commenti. In ea est Tyros, aliquando insula, nunc adnexa terris deficit, quod ab impugnante quondam Alexandro iacta opera vici tenent. Ulterior et adhuc opulenta Sidon, antequam a Persis caperetur, maritimarum urbium maxima. Ab ea ad promontorium Euprosopon duo sunt oppida, Byblos et Botrys: ultra tria fuerunt, singulis inter se stadiis distantia; locus ex numero Tripolis dicitur: tum Simyra castellum, et urbs non obscura Marathos. Inde iam non obliqua pelago, sed adversa adiacens Asia, grandem sinum inflexo tractu litoris accipit. Populi dites circumsident; situs efficit: quia regio fertilis, crebris et navigabilibus alveis fluminum pervia, diversas opes maris atque terrarum facili commercio permutat ac miscet. In eo prima est reliqua pars Syriae, cui Antiochiae cognomen additur: et in ora eius urbes, Seleucia, Paltos, Berytos, Laodicea, Rhosos; amnesque, qui inter eas eunt, Lycos, et Baudos, et Orontes: tum mons Amanus, et ab eo statim Myriandros et Cilices.

CAPUT XIII.

CILICIA.

At in recessu intimo locus est magni aliquando discriminis, fusorum ab Alexandro Persarum fugientisque Darii spectator ac testis: nunc ne minima quidem, tunc ingenti urbe celebris Isso fuit; et hac re sinus Issicus dicitur. Procul inde Ammodes promontorium inter Pyramum Cydnumque fluvios iacet. Pyramus Isso propior Mallon praeterfluit Cydnus ultra per Tarsum exit. Deinde urbs est olim a Rhodiis Argivisque, post piratis, Pompeio assignante, possessa; nunc Pompeiopolis, tunc Soloë: iuxta in parvo tumulo Arati poëtae monumentum; ideo referendum, quia ignotum, quam ob causam iacta in id saxa dissiliant. Non longe hinc Corycos oppidum portu saloque incingitur, angusto tergore continenti adnexum. Supra specus est, nomine Corycius, singulari ingenio, ac, supra quam ut describi facile possit, eximius. Grandi namque hiatu patens, montem litori adpositum, et decem stadiorum clivo satis arduum, ex summo statim vertice aperit. Tunc alte demissus, et quantum demittitur amplior, viret lucis pendentibus undique, et totum se nemoroso laterum orbe complectitur: adeo mirificus ac pulcher, ut mentes accedentium primo adspectu consternat; ubi contemplari duravere, non satiet. Unus in eum descensus est, angustus, asper, quingentorum et mille passuum, per amoenas umbras et opaca silvae quiddam agreste resonan-

tis; rivis hinc atque illinc fluitantibus. Ubi ad ima perventum est, rursum specus alter aperitur, ob alia dicendus. Terret ingredientes sonitu cymbalorum, divinitus et magno fragore crepitantium. Deinde aliquamdiu perspicuus, mox, et quo magis subitur, obscurior, ducit ausos penitus, alteque quasi cuniculo admittit. Ibi ingens amnis ingenti fonte se extollens, tantummodo se ostendit, et, ubi magnum impetum brevi alveo traxit, iterum demersus absconditur. Intra spatium est, magis, quam ut progredi quispiam ausit, horribile, et ideo incognitum. Totus autem augustus et vere sacer, habitarique a Diis et dignus et creditus, nihil non venerabile, et quasi cum aliquo numine se ostentat. Alius ultra est, quem Typhoneum vocant, ore angusto, et multum (ut experti tradidere) pressus, et ob id assidua nocte suffusus, neque unquam perspici facilis: sed quia aliquando cubile Typhonis fuit, et quia nunc demissa in se confestim exanimat, natura fabulaque memorandus. Duo deinde promontoria sunt, Sarpedon, finis aliquando regni Sarpedonis, et quod Ciliciam a Pamphylia distinguit, Anemurium: interque ea Celenderis et Nagidos, Samiorum coloniae; sed Celenderis Sarpedoni propior.

CAPUT XIV.

PAMPHYLIA.

In Pamphylia est Melas, navigabilis fluvius; oppidum Sida; et alter fluvius Eurymedon. Ma-

gna apud eum Cimonis, Atheniensium ducis, adversus Phoenicas et Persas navalis pugna atque victoria fuit. Mare, quo pugnatum est, ex edito admodum colle prospectat Aspendos, quam Argivi condiderant, possedere finitimi. Deinde alii duo validissimi fluvii, Cestros et Catarrhactes: Cestros navigari facilis; hic, quia se praecipitat, ita dictus. Inter eos Perga est oppidum, et Dianae, quam ab oppido Pergaeam vocant, templum. Trans eosdem mons Sardemisos, et Phaselis, a Mopso condita, finis Pamphyliae.

CAPUT XV.

LYCIA.

Lycia continuo, cognominata a Lyco rege, Pandionis filio, atque, ut ferunt, infestata olim Chimaerae ignibus, Sidae portu et Tauri promontorio grandem sinum claudit. Taurus ipse ab Eois litoribus exsurgens, vaste satis attollitur: dein dextro latere ad septemtrionem, sinistro ad meridiem versus, it in occidentem rectus et perpetuo iugo; magnarumque gentium, qua dorsum agit, terminus, ubi terras diremit, exit in pelagus. Idem autem, et totus ut dictus est, dicitur etiam, qua spectat orientem: deinde Hemodes, et Caucasus, et Paropamisus, tum Caspiae pylae, Niphates, Armeniae pylae, et, ubi iam Nostra maria contingit, Taurus iterum. Post eius promontorium flumen est Limyra, et eodem nomine civitas: atque ut multa oppida, sic praeter Pataram non illustria. Illam nobilem facit delu-

brum Apollinis, quondam opibus et oraculi fide Delphico simile. Ultra est Xanthus flumen, et Xanthos oppidum, mons Cragus, et, quae Lyciam finit, urbs Telmessos.

CAPUT XVI.

CARIA.

Caria sequitur. Habitant incertae originis, (alii indigenas, sunt qui Pelasgos, quidam Cretas existimant,) genus usque eo quondam armorum pugnaeque amans, ut aliena etiam bella mercedibus agerent. Hic castella sunt aliquot: dein promontoria duo, Pedalion et Crya, et secundum Calbim amnem Caunus oppidum valetudine habitantium infame. Inde ad Halicarnasson haec iacent: Rhodiorum aliquot coloniae; portus duo, Gelos, et, cui ex urbe, quam amplectitur, Tisanusa cognomen est; inter eos oppidum Larumna, et Pandion collis, in mare emissus: tum tres ex ordine sinus, Tymnias, Schoenus, Bubassius; Tymniae promontorium Aphrodisium est, Schoenus ambit Hylam, Bubassius Cyon. Tum Cnidus in cornu paene insulae, interque eam et Ceramicum sinum in recessu posita Euthanae. Halicarnassos Argivorum colonia est, et cur memoranda sit, praeter conditores, Mausoleum efficit, regis Mausoli monumentum, unum de miraculis septem, Artemisiae opus. Trans Halicarnasson illa sunt: litus Leuca, urbes Myndos, Caryanda, Neapolis, sinus Iasius et Basilicus. In Iasio est Bargylos.

CAPUT XVII.

IONIA.

Post Basilicum Ionia aliquot se ambagibus sinuat: et primum a Posideo promontorio flexum inchoans, cingit oraculum Apollinis, dictum olim Branchidae, nunc Didymei; Miletum, urbem quondam Ioniae totius belli pacisque artibus principem, patriam Thaletis astrologi, et Timothei musici, et Anaximandri physici, aliorumque civium inclitis ingeniis merito inclitam, ubicunque Ioniam vocant: urbem Hippum, amnis Maeandri exitu; Latmum montem, Endymionis, a Luna, ut ferunt, adamati, fabula nobilem. Dein rursus inflexa cingit urbem Prienen, et Gaesi fluminis ostium: moxque ut maiore circuitu, ita plura complectitur. Ibi est Panionium, sacra regio, et ob id eo nomine appellata, quod eam communiter Iones colunt: ibi a fugitivis, ut aiunt, condita (nomen famae adnuit) Phygela: ibi Ephesus, et Dianae clarissimum templum, quod Amazones, Asia potitae, consecrasse traduntur: ibi Caystros amnis: ibi Lebedos, Clariique Apollinis fanum, quod Manto, Tiresiae filia, fugiens victores Thebanorum Epigonos; et Colophon, quam Mopsus, eiusdem Mantûs filius, statuit. At promontorium, quo sinus clauditur, quod altera parte alium, quem Smyrnaeum vocant, efficit, angustisque cervicibus reliqua extendit in latius, abit in paene insulae faciem. Super angustias, hinc Teos, illinc Clazomenae, qua terga

agunt, confinio adnexae muri, diversis frontibus diversa maria prospectant. In ipsa paene insula est Coryna. In sinu Smyrnaeo est Hermus amnis, et urbs Leuca; extra Phocaea, Ioniae ultima.

CAPUT XVIII.

AEOLIS.

Proxima regio, ex quo ab Aeoliis incoli coepit, Aeolis facta, ante Mysia, et, qua Hellespontum attingit, Troianis possidentibus, Troas fuit. Primam urbium a Myrino conditore Myrinam vocant: sequentem Pelops statuit, victo Oenomao reversus ex Graecia; Cymen nominavit, pulsis, qui habitarant, dux Amazonum Cyme. Supra Caicus inter Elaeam decurrit et Pitanen, illam, quae Arcesilan tulit, nihil affirmantis Academiae clarissimum antistitem. Tum in promontorio est Cana oppidum: quod praetervectos sinus excipit, non pronus, sed longe ac molliter flexus, retrahensque paulatim oras usque ad ima montis Idae. Is primo parvis urbibus adspersus est, quarum clarissima est Cisthena. Gremio interiore campus, Thebe nomine, Adramytion, Astyra, Chrysam, oppida, eodem, quo dicta sunt, ordine, adiacentia, continet; in altero latere Antandrum. Duplex causa nominis iactatur. Alii Ascanium, Aeneae filium, cum ibi regnaret, captum a Pelasgis, ea se redemisse commemorant: alii ab his putant conditam, quos ex Andro insula vis et seditio exegerat. Hinc hi Antandrum, quasi pro Andro, illi quasi pro viro accipi volunt. Sequens

tractus tangit Gargara et Asson, Aeoliorum colonias. Tum sinus alter, Ἀχαιῶν λιμὴν, non longe ab Ilio litora incurvat, urbe bello excidioque clarissima. Hic Sigeum fuit oppidum; hic Achivorum fuit bellantium statio. Huc ab Idaeo monte demissus Scamander exit, et Simois, fama, quam natura, maiora flumina. Ipse mons vetere Divarum certamine et iudicio Paridis memoratus, orientem solem aliter, quam in aliis terris solet adspici, ostentat. Namque ex summo vertice eius speculantibus, paene a media nocte spargi ignes passimque micare, et, ut lux appropinquat, ita coire ac se coniungere videntur, donec magis magisque collecti, pauciores subinde et una ad postremum flamma ardeant. Ea cum diu clara et incendio similis effulsit, cogit se ac rotundat, et fit ingens globus. Diu is quoque grandis et terris adnexus apparet: deinde paulatim decrescens, et quanto decrescit, eo clarior fugat novissime noctem, et cum die iam sol factus, attollitur. Extra sinum sunt Rhoetea litora, Rhoeteo et Dardania claris urbibus; Aiacis tamen sepulcro maxime illustria. Ab his fit arctius mare, nec iam adluit terras, sed rursus dividens, angusto Hellesponti freto litus obvium findit, facitque, ut iterum terrae, qua fluit, latera sint.

CAPUT XIX.

Bithynia, Paphlagonia, aliaeque Ponticae et Maeoticae gentes in ora Asiatica.

Interius Bithyni sunt et Mariandyni: in ora Graiae urbes, Abydos, et Lampsacum, et Parion,

et Priapos. Abydos magni quondam amoris commercio insignis est. Lampsacum, Phocaeis appellantibus, nomen ex eo traxit, quod consulentibus, in quasnam terras potissimum tenderent, responsum erat, ubi primum fulsisset, ibi sedem capessere. Tum rursus fit apertius mare, Propontis. In id Granicus effunditur, qua primum inter Persas et Alexandrum pugna fuit nobilis. Trans amnem sedet in cervice paene insulae Cyzicum: nomen Cyzicus indidit, quem a Minyis imprudentibus, cum Colchos peterent, fusum acie caesumque accepimus: post Placia et Scylace, parvae Pelasgorum coloniae, quibus a tergo imminet mons Olympus, ut incolae vocant, Mysius. Is flumen Rhyndacum in ea, quae sequuntur, emittit. Circa angues nascuntur immanes; neque ob magnitudinem modo, sed ob id etiam mirabiles, quod, ubi in alveum eius aestus solemque fugerunt, emergunt atque hiant, supervolantesque aves, quamvis alte et perniciter ferantur, absorbent. Trans Rhyndacum est Dascylos, et, quam Colophonii collocavere, Myrlea. Duo sunt inde modici sinus. Alter sine nomine Cion amplectitur, Phrygiae haud longe iacentis opportunissimum emporium: alter Olbianos in promontorio fert Neptuni fanum, in gremio Astacon, a Megarensibus conditam. Deinde propiores terrae iterum iacent, exiturique in Pontum pelagi canalis angustior Europam ab Asia stadiis quinque disterminat, Thracius, ut dictum est, Bosporus. Ipsis in faucibus oppidum, in ore templum est: oppidi

nomen Calchedon, auctor Archias, Megarensium princeps; templi numen Iupiter, conditor Iaso. Hic iam sese ingens Pontus aperit; nisi qua promontoria sunt, huc atque illuc longo rectoque limite extentus, sinuatus cetera, sed quia contra minus, quam ad laevam et dextram abscedit, mollibusque fastigiis, donec angustos utrinque angulos faciat, inflectitur, ad formam Scythici arcus maxime incurvus: brevis, atrox, nebulosus, raris stationibus, non molli neque arenoso circumdatus litore, vicinus aquilonibus, et, quia non profundus est, fluctuosus atque fervens: olim ex colentium saevo admodum ingenio Axenus, post commercio aliarum gentium mollitis aliquantum moribus, dictus Euxinus. In eo primum Mariandyni urbem habitant, ab Argivo, ut ferunt, Hercule datam. Heraclea vocitatur: id famae fidem adiicit. Iuxta specus est Acherusia, ad Manes, ut aiunt, pervius, atque inde extractum Cerberum existimant. Tum Tios oppidum, Milesiorum quondam colonia, sed iam soli gentisque Paphlagonum: quorum in litoribus paene mediis promontorium est Carambis; citra Parthenius amnis, urbesque Sesamus et Cromnos, et a Cytisoro, Phrixi filio, posita Cytoros; tum Cinolis, Anticinolis, et, quae Paphlagoniam finit, Armene. Chalybes proximi clarissimas habent Amison et Sinopen, Cynici Diogenis patriam; amnes Halyn et Thermodonta. Secundum Halyn urbs est Lycasto: ad Thermodonta campus. In eo fuit Themiscyrum oppidum: fuere et Amazonum castra;

ideo Amazonium vocant. Tibareni Chalybas attingunt, quibus in lusu risuque summum bonum est. Ultra [Carambin] Mosyni turres ligneas subeunt, notis corpus omne persignant, propatulo vescuntur, promiscue concumbunt et palam: reges suffragio deligunt, vinculisque et arctissima custodia tenent, atque, ubi culpam prave quid imperando meruere, inedia diei totius afficiunt: ceterum asperi, inculti, pernoxii appulsis. Dein minus feri (verum et hi inconditis moribus) Macrocephali, Becheri, Buzeri: rarae urbes; Cerasus et Trapezus maxime illustres. Inde is locus est, ubi finem ductus a Bosporo tractus accipit; atque inde se in sinu adversi litoris flexus attollens angustissimum Ponti facit angulum. Hic sunt Colchi; huc Phasis erumpit; hic eodem nomine, quo amnis est, a Themistagora Milesio deductum oppidum; hic Phrixi templum, et lucus, fabula vetere pellis aureae nobilis. Hinc orti montes longo se iugo, et donec Rhipaeis coniungantur, exporrigunt: qui altera parte in Euxinum et Maeotida et Tanain, altera in Caspium pelagus obversi, Ceraunii dicuntur: iidem aliubi Taurici, Moschici, Amazonici, Caspii, Coraxici, Caucasii; ut aliis aliisve appositi gentibus, ita aliis aliisque dicti nominibus. At in primo flexu iam curvi litoris oppidum est, quod Graeci mercatores constituisse, et (quia, cum caeca tempestate agerentur, ignaris quae terra esset, cycni vox notam dederat) Cycnum appellasse dicuntur. Reliqua eius ferae incultaeque gentes, vasto mari assidentes, tenent, Melanchlaeni, Serri,

Siraces, Colici, Coraxi, Phthirophagi, Heniochi, Achaei, Cercetici, et iam in confinio Maeotidis Sindones. In Heniochorum finibus Dioscorias, a Castore et Polluce, Pontum cum Iasone ingressis; Sindos in Sindonum ab ipsis terrarum cultoribus condita est. Obliqua tunc regio, et in latum modice patens, inter Pontum Paludemque ad Bosporum excurrit: quam duobus alveis in lacum et in mare profluens Corocondame paene insulam reddit. Quatuor urbes ibi sunt, Hermonassa, Cepoe, Phanagoria, et in ipso ore, Cimmerium. Hac ingressos lacus accipit, longe lateque diffusus: qua terras tangit, incurvo circumdatus litore; qua mari propior est, (nisi ubi aperitur,) aequali margine obductus; citra magnitudinem, prope Ponto similis. Oram, quae a Bosporo ad Tanaim usque deflectitur, Maeotici incolunt, Toretae, Arrechi, Phicores, et ostio fluminis proximi Ixamatae. Apud eos easdem artes feminae, quas viri, exercent, adeo ut ne militia quidem vacent. Viri pedibus merent, sagittisque depugnant: illae equestre proelium ineunt, nec ferro dimicant, sed, quos laqueis intercepere, trahendo conficiunt. Nubunt tamen: verum ut nubiles habeantur, non in aetate modus est; nisi quae hostem interemere, virgines manent. Ipse Tanais, ex Rhipaeo monte deiectus, adeo praeceps ruit, ut cum vicina flumina, tum Maeotis et Bosporus, tum Ponti aliqua, brumali rigore durentur, solus aestus hiememque iuxta ferens, idem semper et sui similis incitatusque decurrat. Ripas eius Sauroma-

tae et ripis haerentia possident: una gens, aliquot populi, et aliquot nomina. Primi Maeotidae γυναικοκρατούμενοι, regna Amazonum, fecundos pabulo, at alia steriles nudosque campos tenent. Budini Gelonon, urbem ligneam, habitant. Iuxta Thyssagetae Iyrcaeque vastas silvas occupant, aluntur que venando. Tum continuis rupibus late aspera et deserta regio ad Arimphaeos usque permittitur. His iustissimi mores; nemora pro domibus; alimenta baccae; et feminis et maribus nuda sunt capita. Sacri itaque habentur; adeoque ipsos nemo de tam feris gentibus violat, ut aliis quoque ad eos confugisse pro asylo sit. Ultra surgit mons Rhipaeus, ultraque eum iacet ora, quae spectat Oceanum.

POMPONII MELAE
DE
SITU ORBIS
LIBER II.

CAPUT I.
Scythia Europaea.

Asiae in Nostrum mare Tanaimque vergentis, quem dixi, finis ac situs est. At per eundem amnem in Maeotida remeantibus, ad dextram Europe est, modo sinistro latere innavigantium adposita. Rhipaeis montibus proxima (et huc enim pertinent) cadentes assidue nives adeo invia efficiunt, ut ultra ne visum quidem incedentium admittant. Deinde est regio ditis admodum soli, inhabitabilis tamen: quia Gryphi, saevum et pertinax ferarum genus, aurum, terra penitus egestum, mire amant mireque custodiunt, et sunt infesti attingentibus. Hominum primi sunt Scythae, Scytharumque, quîs singuli oculi esse dicuntur, Arimaspoe: ab eis Essedones usque ad Maeotida. Huius flexum Buces amnis secat: Agathyrsi et Sauromatae ambiunt; quia pro sedibus plaustra habent, dicti Hamaxobioe. Obliqua tum

ad Bosporum plaga excurrens, Ponto ac Maeotide includitur. In paludem vergentia Satarchae tenent: in Bosporum Cimmerica oppida, Myrmecion, Panticapaeum, Theodosia, Hermisium: in Euxinum mare, Taurici. Super eos sinus portuosus, et ideo Καλὸς λιμὴν appellatus, promontoriis duobus includitur. Alterum Κριοῦ μέτωπον vocant, Carambico, quod in Asia diximus, par et adversum: Parthenion alterum. Oppidum adiacet Cherrone, a Diana (sic creditur) conditum, et Nymphaeo specu, quod in arce eius Nymphis sacratum est, maxime illustre. Subit tum ripam mare, et donec quinque millium spatio absit a Maeotide, refugientia usque subsequens litora, quoad Satarchae et Taurici tenent, paene insulam reddit. Quod inter paludem et sinum est, Taphrae nominatur: sinus, Carcinites. In eo urbs est Carcine: quam duo flumina, Gerrhos et Hypacaris, uno ostio effluentia attingunt; verum diversis fontibus, et aliunde delapsa. Nam Gerrhos inter Basilidas et Nomadas, *Hypacaris per Nomadas* evolvitur. Silvae deinde sunt, quas maximas hae terrae ferunt, et Panticapes, qui Nomadas Georgosque disterminat. Terra tum longe distenta excedens, tenui radice litori adnectitur: post spatiosa modice, paulatim se ipsa fastigat, et quasi in mucronem longa colligens latera, facie positi ensis adlecta est. Achilles infesta classe mare Ponticum ingressus, ibi ludicro certamine celebrasse victoriam, et, cum ab armis quies erat, se ac suos cursu exercitavisse memoratur. Ideo dicta est δρόμος

Ἀχίλλειος. Tum Borysthenes gentem sui nominis adluit, inter Scythiae amnes amoenissimus: turbidis aliis, liquidissimus defluit, placidior, quam ceteri, potarique pulcherrimus. Alit laetissima pabula, magnosque pisces, quibus et optimus sapor et nulla ossa sunt. Longe venit, ignotisque ortus e fontibus, quadraginta dierum iter alveo stringit: tantoque spatio navigabilis, secundum Borysthenida et Olbian, Graeca oppida, egreditur. Callipidas Hypanis includit. Ex grandi palude oritur, quam Matrem eius accolae appellant: et diu, qualis natus est, defluit. Tandem non longe a mari, ex parvo fonte, cui Exampeo cognomen est, adeo amaras aquas accipit, ut ipse quoque iam sui dissimilis et non dulcis hinc defluat. Axiaces proximus intra Callipidas Axiacasque descendit. Hos ab Istricis Tyra separat, surgit in Neuris: qua exit, sui nominis oppidum attingit. At ille, qui Scythiae populos a sequentibus dirimit, apertis in Germania fontibus, alio, quam desinit, nomine exoritur. Nam per immania magnarum gentium diu Danubius est: deinde aliter eum appellantibus accolis, fit Ister, acceptisque aliquot amnibus, ingens iam, et eorum, qui in Nostrum mare decidunt, tantum Nilo minor, totidem, quot ille, ostiis, sed tribus tenuibus, reliquis navigabilibus, effluit. Ingenia cultusque gentium differunt. Essedones funera parentum laeti et victimis ac festo coitu familiarium celebrant. Corpora ipsa laniata, et caesis pecorum visceribus immixta, epulando consumunt. Capita, ubi fabre ex-

polivere, auro vincta pro poculis gerunt. Haec sunt apud eos ipsos pietatis ultima officia. Agathyrsi ora artusque pingunt: ut quique maioribus praestant, ita magis, vel minus: ceterum iisdem omnes notis, et sic ut ablui nequeant. Satarchae, auri argentique, maximarum pestium, ignari, vice rerum commercia exercent, atque ob saeva hiemis admodum assiduae, demersis in humum sedibus, specus aut subfossa habitant, totum bracati corpus, et, nisi qua vident, etiam ora vestiti. Tauri, Iphigeniae et Orestis adventu maxime memorati, immanes sunt moribus, immanemque famam habent, solere pro victimis advenas caedere. Basilidis ab Hercule et Echidna generis principia sunt, mores regii, arma tantum sagittae. Vagi Nomades pecorum pabula sequuntur, atque ut illa durant, ita diu statam sedem agunt. Colunt Georgi exercentque agros. Axiacae, furari quid sit, ignorant: ideoque nec sua custodiunt, nec aliena contingunt. Interius habitantium ritus asperior, et incultior regio est. Bella caedesque amant: mosque bellantibus, cruorem eius, quem primum interemerunt, ipsis e vulneribus ebibere. Ut quisque plures interemerit, ita apud eos habetur eximius: ceterum expertem esse caedis, inter opprobria vel maximum. Ne foedera quidem incruenta sunt: sauciant se, qui paciscuntur, exemtumque sanguinem, ubi permiscuere, degustant. Id putant mansurae fidei pignus certissimum. Inter epulas, quot quisque interfecerit, referre, laetissima et frequentissima mentio: bi-

nisque poculis, qui plurimos retulere, perpotant. Is inter iocantes honos praecipuus est. Pocula, ut Essedones parentum, ita inimicissimorum capitibus expoliunt. Apud Anthropophagos ipsae etiam epulae visceribus humanis apparantur. Geloni hostium cutibus equos seque velant; illos reliqui corporis, se capitum. Melanchlaenis atra vestis, et ex ea nomen: Neuris statum singulis tempus est, quo, si velint, in lupos, iterumque in eos, qui fuere, mutentur. Mars omnium Deus: ei pro simulacris enses et cinctoria dedicant, hominesque pro victimis feriunt. Terrae late patent, et, ob excedentia ripas suas plerumque flumina, nusquam non ad pabula fertiles: alicubi usque eo steriles ad cetera, ut, qui habitant, lignorum egentes, ignes ossibus alant.

CAPUT II.

THRACIA.

His Thracia proxima est; eaque a Pontici lateris fronte usque in Illyrios penitus immissa, qua latera agit, Istro pelagoque contingitur. Regio nec coelo laeta, nec solo; et, nisi qua mari propior est, infecunda, frigida, eorumque, quae seruntur, maligne admodum patiens, raro usquam pomiferam arborem, vitem frequentius tolerat: sed nec eius quidem fructus maturat ac mitigat, nisi ubi frigora obiectu frondium cultores arcuere. Viros benignius alit; non ad speciem tamen; nam et illis asper atque indecens corporum habitus est; ceterum ad ferociam et numerum, ut mul-

ti immitesque sint, maxime ferax. Paucos amnes, qui in pelagus evadunt, verum celeberrimos, Hebrum, et Neston, et Strymona emittit. Montes interior attollit, Haemon, et Rhodopen, et Orbelon, sacris Liberi patris, et coetu Maenadum, Orpheo primum initiante, celebratos. E quîs Haemos in tantum altitudinis abit, ut Euxinum et Hadriam ex summo vertice ostendat. Una gens, Thraces, habitant, aliis aliisque praediti et nominibus et moribus. Quidam feri sunt et ad mortem paratissimi, Getae utique. Id varia opinio perficit: alii redituras putant animas obeuntium; alii, etsi non redeant, non exstingui tamen, sed ad beatiora transire; alii, emori quidem, sed id melius esse, quam vivere. Itaque lugentur apud quosdam puerperia, natique deflentur: funera contra festa sunt, et, veluti sacra, cantu lusuque celebrantur. Ne feminis quidem segnis est animus. Super mortuorum virorum corpora interfici simulque sepeliri, votum eximium habent: et quia plures simul singulis nuptae sunt, cuius id sit decus, apud iudicaturos magno certamine affectant. Moribus datur, estque maxime laetum, cum in hoc contenditur, vincere. Moerent aliae vocibus, et cum acerbissimis planctibus efferunt. At quibus consolari eas animus est, arma opesque ad rogos deferunt; paratique, ut dictitant, cum fato iacentis, si detur in manus, vel pacisci, vel decernere, ubi nec pugnae nec pecuniae locus sit, manent dominas proci. Nupturae virgines non a parentibus viris traduntur, sed publice aut locan-

tur ducendae, aut veneunt. Utrum fiat, ex specie et moribus causa est. Probae formosaeque in pretio sunt: ceteras qui habeant, mercede quaeruntur. Vini usus quibusdam ignotus est: epulantibus tamen ubi super ignes, quos circumsident, quaedam semina ingesta sunt, similis ebrietati hilaritas ex nidore contingit. In litoribus Istro proxima est Istropolis; deinde a Milesiis deducta Callatis; tum Tomoe, et portus Caria, et Tiristis promontorium: quod praetervectos alter Ponti angulus accipit, adversus Phasiaco, et, nisi amplior foret, similis. Fuit hic Bizone; motu terrae intercidit. Est portus Crunos: urbes, Dionysopolis, Odessos, Mesembria, Anchialos; et intimo in sinu, atque ubi Pontus alterum sui flexum angulo finit magno, Apollonia. Recta dehinc ora, nisi quod media ferme in promontorium, quod Thyniam vocant, exit, et incurvis contra se litoribus obtenditur, urbesque sustinet Halmydesson, et Phileas, et Phinopolim. Hactenus Pontus. Deinde est Bosporus et Propontis: in Bosporo, Byzantium; in Propontide, Selymbria, Perinthos, Bithynis: amnesque, qui interfluunt, Erginos et Athyras: tum Rheso regnata quondam pars Thraciae, et Bisanthe Samiorum, et ingens aliquando Cypsela: post locus, quem Graii Μακρὸν τεῖχος appellant, et in radicem magnae paene insulae sedens Lysimachia. Terra quae sequitur, nusquam lata, atque hic arctissima, inter Hellespontum Aegaeumque procurrit. Angustias Isthmon; frontem eius Mastusiam; totam Cher-

sonesum appellant, ob multa memorabilem. Est in ea flumen Aegos, naufragio classis Atticae insigne. Est et Abydo obiacens Sestos, Leandri amore pernobilis. Est et regio, in qua Persarum exercitus divisas spatio pelagoque terras, ausus pontibus iungere, (mirum atque ingens facinus!) ex Asia in Graeciam pedes et non navigata maria transgressus est. Sunt Protesilai ossa, consecrata delubro. Est et portus Coelos, Atheniensibus et Lacedaemoniis navali acie decernentibus, Laconicae classis signatus excidio. Est Cynos sema, tumulus Hecubae, sive ex figura canis, in quam conversa traditur, sive ex fortuna, in quam deciderat, humili nomine accepto. Est Madytos: est Eleus, quae finit Hellespontum. Aegaeum statim pelagus vaste longum litus impellit, submotasque terras hinc ad promontorium, quod Sunium vocatur, magno ambitu mollique circumagit. Eius tractum legentibus, praetervectisque Mastusiam, sinus intrandus est, qui alterum Chersonesi latus adluens, iugo facie vallis includitur, et ex fluvio, quem accipit, Melas dictus, duas urbes amplectitur, Alopeconnesum, et in altero Isthmi litore sitam Cardiam: eximia est Aenos, ab Aenea profugo condita: circa Hebrum Cicones: trans eundem Doriscos, ubi Xerxen copias suas, quia numero non poterat, spatio mensum ferunt: deinde promontorium Serrhium, et, quo canentem Orphea secuta narrantur etiam nemora, Zone: tum Schoenos fluvius, et ripis eius ... cens Maronia. Regio ulterior Diomeden tul ...

manibus equis mandendos solitum obiectare advenas, et iisdem ab Hercule obiectum. Turris, quam Diomedis vocant, signum fabulae remanet: et urbs, quam soror eius suo nomine nominavit, Abdera; sed ea magis id memorandum habet, quod Democritum Physicum tulit, quam quod ita condita est. Ultra Nestos fluit; interque eum et Strymona urbes sunt Philippi, Apollonia, Amphipolis: inter Strymona et Athon, turris Calarnaea, et Κάπρου λιμὴν, urbs Acanthos, et Echymnia: inter Athon et Pallenen, Cleona et Olynthos. Strymon, sicut diximus, amnis est, longeque ortus et tenuis, alienis subinde aquis fit amplior, et, ubi non longe a mari lacum fecit, maiore, quam venerat, alveo erumpit. Athos mons est adeo altus, ut credatur altius etiam, quam unde imbres cadunt, surgere. Capit opinio fidem, quia de aris, quas in vertice sustinet, non abluitur cinis, sed, quo relinquitur aggere, manet. Ceterum non promontorio, ut alii, verum totus et toto longe dorso procedit in pelagus. Qua continenti adhaeret, a Xerxe in Graios tendente perfossus transiugatusque est, et factus freto navigabili pervius. Ima eius tenent parvae Pelasgorum coloniae. In summo fuit oppidum Acroathon, in quo, ut ferunt, dimidio longior, quam in aliis terris, aetas habitantium erat. Pallene, soli tam patentis, ut quinque urbium sedes sit atque ager, tota in altum abit, angusta satis, unde incipit. Ibi est Potidaea: at ubi laxius patet, Men-

de Scioneque referendae; illa ab Eretriis, haec ab Achivis, capto Ilio remeantibus, posita.

CAPUT III.

Macedonia. Graecia. Peloponnesus. Epirus et Illyricum.

Tum Macedonum populi quot urbes habitant, quarum Pelle est maxime illustris. Alumni efficiunt, Philippus Graeciae domitor, Alexander etiam Asiae. In litore flexus Mecybernaeus, inter promontoria Derrin, et Canastraeum, et portum, qui Κωφὸς dicitur: urbes Toronen et Miscellam, atque, unde ipsi nomen est, Mecybernam incingit. Canastraeo promontorio Sane proxima est. Mecybernaeus autem in medio, qua terra dat gremium, modice in litora ingreditur. Ceterum longis in altum immissis lateribus, ingens inde Thermaicus sinus est. In eum Axius per Macedonas, et iam per Thessalos Peneus excurrit. Ante Axium Thessalonice est: inter utrumque Cassandria, Cydna, Aloros, Icaris: a Peneo ad Sepiada, Gyrtona, Meliboea, Castanaea, pares ad famam, nisi quod Philoctetes alumnus Meliboeam illuminat. Terrae interiores claris locorum nominibus insignes, paene nihil ignobile ferunt. Hinc non longe est Olympus, Pelion, Ossa, montes gigantum fabula belloque memorati: hic Musarum parens domusque Pieria: hic novissime calcatum Graio Herculi solum, saltus Oetaeus: hic sacro nemore nobilia Tempe: hic Libethra, carminum fontes. [Obiacet] tum iam vaste et multum pro-

minens Graecia, et dum Myrtoum pelagus attingat, a septemtrione in meridiem vecta, qua sol oritur, Aegaeis; qua occidit, Ioniis fluctibus obiacet. Ac proximo spatiosa et Hellas nomine, grandi fronte procedit: mox mari utroque, et Ionio magis, latera eius intrante, donec quatuor millia passuum pateat, media ferme prope inciditur. Deinde rursum terris huc se et illuc, verum in Ionium mare magis expandentibus, progressisque in altum, non tam lata, quam coeperat, ingens tamen iterum et quasi paene insula extenditur, vocaturque Peloponnesos, ob sinus et promontoria, quîs, ut fibris, litora eius incisa sunt, simulque tenui tramite in latus effunditur, platani folio simillima. A Macedonia prima est Thessalia, deinde Magnesia, Phthiotis, Doris, Locris, Phocis, Boeotis, Atthis, Megaris; sed omnium Atthis clarissima: in Peloponneso Argolis, Laconice, Messenia, Achaia, Elis, Arcadia: ultra Aetolia, Acarnania, Epiros, usque in Hadriam. De locis atque urbibus, quae mare non adluit, haec maxime memoranda sunt: in Thessalia Larissa, aliquando Iolcos: in Magnesia Antronia: in Phthiotide Phthia: in Doride Pindus [et iuxta sita Erineus:] in Locride Cynos et Calliaros: in Phocide Delphi, et mons Parnasos, et Apollinis fanum atque oraculum: in Boeotia Thebae, et Cithaeron, fabulis carminibusque celebratus: in Atthide Eleusin, Cereri consecrata, et clariores, quam ut indicari egeant, Athenae: in Megaride, unde regioni nomen est, Megara: ut in Argolide Ar-

gos, et Mycenae, et templum Iunonis, vetustate et religione percelebre: in Laconide Therapne, Lacedaemon, Amyclae, mons Taygetus: in Messenia, Messene et Methone: in Achaia atque Elide, quondam Pisae Oenomai, Elis etiam nunc, delubrumque Olympii Iovis, certamine gymnico et singulari sanctitate, ipso quidem tamen simulacro (quod Phidiae opus est) maxime nobile. Arcadiam Peloponnesiacae gentes undique incingunt. In ea sunt urbes Psophis, Tegea, Orchomenos; montes Pholoë, Cyllenius, Parthenius, Maenalus; flumina Erymanthus et Ladon: in Aetolia Naupactos, in Acarnania Stratos, oppida: in Epiro Dodonaei Iovis templum, et fons ideo sacer, quod, cum sit frigidus, et immersas faces, sicut ceteri, exstinguat, ubi sine igne procul admoventur, accendit. At cum litora leguntur, a promontorio Sepiade per Demetrium, et Halon, et Pteleon, et Echinon ad Pagasaeum sinum cursus est. Ille urbem Pagasam amplexus, amnem Sperchion accipit: et, quia Minyae, Colchida petentes, inde Argo navem solvere, memoratur Ab eo ad Sunium tendentibus illa praenaviganda: Maliacus et Opuntius, grandes sinus, et in his, caesorum etiam Laconum tropaea, Thermopylae, Opoës, Scarpha, Cnemides, Alope: Anthedon, Larymne, Aulis, Agamemnoniae Graiorumque classis in Troiam coniurantium statio: Marathon, magnarum multarumque virtutum testis, iam inde a Theseo, Persica maxime clade, pernotus: Rhamnus parva, illustris tamen, quod

in ea fanum est Amphiarai et Phidiaca Nemesis: Thoricos et Brauronia, olim urbes, iam tantum nomina. Sunium promontorium est, finitque id litus Hellados, quod spectat orientem. Inde ad meridiem terra convertitur usque ad Megaram, Atticae, ut modo latere, ita nunc fronte pelago adiacens. Ibi est Piraeeus Atheniensium portus: Scironia saxa, saevo quondam Scironis hospitio etiam nunc infamia. Magarensium tractus Isthmon attingit, (Diolco cognomen est,) qui quatuor millium spatio Aegaeum mare ab Ionio submovens, angusto tramite Helladi Peloponneson adnectit. In eo est oppidum Cenchreae: fanum Neptuni, ludis, quos Isthmicos vocant, celebre· Corinthos, olim clara opibus, post clade notior, nunc Romana colonia, ex summa arce, quam Acrocorinthon appellant, maria utraque contuens. Peloponnesi oram, sicut diximus, sinus et promontoria lacerant: ab oriente Bucephalos, et Chersonesus, et Scyllaeon; ad meridiem Malea, Taenaros, Acritas, Ichthys; ad vesperum Chelonates et Araxos. Habitant ab Isthmo ad Scyllaeon Epidaurii, Aesculapii templo incliti, et Troezenii, fide societatis Atticae illustres. Portus Saronicus, et Schoenitas, et Pogonus: oppida autem Epidaurus, et Troezene, et Hermiona his litoribus adposita sunt. Inter Scyllaeon et Malean, sinus Argolicus dicitur: inter Malean et Taenaron, Laconicus: inter Taenaron et Acritan, Asinaeus: inter Acritan et Ichthyn, Cyparissius. In Argolico sunt noti amnes, Erasinus atque Inachus, et

notum oppidum Lerne: in Laconico Gythius et Eurotas; in ipso Taenaro Neptuni templum, et specus, illi, quem in Ponto Acherusiam diximus, facie et fabula similis: in Asinaeo flumen Pamisum; in Cyparissio Alpheus; nomen dedit urbs in litore sita, huic Cyparissae, illi Asine: Messenii Pyliique terras colunt, et ipsa pelago Pylos adiacet. Cyllene, Enneapolis, Patrae oram illam tenent, in quam Chelonates et Araxos excurrunt: sed Cyllene, quod Mercurium ibi natum arbitrantur, insignis. Rhion deinde (maris id nomen est) anguste, et velut freto, latus orae sequentis incidens, inter Aetolos et Peloponnesiacos usque ad Isthmon irrumpit. In eo ad septemtriones spectare litora incipiunt. In his est Aegion, et Aegira, et Oluros, et Sicyon: at in adversis Pagae, Creusis, Anticyra, Oeanthia, Cirrha, et notior aliquanto nomine, Calydon, et Evenos extra Rhion. In Acarnania maxime clara sunt oppidum Leucas, flumen Achelous. In Epiro nihil Ambracio sinu nobilius est. Facit sinus, qui angustis faucibus, et quae minus mille passibus pateant, grande pelagus admittit. Faciunt urbes, quae assidunt, Actium, Argos Amphilochi, Ambracia, Aeacidarum regna Pyrrhique. Buthroton ultra est: deinde Ceraunii montes: ab his flexus in Hadriam. Hoc mare magno recessu litorum acceptum, et vaste quidem in latitudinem patens, qua penetrat, tamen vastius, Illyricis usque Tergestum, cetera Gallicis Italicisque gentibus cingitur. Partheni et Dassaretae prima eius tenent: sequentia

Taulantii, Encheliae, Phaeaces. Deinde sunt, quos proprie Illyrios vocant: tum Pyraei, et Liburni, et Istria. Urbium prima est Oricum, secunda Dyrrhachium; Epidamnos ante erat: Romani nomen mutavere, quia, velut in damnum ituris, omen id visum est. Ultra sunt Apollonia, Salona, Iadera, Narona, Tragurium, sinus Polaticus, et Pola, quondam a Colchis, ut ferunt, habitata, (in quantum res transeunt!) nunc Romana colonia. Amnes autem Aeas et Nar, et Danubius, qui iam dictus est Ister: sed Aeas secundum Apolloniam, Nar inter Pyraeos et Liburnos, per Istros Ister emittitur. Tergestum, intimo in sinu Hadriae situm, finit Illyricum.

CAPUT IV.

ITALIA.

De Italia, magis quia ordo exigit, quam quia monstrari eget, pauca dicentur: nota sunt omnia. Ab Alpibus incipit in altum excedere, atque, ut procedit, se media perpetuo iugo Apennini montis attollens, inter Hadriaticum et Tuscum, sive (ut aliter eadem appellantur) inter Superum mare et Inferum excurrit, diu solida. Verum ubi longe abit, in duo cornua scinditur, respicitque altero Siculum pelagus, altero Ionium: tota angusta, et alicubi multo, quam unde coepit, angustior. Interiora eius aliae aliaeque gentes; sinistra parte Carni et Veneti colunt Togatam Galliam: tum Italici populi, Picentes, Frentani, Dauni, Apuli, Calabri, Sallentini. Ad dextram sunt

sub Alpibus Ligures, sub Apennino Etruria; post Latium, Volsci, Campania, et super Lucaniam Bruttii. Urbium, quae procul a mari habitantur, opulentissimae sunt, ad sinistram Patavium Antenoris, Mutina et Bononia, Romanorum coloniae: ad dextram Capua a Tuscis, et Roma quondam a pastoribus condita; nunc, si pro materia dicatur, alterum opus. At in oris proxima est a Tergeste Concordia. Interfluit Timavus, novem capitibus exsurgens, uno ostio emissus: deinde Natiso non longe a mari ditem attingit Aquileiam. Ultra est Altinum. Superna late occupat litora Padus. Namque ab imis radicibus Vesuli montis exortus, parvis se primum e fontibus colligit; et aliquatenus exilis ac macer, mox aliis amnibus adeo augescit atque alitur, ut se per septem ad postremum ostia effundat. Unum de eis magnum, Padum appellant. Inde tam citus prosilit, ut discussis fluctibus, diu, qualem emisit, undam agat, suumque etiam in mari alveum servet, donec eum ex adverso litore Istriae eodem impetu profluens Ister amnis excipiat. Hac re per ea loca navigantibus, qua utrinque amnes eunt, inter marinas aquas dulcium haustus est. A Pado ad Anconam transitur Ravenna, Ariminum, Pisaurum, Fanestris colonia; flumen Metaurus atque Aesis. Exin illa in angusto duorum promontoriorum ex diverso coëuntium, inflexi cubiti imagine sedens, et ideo a Graiis dicta Ancon, inter Gallicas Italicasque gentes quasi terminus interest. Haec enim

praegressos Piceni litora excipiunt: in quibus Numana, Potentia, Cluana, Cupra, urbes; castella autem Firmum, Hadria, Truentinum: id et fluvio, qui praeterit, nomen est. Ab eo Frentani iam Matrini habent et Aterni fluminis ostia, urbes Bucam et Histonium: Dauni autem Tifernum amnem; Cliterniam, Larinum, Teanum, oppida; montemque Garganum. Sinus est continuo Apulo litore incinctus, nomine Urias, modicus spatio, pleraque asper accessu: extra Sipontum, vel, ut Graii dixere, Sipus; et flumen, quod Canusium attingens, Aufidum appellant: post Barium, et Gnatia, et Ennio cive nobiles Rudiae: et iam in Calabria Brundusium, Valetium, Lupiae, Hydrus mons: tum Sallentini campi, et Sallentina litora, et urbs Graia Callipolis. Hucusque Hadria, hucusque Italiae latus alterum pertinet. Frons eius in duo quidem se cornua (sicut supra diximus) scindit: ceterum mare, quod inter utraque admittit, tenuibus promontoriis semel iterumque distinguens, non uno margine circuit, nec diffusum patensque, sed per sinus recipit. Primus Tarentinus dicitur, inter promontoria Sallentinum et Lacinium; in eoque sunt Tarentum, Metapontum, Heraclea, Croto, Thurium: secundus Scylaceus, inter promontoria Lacinium et Zephyrium; in quo est Petelia, Carcinus, Scylaceum, Mystiae: tertius inter Zephyrium et Bruttium, Consentiam, Cauloniam, Locrosque circumdat. In Bruttio sunt, Columna Rhegia, Rhe-

gium, Scylla, Taurianum, et Metaurum. Hinc in Tuscum mare est flexus, et eiusdem terrae latus alterum. Medama, Hippo, nunc Vibon, Temesa, Clampetia, Blanda, Buxentum, Velia, Palinurus, olim Phrygii gubernatoris, nunc loci nomen, Paestanus sinus, Paestum oppidum, Silerus amnis, Picentia, Petrae, quas Sirenes habitavere, Minervae promontorium, omnia Lucaniae loca; sinus Puteolanus, Surrentum, Herculaneum, Vesuvii montis adspectus, Pompeii, Neapolis, Puteoli, lacus Lucrinus et Avernus, Baiae, Misenum, (id nunc loci, aliquando Phrygii militis nomen,) Cumae, Liternum, Volturnus amnis, Volturnum oppidum, amoena Campaniae litora; Sinuessa, Liris, Minturnae, Formiae, Fundi, Tarracina; Circes domus, aliquando Circeii, Antium, Aphrodisium, Ardea, Laurentum, Ostia, citra Tiberim in hoc latere sunt: ultra Pyrgi, Minio, Castrum novum, Graviscae, Cosa, Telamon, Populonia, Cecina, Pisae, Etrusca et loca et nomina; deinde Luna Ligurum, et Tigulia, et Genua, et Sabatia, et Albingaunum; tum Paulo et Varum flumina, utraque ab Alpibus delapsa; sed Varum, quia Italiam finit, aliquanto notius. Alpes ipsae ab his litoribus longe lateque diffusae, primo ad septemtrionem magno gradu excurrunt: deinde ubi Germaniam attigerunt, verso impetu in orientem abeunt, diremtisque populis immanibus, usque in Thraciam penetrant.

CAPUT V.

Gallia Narbonensis.

Gallia Lemanno lacu et Cebennicis montibus in duo latera divisa, atque altero Tuscum pelagus attingens, altero Oceanum, hinc a Varo, illinc a Rheno, ad Pyrenaeum usque permittitur. Pars Nostro mari adposita (fuit aliquando Bracata, nunc Narbonensis) est magis culta, et magis consita, ideoque etiam laetior. Urbium, quas habet, opulentissimae sunt, Vasio Vocontiorum, Vienna Allobrogum, Avenio Cavarum, Arecomicorum Nemausus, Tolosa Tectosagum, Secundanorum Arausio, Sextanorum Arelate, Septimanorumque Baeterrae. Sed antestat omnis Atacinorum Decimanorumque colonia, unde olim his terris auxilium fuit, nunc et nomen et decus est, Martius Narbo. In litoribus aliquot sunt cum aliquibus nominibus loca; ceterum rarae urbes, quia rari portus, et omnis plaga Austro atque Africo exposita est. Nicaea tangit Alpes, tangit oppidum Deciatum, tangit Antipolis. Deinde est Forum Iulii, Octavanorum colonia: tum post Athenopolin, et Olbiam, et Tauroin, et Citharisten, est Lacydon, Massiliensium portus, et in eo ipsa Massilia. Haec a Phocaeis oriunda, et olim inter asperas posita, nunc ut pacatis, ita dissimillimis tamen vicina gentibus, mirum quam facile et tunc sedem alienam ceperit, et adhuc morem suum teneat. Inter eam et Rhodanum Maritima Avaticorum stagno assidet. Fossa Mariana partem

eius amnis navigabili alveo effundit. Alioquin litus ignobile est, lapideum, ut vocant; in quo Herculem contra Albiona et Bergion, Neptuni liberos, dimicantem cum tela defecissent, ab invocato Iove adiutum imbre lapidum ferunt. Credas pluisse, adeo multi passim et late iacent. Rhodanus non longe ab Istri Rhenique fontibus surgit: deinde, Lemanno lacu acceptus, tenet impetum, seque per medium integer agens, quantus venit egreditur; et inde contra occidentem ablatus, aliquamdiu Gallias dirimit: post cursu in meridiem abducto, hac intrat, accessuque aliorum amnium iam grandis, et subinde grandior, inter Volcas et Cavaras emittitur. Ultra sunt stagna Volcarum, Ledum flumen, castellum Latera, Mesua collis, incinctus mari paene undique, ac, nisi quod angusto aggere continenti adnectitur, insula. Tum ex Cebennis demissus Arauris iuxta Agathan, secundum Baeterras Orbis fluit. Atax ex Pyrenaeo monte degressus, qua sui fontis aquis venit, exiguus vadusque est; et iam ingentis alioquin alvei tenens, nisi ubi Narbonem attingit, nusquam navigabilis: sed cum hibernis intumuit imbribus, usque eo solitus insurgere, ut se ipse non capiat. Lacus accipit eum Rubresus nomine, spatiosus admodum, sed qua mare admittit, tenuis aditu. Ultra est Leucata, litoris nomen, et Salsulae fons, non dulcibus aquis defluens, sed salsioribus etiam, quam marinae sunt: iuxta campus minuta arundine gracilique perviridis, ceterum stagno subeunte suspensus. Id ma-

nifestat media pars eius, quae abscissa proximis, velut insula natat, pellique se atque attrahi patitur. Quin et ex iis, quae ad imum perfossa sunt, suffusum mare ostenditur. Unde Graiis nostrisque etiam auctoribus, verine ignorantia, an, prudentibus etiam, mendacii libidine, visum est tradere posteris, in ea regione piscem e terra penitus oriri, qui, ubi ex alto hucusque penetravit, per ea foramina, ictu capulantium interfectus, extrahitur. Inde est ora Sordonum, et parva flumina Telis et Tichis, ubi accrevere, persaeva: colonia Ruscino, vicus Illiberri, magnae quondam urbis et magnarum opum tenue vestigium. Tum inter Pyrenaei promontoria Portus Veneris in sinu salso, et Cervaria locus, finis Galliae.

CAPUT VI.

Hispaniae ora citerior.

Pyrenaeus primo hinc in Britannicum procurrit Oceanum; tum in terras fronte conversus, Hispaniam irrumpit, et minore eius parte ad dextram exclusa, trahit perpetua latera continuus, per omnem donec provinciam longo limite immissus, in ea litora, quae occidenti sunt adversa, perveniat. Ipsa Hispania, nisi qua Gallias tangit, pelago undique incincta est: ubi illis adhaeret, maxime angusta paulatim se in Nostrum et Oceanum mare extendit: magisque et magis latior ad occidentem abit, ac fit ibi latissima: viris, equis, ferro, plumbo, aere, argento auroque etiam abundans, et adeo fertilis, ut, sicubi

ob penuriam aquarum effeta et sui dissimilis est, linum tamen aut spartum alat. Tribus autem est distincta nominibus; parsque eius Tarraconensis, pars Baetica, pars Lusitania vocatur. Tarraconensis altero capite Gallias, altero Baeticam Lusitaniamque contingens, mari latera obiicit Nostro, qua meridiem; qua septemtrionem spectat, Oceano. Illas fluvius Anas separat, et ideo Baetica maria utraque prospicit: ad occidentem, Atlanticum; ad meridiem, Nostrum. Lusitania Oceano tantummodo obiecta est, sed latere ad septemtriones, fronte ad occasum. Urbium de mediterraneis in Tarraconensi clarissimae fuerunt Pallantia et Numantia, nunc est Caesaraugusta: in Lusitania Emerita: in Baetica Astigi, Hispal, Corduba. At si litora legas, a Cervaria proxima est rupes, quae in altum Pyrenaeum extrudit: dein Tichis flumen ad Rhodam, Clodianum ad Emporias: tum mons Iovis, cuius partem occidenti adversam, eminentia cautium, quod inter exigua spatia, ut gradus, subinde consurgunt, Scalas Hannibalis appellant. Inde ad Tarraconem parva sunt oppida, Blanda, Eluro, Baetulo, Barcino, Subur, Tolobi: parva flumina, Baetulo iuxta Iovis montem, Rubricatum in Barcinonis litore, inter Subur et Tolobin Maius. Tarraco urbs est in his oris maritimarum opulentissima: Tulcis eam modicus amnis, super ingens Iberus Dertosam attingit. Inde se in terras pelagus insinuat, et primum magno impetu admissum, mox in duos sinus promontorio, quod Ferrariam vo-

cant, finditur. Prior Sucronensis dicitur, maiorque, ac magno satis ore pelagus accipiens, et, quo magis penetratur, angustior, Saetabim, et Turiam, et Sucronem non magna excipit flumina: urbes complexus, et alias quidem, sed notissimas Valentiam, et Saguntum illam, fide et aerumnis inclitam. Sequens Illicitanus Alonen habet, et Lucentiam, et, unde ei nomen est, Illicen. Hic iam terrae magis in altum eunt, latioremque, quam fuerat, Hispaniam faciunt. Verum ab his, quae dicta sunt, ad principia Baeticae, praeter Carthaginem, quam dux Poenorum Hasdrubal condidit, nihil referendum est. In illis oris ignobilia sunt oppida, et quorum mentio tantum ad ordinem facit: Urci in sinu, quem Urcitanum vocant: extra Abdera, Suel, Hexi, Maenoba, Malaca, Salduba, Lacippo, Barbesula. Aperit deinde angustissimum pelagus, et proxima inter se Europae atque Africae litora montes efficiunt, ut initio diximus, Columnae Herculis, Abyla et Calpe: uterque quidem, sed Calpe magis, et paene totus in mare prominens. Is mirum in modum concavus, ab ea parte, qua spectat occasum, medium fere latus aperit: atque inde ingressis totus admodum pervius, prope quantum patet, specus. Sinus ultra est, in eoque Carteia, (ut quidam putant, aliquando Tartessos,) et quam transvecti ex Africa Phoenices habitant, atque unde nos sumus, Tingentera. Tum Mellaria, et Belo, et Besippo usque ad Iunonis promontorium oram freti occupat. Illud iam in occidentem et Oceanum obliquo iu-

go excurrens, atque ei, quod in Africa Ἀμπελουσίαν esse dixeramus, adversum, qua Nostra maria sunt, finit Europen.

CAPUT VII.

Mediterranei maris insulae.

Gades insula, quae egressis fretum obvia est, admonet ante reliquas dicere, quam in Oceani litora terrarumque circuitum, ut initio promisimus, oratio excedat. Paucae sunt in Maeotide, (inde enim videtur commodissimum incipere,) neque omnes tamen incoluntur: nam ne pabula quidem large ferunt. Hac re habitantibus caro magnorum piscium sole siccata, et in pollinem usque contusa, pro farre est. Paucae et in Ponto: Leuce, Borysthenis ostio obiecta, parva admodum, et quod ibi Achilles situs est, Achillea cognomine: non longe a Colchis Aria, quae, Marti consecrata, ut fabulis traditur, tulit aves, cum summa clade advenientium pennas, quasi tela, iaculatas. Sex sunt inter Istri ostia: ex his Peuce notissima et maxima. Thynias, Mariandynorum finibus proxima, urbem habet, quam, quia Bithyni incolunt, Bithynida appellant. Contra Thracium Bosporum duae parvae, parvoque distantes spatio, et aliquando creditae dictaeque concurrere, et Cyaneae vocantur et Symplegades. In Propontide tantum Proconnesos habitatur. Extra Hellespontum, earum, quae Asiaticis regionibus adiacent, clarissimae sunt, Tenedos, Sigeis adversa litoribus, et, quo dicentur ordine, ad promon-

torium Tauri montis expositae, quas quondam dici putavere Μακάρων; sive quod fortunati admodum coeli solique sunt, sive quod eas suo suorumque regno Macar occupaverat: in Troade Lesbos, et in ea quinque olim oppida, Antissa, Pyrrha, Eresos, Methymna, Mytilene: in Ionia Chios et Samos: in Caria Cos: in Lycia Rhodos; in illis singulae sunt iisdem nominibus urbes: in Rhodo tres quondam erant, Lindos, Camiros, Ialysos. Quae contra Tauri promontorium importunae navigantibus obiacent, Chelidoniae nominantur. In sinu, quem maximum Asia recipit prope media, Cypros, ad ortum occasumque se immittens, recto iugo inter Ciliciam Syriamque porrigitur; ingens, ut quae aliquando novem regna ceperit, et nunc aliquot urbes ferat, quarum clarissimae Salamis et Paphos, et, quo primum ex mari Venerem egressam accolae affirmant, Palaepaphos. Arados in Phoenice est parva, et, quantum patet, tota oppidum: frequens tamen, quia etiam super aliena tecta sedem ponere licet. Parva et Canopos, Nili ostio, quod Canopicum vocant, obvia est. Menelai gubernator Canopus, ibi forte moriens, nomen insulae, illa ostio dedit. Pharos nunc Alexandriae ponte coniungitur, olim (ut Homerico carmine proditum est) ab eisdem oris cursu diei totius abducta: et, si ita res fuit, videri potest coniectantibus in tantum mutatae causas Nilum praebuisse, dum limum subinde, et praecipue cum exundaret, litori adnectens, auget terras, spatiumque augescentium in vicina

vada promovet. In Africa contra maiorem Syrtim Euteletos: contra minoris promontoria, Meninx et Cercina: contra Carthaginis sinum, Tarichiae et Aegates, Romana clade memorabiles. Plures Europae litoribus sunt adpositae: in Aegaeo mari prope Thraciam Thasos, Imbros, Samothrace, Scandile, Polyaegos, Sciathos, Halonnesos; et, quam aliquando, omnibus, qui mares erant, caesis, tantum feminae tenuisse dicuntur, Atho monti Lemnos adversa. Pagasaeus sinus Scyron prospicit, Cicynethon amplectitur. Euboea ad meridiem promontorium Geraeston et Capharea, ad septemtrionem Cenaeum extrudit, et nusquam lata, duûm millium spatium habet, ubi arctissima est: ceterum longa, totique Boeotiae adposita, angusto freto distat a litore. Euripon vocant, rapidum mare, et, alterno cursu septies die ac septies nocte fluctibus in vicem versis, adeo immodice fluens, ut ventos etiam ac plena ventis navigia frustretur. Aliquot in ea sunt oppida, Styra, Eretria, Pyrrha, Nesos, Oechalia: verum opulentissimae Carystos et Chalcis. In Atthide Helene est, nota stupro Helenae, et Salamis, excidio classis Persicae notior: circa Peloponneson etiam nunc in Aegaeo Pityussa, et Aegina, Epidaurico litori proxima, Troezenio Calauria, inter ignobiles alias leto Demosthenis nobilis: in Myrtoo Cythera contra Malean, Oenussa et Theganussa contra Acritan: in Ionio Prote, Asteria, Cephallenia, Neritos, Same, Zacynthos, Dulichium; et inter non ignobiles, Ulixis nomine Ithaca maxime illu-

stris: in Epiro Echinades, et olim Plotae, nunc Strophades: contra Ambracium sinum Leucadia, et vicina Hadriatico mari Corcyra. Hae Thracum Graiorumque terris obiacent. At interius Melos, Olearos, Aegilia, Cothon, Ios, Thia, Thera, Gyaros, Hippuris, Dionysia, Cythnos, Chalcia, Icaria, Cinara, Nisyros, Lebinthos, Calymnia, Syme. Hae, quia dispersae sunt, Sporades. Ab eis Sicinos, Siphnos, Seriphos, Rhenea, Paros, Myconos, Syros, Tenos, Naxos, Delos, Andros, quia in orbem iacent, Cyclades dictae. Super eas iam in medio mari, ingens et centum quondam urbibus habitata Crete, ad orientem promontorium Samonium, ad occidentem Κριοῦ μέτωπον immittit; nisi maior esset, Cypri similis: multis famigerata fabulis, adventu Europae, Pasiphaës et Ariadnae amoribus, Minotauri feritate fatoque, Daedali operibus et fuga, Tali statione atque morte; maxime tamen eo, quod ibi sepulti Iovis paene clarum vestigium, sepulcrum, cui nomen eius insculptum esse accolae ostendunt. Urbium notissimae, Gnosos, Gortyna, Lyctos, Lycastos, Holopyxos, Therapnae, Cydonea, Marathusa, Dictynna. Inter colles, quod ibi nutritum Iovem accepimus, fama Idaei montis excellit. Iuxta est Astypalaea, Naumachos, Zephyre, Chryse, Caudos, et quas Μουσαγόρους numero tres, uno tamen vocabulo appellant; atque, unde Carpathio mari cognomen est, Carpathos. In Hadria Apsoros, Dyscelados, Absyrtis, Issa, Pityia, Hydria, Electrides, nigra Corcyra, Tragu-

rium, Diomedia, Aestria, Sason, atque, ut Alexandriae, ita Brundusio adiacens Pharos. Sicilia, ut ferunt, aliquando continens, et agro Bruttio adnexa, post freto maris Siculi abscissa est. Id angustum et anceps alterno cursu modo in Tuscum, modo in Ionium pelagus perfluit, atrox, saevum, et Scyllae Charybdisque saevis nominibus inclitum. Scylla saxum est, Charybdis mare, utrumque noxium appulsis. Ipsa ingens et tribus promontoriis in diversa procurrens, Graecae literae imaginem, quae Delta dicitur, efficit. Pachynum vocatur, quod Graeciam spectat; Lilybaeum, quod Africam; Peloris, quod in Italiam vergens Scyllae adversum est. Causa nominis Pelorus gubernator, ab Hannibale ibidem conditus; quem idem vir profugus ex Africa, ac per ea loca Syriam petens, quia procul intuenti videbantur continua esse litora, et non pervium pelagus, proditum se arbitratus occiderat. Ab eo ad Pachynum ora quae extenditur, Ionium mare attingens, haec fert illustria, Messanam, Tauromenium, Catinam, Megarida, Syracusas, et in iis mirabilem Arethusam. Fons est, in quo visuntur iacta in Alpheum amnem, ut diximus, Peloponnesiaco litori infusum: unde ille creditur non se consociare pelago, sed, subter maria terrasque depressus, huc agere alveum, atque hic se rursus extollere. Inter Pachynum et Lilybaeum Acragas est, et Heraclea, et Thermae: inter Lilybaeum et Pelorida Panhormus, et Himera: interius vero Leontini, et Centuripinum, et Hybla, aliaeque complures:

famam habet ob Cereris templum Henna. Praecipui montium Eryx, maxime memoratus ob delubrum Veneris, ab Aenea conditum; et Aetna, quae Cyclopas olim tulit, nunc assiduis ignibus flagrat. De amnibus Himera referendus, quia in media admodum ortus, in diversa decurrit, scindensque eam utrinque, alio ore in Libycum, alio in Tuscum mare devenit. Circa Siciliam in Siculo freto est Aeaee, quam Calypso habitasse dicitur; Africam versus Gaulos, Melita, Cossura; propius Italiam Calatha, et illae septem, quas Aeoli appellant, Osteodes, Lipara, Heraclea, Didyme, Phoenicussa, ac, sicut Aetna, perpetuo flagrantes igne Hiera et Strongyle. Sed Pithecussa, Leucothea, Aenaria, Phitonia, Capreae, Prochyta, Pontiae, Pandateria, Sinonia, Palmaria, Italico lateri citra Tiberina ostia obiacent. Ultra aliquot sunt parvae, Dianium, Igilium, Carbania, Urgo, Ilva, Capraria: duae grandes, fretoque divisae, Corsica et Sardinia; quarum Corsica Etrusco litori propior, intra latera tenuis et longa, praeterquam ubi Aleria et Mariana coloniae sunt, a barbaris colitur: Sardinia Africum pelagus attingens, nisi quod in occidentem, quam in orientem, angustius spectat, par et quadrata undique, et nusquam non aliquanto spatiosior, quam ubi longissima est Corsica; ceterum fertilis, et soli quam coeli melioris, atque ut fecunda, ita paene pestilens. In ea antiquissimi populorum sunt Ilienses: urbium antiquissimae Caralis et Sulci. At in Gallia, quas referre conveniat, solae sunt Stoechades, ab

ora Ligurum ad Massiliam usque dispersae. Baleares in Hispania, contra Tarraconensia litora sitae, non longe inter se distant, et ex spatio sui cognominibus acceptis, maiores, minoresque perhibentur. Castella sunt in minoribus, Iamno et Mago: in maioribus, Palma et Pollentia coloniae. Ebusos e regione promontorii, quod in Sucronensi sinu Ferrariam vocant, eodem nomine urbem habet; frumentis tantum non fecunda, at alia largior, et omnium animalium, quae nocent, adeo expers, ut ne ea quidem, quae de agrestibus mitia sunt, aut generet, aut, si invecta sunt, sustineat. Contra est Colubraria, cuius meminisse succurrit, quod, cum scateat multo ac malefico genere serpentum, et sit ideo inhabitabilis, tamen ingressis eam, intra id spatium, quod Ebusitana humo circumsignaverunt, sine pernicie et rata est; iisdem illis serpentibus, qui solent obvios appetere, adspectum eius pulveris, aliud velut virus, procul et cum pavore fugientibus.

POMPONII MELAE
DE
SITU ORBIS
LIBER III.

CAPUT I.
Hispaniae ora exterior.

DICTA est ora Nostri maris: dictae insulae, quas amplectitur. Restat ille circuitus, quem, ut initio diximus, cingit Oceanus. Ingens infinitumque pelagus, et magnis aestibus concitum, (ita enim motus eius appellant,) modo inundat campos, modo late nudat ac refugit, non alios aliosque in vicem, neque alternis accessibus nunc in hos, nunc in illos toto impetu versum: sed ubi in omnia litora, quamvis diversa sint, terrarum insularumque ex medio pariter effusum est, rursus ab illis colligitur in medium, et in semet ipsum redit; tanta vi semper immissum, ut vasta etiam flumina retro agat, et aut terrestria deprehendat animalia, aut marina destituat. Neque adhuc satis cognitum est, anhelitune suo id mundus efficiat, retractamque cum spiritu regerat undam undique, si (ut doctioribus placet) unum animal est:

an sint depressi aliqui specus, quo reciprocata maria residant, atque unde se rursus exuberantia attollant: an luna causas tantis meatibus praebeat. Ad ortus certe eius occasusque variantur: neque eodem assidue tempore, sed ut illa surgit ac demergitur, ita recedere atque adventare comperimus. Huc egressos, sequentesque ea, quae exeuntibus dextra sunt, aequor Atlanticum et ora Baeticae frontis excipit, quae, nisi quod semel iterumque paululum in semet abducitur, usque ad flumen Anam paene recta est. Turduli et Bastuli habitant. In proximo sinu portus est, quem Gaditanum, et lucus, quem Oleastrum appellant: tum castellum Ebora in litore, et procul a litore Asta colonia. Extra Iunonis ara templumque est: in ipso mari monumentum Caepionis, scopulo magis, quam insulae, impositum. Baetis ex Tarraconensi regione demissus, per hanc fere mediam diu, sicut nascitur, uno amne decurrit: post, ubi non longe a mari grandem lacum fecit, quasi ex uno fonte geminus exoritur: quantusque simplici alveo venerat, tantus singulis effluit. Tum sinus alter usque ad finem provinciae inflectitur, eumque parva oppida, Olintigi, Onoba, Laepa, contingunt. At Lusitania trans Anam, qua mare Atlanticum spectat, primum ingenti impetu in altum abit: deinde resistit, ac se magis etiam, quam Baetica, abducit. Qua prominet, bis in semet recepto mari, in tria promontoria dispergitur. Anae proximum, quia lata sede procurrens, paulatim se ac sua latera fastigat, Cuneus ager di-

citur: sequens, Sacrum vocant: Magnum, quod ulterius est. In Cuneo sunt, Myrtili, Balsa, Ossonoba: in Sacro Lacobriga, et Portus Hannibalis: in Magno, Ebora. Sinus intersunt: et est in proximo Salacia; in altero, Ulysippo, et Tagi ostium, amnis gemmas aurumque generantis. Ab his promontoriis in illam partem, quae recessit, ingens flexus aperitur; in eoque sunt Turduli veteres, Turdulorumque oppida; amnes autem, Monda, in medium fere ultimi promontorii latus effluens, et radices eiusdem adluens Durius. Frons illa aliquamdiu rectam ripam habet: dein modico flexu accepto, mox paululum eminet: tum reducta iterum iterumque recto margine iacens, ad promontorium, quod Celticum vocamus, extenditur. Totam Celtici colunt, sed a Durio ad flexum Grovii: fluuntque per eos, Avo, Celadus, Naebis, Minius, et, cui Oblivionis cognomen est, Limia. Flexus ipse Lambricam urbem amplexus, recipit fluvios Laeron et Ullam. Partem, quae prominet, Praesamarchi habitant, perque eos Tamaris et Sars, flumina non longe orta, decurrunt; Tamaris, secundum Ebora portum; Sars, iuxta turrem Augusti titulo memorabilem. Cetera super Tamarici Neriique incolunt, in eo tractu ultimi. Hactenus enim ad occidentem versa litora pertinent. Deinde ad septemtriones toto latere terra convertitur a Celtico promontorio ad Scythicum usque. Perpetua eius ora, nisi ubi modici recessus ac parva promontoria sunt, ad Cantabros paene recta est. In ea primum Artabri sunt, etiam nunc

Celticae gentis; deinde Astures. In Artabris sinus ore angusto admissum mare non angusto ambitu excipiens, Adobricam urbem et quatuor amnium ostia incingit: duo, etiam inter accolentes, ignobilia sunt; per alia duo Mearus exit, et Ivia. In Asturum litore Noega est oppidum: et tres arae, quas Sestianas vocant, in paene insula sedent, et sunt Augusti nomine sacrae, illustrantque terras ante ignobiles. At ab eo flumine, quod Saliam vocant, incipiunt orae paulatim recedere, et latae adhuc Hispaniae magis magisque spatia contrahere; usque adeo semet terris angustantibus, ut earum spatium inter duo maria dimidio minus sit, qua Galliam tangunt, quam ubi ad occidentem litus exporrigunt. Tractum Cantabri et Varduli tenent. Cantabrorum aliquot populi amnesque sunt, sed quorum nomina nostro ore concipi nequeant. Per Concanos et Salenos Saunium, per Autrigones et Origenomescos Nanasa descendit: et Devales Tritium Toboricum cingit, et Decium Aturia, et Oeasonem Magrada. Varduli, una gens, hinc ad Pyrenaei iugi promontorium pertinens, claudit Hispanias.

CAPUT II.

Galliae ora exterior.

Sequitur Galliae latus alterum, cuius ora primo nihil progressa in altum, mox tantundem paene in pelagus excedens, quantum retro Hispania abscesserat, Cantabricis fit adversa terris, et grandi circuitu amflexa, ad occidentem litus

advertit. Tunc ad septemtriones conversa, iterum longo rectoque tractu ad ripas Rheni amnis expanditur. Terra est frumenti praecipue ac pabuli ferax, et amoena lucis immanibus. Quidquid ex satis frigoris impatiens est, aegre, nec ubique alit; salubris, et noxio genere animalium minime frequens. Gentes superbae, superstitiosae, aliquando etiam immanes adeo, ut hominem optimam et gratissimam Diis victimam caederent. Manent vestigia feritatis iam abolitae, atque ut ab ultimis caedibus temperant, ita nihilominus, ubi devotos altaribus admovere, delibant. Habent tamen et facundiam suam, magistrosque sapientiae Druidas. Hi terrae mundique magnitudinem et formam, motus coeli ac siderum, et, quid Dii velint, scire profitentur. Docent multa nobilissimos gentis clam et diu, vicenis annis, aut in specu, aut in abditis saltibus. Unum ex his, quae praecipiunt, in vulgus effluxit, videlicet, ut forent ad bella meliores, aeternas esse animas, vitamque alteram ad manes. Itaque cum mortuis cremant ac defodiunt apta viventibus. Olim negotiorum ratio etiam et exactio crediti deferebatur ad inferos: erantque, qui se in rogos suorum, velut una victuri, libenter immitterent. Regio, quam incolunt, omnis Comata Gallia. Populorum tria summa nomina sunt, terminanturque fluviis ingentibus. Nam a Pyrenaeo ad Garumnam, Aquitani; ab eo ad Sequanam, Celtae; inde ad Rhenum pertinent Belgae. Aquitanorum clarissimi sunt Ausci; Celtarum, Aedui; Belga-

rum, Treveri: urbesque opulentissimae, in Treveris Augusta, in Aeduis Augustodunum, in Auscis Elimberrum. Garumna ex Pyrenaeo monte delapsus, nisi cum hiberno imbre, aut solutis nivibus intumuit, diu vadosus et vix navigabilis fertur. At ubi obvius Oceani exaestuantis accessibus adauctus est, iisdemque retro remeantibus, suas illiusque aquas agit; aliquantum plenior, et quanto magis procedit, eo latior fit, ad postremum magni freti similis; nec maiora tantum navigia tolerat, verum etiam more pelagi saevientis exsurgens, iactat navigantes atrociter, utique si alio ventus, alio unda praecipitat. In eo est insula, Antros nomine, quam pendere et attolli aquis increscentibus ideo incolae existimant, quia, cum videantur editiora quîs obiacet, ubi se fluctus implevit, illa operit, haec, ut prius, tantum ambitur: et quod ea, quibus ante ripae collesque, ne cernerentur, obstiterant, tunc velut ex loco superiore perspicua sunt. A Garumnae exitu latus illud incipit terrae procurrentis in pelagus, et ora Cantabricis adversa litoribus, aliis populis media eius habitantibus, ab Santonis ad Osismios usque deflexa. Ab illis enim iterum ad septemtriones frons litorum respicit, pertinetque ad ultimos Gallicarum gentium Morinos, nec portu, quem Gesoriacum vocant, quidquam notius habet. Rhenus, ab Alpibus decidens, prope a capite duos lacus efficit, Venetum et Acronium. Mox diu solidus, et certo alveo lapsus, haud procul a mari huc et illuc dispergitur, sed ad sinistram am-

nis etiam tum, et donec effluat, Rhenus; ad dextram primo angustus et sui similis, post ripis longe ac late recedentibus, iam non amnis, sed ingens lacus, ubi campos implevit, Flevo dicitur, eiusdemque nominis insulam amplexus, fit iterum arctior, iterumque fluvius emittitur.

CAPUT III.

GERMANIA.

Germania hinc ripis eius usque ad Alpes, a meridie ipsis Alpibus, ab oriente Sarmaticarum confinio gentium, qua septemtrionem spectat, Oceano litore obducta est. Qui habitant, immanes sunt animis atque corporibus, et ad insitam feritatem vaste utraque exercent, bellando animos, corpora ad consuetudinem laborum, maxime frigoris. Nudi agunt, antequam puberes sint; et longissima apud eos pueritia est: viri sagis velantur, aut libris arborum, quamvis saeva hieme. Nandi non patientia tantum illis, studium etiam est. Bella cum finitimis gerunt: causas eorum ex libidine arcessunt; neque imperitandi prolatandique, quae possident, (nam ne illa quidem enixe colunt,) sed ut, circa ipsos quae iacent, vasta sint. Ius in viribus habent, adeo ut ne latrocinii quidem pudeat; tantum hospitibus boni, mitesque supplicibus. Victu ita asperi incultique, ut cruda etiam carne vescantur, aut recenti, aut cum rigentem in ipsis pecudum ferarumque coriis, manibus pedibusque subigendo, renovarunt. Terra ipsa multis impedita fluminibus, multis monti-

bus aspera, et magna ex parte silvis ac paludibus invia. Paludum, Suesia, Estia, et Melsiagum, maximae: silvarum, Hercynia et aliquot sunt, quae nomen habent; sed illa dierum sexaginta iter occupans, ut maior aliis, ita et notior. Montium altissimi Taunus et Rhetico; nisi quorum nomina vix est eloqui ore Romano. Amnium in alias gentes exeuntium, Danubius et Rhodanus; in Rhenum, Moenis et Lupia; in Oceanum, Amisius, Visurgis et Albis clarissimi. Super Albim Codanus, ingens sinus, magnis parvisque insulis refertus est. Hac re mare, quod gremio litorum accipitur, nusquam late patet, nec usquam mari simile; verum aquis passim interfluentibus ac saepe transgressis, vagum atque diffusum, facie amnium, spargitur: qua litora attingit, ripis contentum insularum non longe distantibus, et ubique paene tantundem, it angustum et par freto; curvansque se subinde, longo supercilio inflexum est. In eo sunt Cimbri et Teutoni: ultra, ultimi Germaniae Hermiones.

CAPUT IV.

SARMATIA.

Sarmatia intus, quam ad mare, latior, ab his, quae sequuntur, Vistula amne discreta, qua retro abit, usque ad Istrum flumen immittitur. Gens habitu armisque Parthicae proxima, verum ut coeli asperioris, ita ingenii. Non se urbibus tenent, et ne statis quidem sedibus. Ut invitavere pabula, ut cedens et sequens hostis exigit, ita res

opesque secum trahens, semper castra habitant; bellatrix, libera, indomita, et usque eo immanis atque atrox, ut feminae etiam cum viris bella ineant; atque ut habiles sint, natis statim dextra aduritur mamma: inde expedita in ictus manus, quae exseritur, virile fit pectus. Arcus tendere, equitare, venari, puellaria pensa sunt: ferire hostem, adultarum stipendium est; adeo ut non percussisse, pro flagitio habeatur, sitque eis poenae virginitas.

CAPUT V.

SCYTHIA.

Inde Asiae confinia, nisi ubi perpetuae hiemes sedent et intolerabilis rigor, Scythici populi incolunt, fere omnes etiam in unum Bergae appellati. In Asiatico litore primi Hyperborei, super Aquilonem Rhipaeosque montes, sub ipso siderum cardine iacent: ubi sol non quotidie, ut nobis, sed primum verno aequinoctio exortus, auctumnali demum occidit: et ideo sex mensibus dies, et totidem aliis nox usque continua est. Terra angusta, aprica, per se fertilis. Cultores iustissimi, et diutius, quam ulli mortalium, et beatius vivunt. Quippe festo semper otio laeti non bella novere, non iurgia; sacris operati, maxime Apollinis: quorum primitias Delon misisse, initio per virgines suas, deinde per populos, subinde tradentes ulterioribus, moremque eum diu, et donec vitio gentium temeratus est, servasse referuntur. Habitant lucos silvasque, et ubi eos vivendi

satietas magis, quam taedium, cepit, hilares, redimiti sertis, semet ipsi in pelagus ex certa rupe praecipites dant. Id eis funus eximium est. Mare Caspium, ut angusto, ita longo etiam freto, primum terras, quasi fluvius, irrumpit: atque ubi recto alveo influxit, in tres sinus diffunditur; contra os ipsum in Hyrcanum, ad sinistram in Scythicum, ad dextram in eum, quem proprie et totius nomine Caspium appellant: omne atrox, saevum, sine portubus, procellis undique expositum; ac belluis magis, quam cetera, refertum, et ideo minus navigabile. Ad introëuntium dextram Scythae Nomades, freti litoribus, insident. Intus sunt ad Caspium sinum Caspii et Amazones, sed quas Sauromatidas appellant: ad Hyrcanum Albani, et Moschi, et Hyrcani: in Scythico Amardi, et Paesicae, et iam ad fretum Derbices. Multi in eo sinu magni parvique amnes fluunt: sed qui famam habent, ex Cerauniis montibus uno alveo descendit, duobus exit in Caspium Casius. Araxes Tauri latere demissus, quoad campos Armeniae secat, labitur placidus et silens, neque, in utram partem eat, quamquam intuearis, manifestus: cum in asperiora devenit, hinc atque illinc rupibus pressus, et quanto angustior, tanto magis pernix, frangit se subinde ad opposita cautium: atque ob id ingenti cum murmure sonansque devolvitur, adeo citus, ut, qua ex praecipiti in subiecta casurus est, non declinet statim undam, sed ultra quam canalem habet, evehat, plus iugeri spatio sublimis, et aquis pendentibus semet

ipse sine alveo ferens: deinde ubi incurvus arcuatoque amne descendit, fit tranquillus, iterumque per campos tacitus et vix fluens, in id litus elabitur. Cyrus et Cambyses, ex radicibus Coraxici montis vicinis fontibus editi, in diversa abeunt, perque Iberas et Hyrcanos diu et multum distantibus alveis defluunt: post non longe a mari eodem lacu accepti, in Hyrcanum sinum uno ore perveniunt. Iaxartes et Oxos per deserta Scythiae ex Sugdianorum regionibus in Scythicum exeunt; ille suo fonte grandis, hic incursu aliorum grandior, et aliquamdiu ad occasum ab oriente excurrens, iuxta Dahas primum inflectitur: cursuque ad septemtrionem converso, inter Amardos et Paesicas os aperit. Silvae alia quoque dira animalia, verum et tigres ferunt, utique Hyrcaniae; saevum ferarum genus, et usque eo pernix, ut illis longe quoque progressum equitem consequi, nec tantum semel, sed aliquotiens etiam, cursu, unde coeperit, subinde repetito, solitum et facile sit. Causa ex eo est, quod, ubi ille interceptos earum catulos citus coepit avehere, et, rabiem appropinquantium astu frustraturus, unum de pluribus omisit, hae proiectum excipiunt, et ad cubilia sua referunt, rursumque et saepius remeant, atque idem efficiunt, donec ad frequentiora, quam adire audeant, profugus raptor evadat. Ultra Caspium sinum quidnam esset, ambiguum aliquamdiu fuit; idemne Oceanus, an tellus infesta frigoribus, sine ambitu ac sine fine proiecta. Sed praeter Physicos Homerumque, qui

universum orbem mari circumfusum esse dixerunt, Cornelius Nepos, ut recentior, ita auctoritate certior; testem autem rei Q. Metellum Celerem adiicit, eumque ita retulisse commemorat: Cum Galliae pro consule praeesset, Indos quosdam a rege Boiorum dono sibi datos; unde in eas terras devenissent, requirendo cognosse, vi tempestatum ex Indicis aequoribus abreptos, emensosque, quae intererant, tandem in Germaniae litora exiisse. Restat ergo pelagus; sed reliqua lateris eiusdem assiduo gelu durantur, et ideo deserta sunt.

CAPUT VI.

Hispaniae exterioris et septemtrionalis Oceani insulae.

His oris, quas angulo Baeticae adhuc usque perstrinximus, multae ignobiles insulae, et sine nominibus etiam, adiacent: sed earum, quas praeterire non libeat, Gades fretum attingit; eaque angusto spatio, et veluti flumine, a continenti abscissa, qua terris propior est, paene rectam ripam agit; qua Oceanum spectat, duobus promontoriis evecta in altum, medium litus abducit, et fert in altero cornu eiusdem nominis urbem opulentam, in altero templum Aegyptii Herculis, conditoribus, religione, vetustate, opibus illustre. Tyrii constituere: cur sanctum sit, ossa eius ibi sita efficiunt: annorum, quîs manet numerus, ab Iliaca tempestate principia sunt: opes tempus aluit. In Lusitania Erythia est, quam

Geryonae habitatam accepimus, aliaeque sine certis nominibus; adeo agri fertiles, ut, cum semel sata frumenta sint, subinde recidivis seminibus segetem novantibus, septem minimum, interdum plures etiam messes ferant. In Celticis aliquot sunt, quas, quia plumbo abundant, uno omnes nomine Cassiteridas appellant. Sena in Britannico mari, Osismicis adversa litoribus, Gallici numinis oraculo insignis est: cuius antistites, perpetua virginitate sanctae, numero novem esse traduntur: Gallicenas vocant, putantque ingeniis singularibus praeditas, maria ac ventos concitare carminibus, seque in quae velint animalia vertere, sanare, quae apud alios insanabilia sunt, scire ventura et praedicare: sed non nisi deditas navigantibus, et in id tantum, ut se consulerent, profectis. Britannia qualis sit, qualesque progeneret, mox certiora et magis explorata dicentur. Quippe tam diu clausam aperit ecce Principum maximus, nec indomitarum modo ante se, verum ignotarum quoque gentium victor, propriarum rerum fidem ut bello affectavit, ita triumpho declaraturus portat. Ceterum, ut adhuc habuimus, inter septemtrionem occidentemque proiecta, grandi angulo Rheni ostia prospicit: deinde obliqua retro latera abstrahit, altero Galliam, altero Germaniam spectans: tum rursus perpetuo margine directi litoris ab tergore obducta, iterum se in diversos angulos cuneat triquetra, et Siciliae maxime similis, plana, ingens, fecunda, verum his, quae pecora, quam homines, benignius alant.

Fert nemora, lacus ac praegrandia flumina, alternis motibus modo in pelagus, modo retro fluentia, et quaedam gemmas margaritasque generantia. Fert populos regesque populorum: sed sunt inculti omnes, atque ut longius a continenti absunt, ita magis aliarum opum ignari, tantum pecore ac finibus dites, incertum ob decorem, an quid aliud, vitro corpora infecti. Causas tamen bellorum et bella contrahunt, ac se frequenter invicem infestant, maxime imperitandi cupidine, studioque ea prolatandi, quae possident. Dimicant non equitatu modo aut pedite, verum et bigis et curribus, Gallice armati: covinnos vocant, quorum falcatis axibus utuntur. Super Britanniam Iuverna est, paene par spatio, sed utrinque aequali tractu litorum oblonga: coeli ad maturanda semina iniqui, verum adeo luxuriosa herbis, non laetis modo, sed etiam dulcibus, ut se exigua parte diei pecora impleant, et nisi pabulo prohibeantur, diutius pasta dissiliant. Cultores eius inconditi sunt, et omnium virtutum ignari magis, quam aliae gentes; pietatis admodum expertes. Triginta sunt Orcades, angustis inter se diductae spatiis: septem Haemodae, contra Germaniam vectae. In illo sinu, quem Codanum diximus, ex insulis Scandinovia, quam adhuc Teutoni tenent, ut fecunditate alias, ita magnitudine antestat. Quae Sarmatis adversa sunt, ob alternos accessus recursusque pelagi, et quod spatia, quîs distant, modo operiuntur undis, modo nuda sunt, alias insulae videntur, alias una et continens terra. In

his esse Oaeonas, qui ovis avium palustrium et avenis tantum alantur: esse equinis pedibus Hippopodas, et Panotos, quibus magnae aures, et ad ambiendum corpus omne patulae, nudis alioquin pro veste sint, praeterquam quod fabulis traditur, auctores etiam, quos sequi non pigeat, invenio. Thule Bergarum litori opposita est, Graiis et nostris celebrata carminibus. In ea, quod ibi sol longe occasurus exsurgit, breves utique noctes sunt: sed per hiemem, sicut aliubi, obscurae; aestate lucidae, quod per id tempus iam se altius evehens, quamquam ipse non cernatur, vicino tamen splendore proxima illustrat: per solstitium vero nullae, quod tunc iam manifestior non fulgorem modo, sed sui quoque partem maximam ostentat. Talge in Caspio mari, sine cultu fertilis, omni fruge ac fructibus abundans: sed vicini populi, quae gignuntur, attingere nefas et pro sacrilegio habent, Diis parata existimantes, Diisque servanda. Aliquot et illis oris, quas desertas diximus, aeque desertae adiacent, quas sine propriis nominibus Scythicas vocant.

CAPUT VII.

Oceanus Eous et India.

Ab his in Eoum mare cursus inflectitur, inque oram terrae spectantis orientem. Pertinet haec a Scythico promontorio ad Colida: primumque omnis est invia; deinde ob immanitatem habitantium inculta. Scythae sunt Androphagi et Sacae, distincti regione, quia feris scatet, inhabitabili.

Vasta deinde iterum loca belluae infestant, usque ad montem mari imminentem, nomine Tabim. Longe ab eo Taurus attollitur. Seres intersunt; genus plenum iustitiae, et commercio, quod rebus in solitudine relictis absens peragit, notissimum. India non Eoo tantum adposita pelago, sed et ei, quod ad meridiem spectans Indicum diximus, et hinc Tauri iugis, ab occidente Indo finita, tantum spatium litoris occupat, quantum per quadraginta dies noctesque velificantibus cursus est; ita multum a nostris abducta regionibus, ut in aliqua parte eius neuter septemtrio appareat, aliterque, quam in aliis oris, umbrae rerum ad meridiem iaceant. Ceterum fertilis, et vario genere hominum aliorumque animalium scatet. Alit formicas non minus maximas canibus; quas more Gryphorum aurum penitus egestum cum summa pernicie attingentium custodire commemorant: immánes et serpentes, aliqui ut elephantos morsu atque ambitu corporis afficiant. Tam pinguis alicubi et tam feracis soli, ut in eo mella frondibus defluant, lanas silvae ferant, arundinum fissa internodia, veluti navia, binos, et quaedam ternos etiam vehant. Cultorum habitus moresque dissimiles. Lino alii vestiuntur, aut lanis, quas diximus; alii avium ferarumque pellibus: pars nudi agunt; pars tantum obscoena velati: alii humiles parvique; alii ita proceri et corpore ingentes, ut elephantis etiam, et ibi maximis, sicut nos equis, facile atque habiliter utantur. Quidam nullum animal occidere, nulla carne vesci, optimum exi-

stimant: quosdam tantum pisces alunt. Quidam proximi parentes, priusquam annis aut aegritudine in maciem eant, velut hostias caedunt: caesorumque visceribus epulari fas et maxime pium est. At ubi senectus aut morbus incessit, procul a ceteris abeunt, mortemque in solitudine nihil anxii exspectant. Prudentiores, et quibus ars studiumque sapientiae contingit, non exspectant eam, sed ingerendo semet ignibus, laeti et cum gloria arcessunt. Urbium, quas incolunt, (sunt autem plurimae,) Nysa est clarissima et maxima: montium Meros, Iovi sacer. Famam hinc praecipuam habent; in illa genitum, in huius specu Liberum patrem arbitrantur esse nutritum: unde Graecis auctoribus, ut femori Iovis insitum dicerent, aut materia ingessit, aut error. Oras tenent ab Indo ad Gangen Palibothri, a Gange ad Colida (nisi ubi magis, quam ut habitetur, exaestuat) atrae gentes et quodammodo Aethiopes. A Colide ad Cudum recta sunt litora, timidique populi, et marinis opibus affatim dites. Tamos promontorium est, quod Taurus attollit: Colis alterius partis angulus, initiumque lateris ad meridiem versi: Ganges et Indus amnes. Ille multis fontibus in Hemode, Indiae monte, conceptus, simul unum alveum fecit, fit omnium maximus, et alicubi latius, quando angustissime fluit, decem millia passuum patens, in septem ora dispergitur. Indus ex monte Paropamiso exortus, et alia quidem flumina admittit, sed clarissima, Cophen, Acesinen, Hydaspen: conceptamque pluribus alveis

undam lato spatio trahit. Hinc paene Gangen magnitudine exaequat. Post ubi aliquot saepe magnis flexibus cinxit iugum ingens, iterum rectus solidusque descendit: donec ad laevam dextramque se diducens, duobus ostiis longe distantibus exeat. Ad Tamum insula est Chryse, ad Gangen Argyre: altera aurei soli, (ita veteres tradidere,) altera argentei: atque, ut maxime videtur, aut ex re nomen, aut ex vocabulo fabula est. Taprobane, aut grandis admodum insula, aut prima pars orbis alterius Hipparcho dicitur: sed quia habitatur, nec quisquam circum eam isse traditur, prope verum est. Contra Indi ostia illa sunt, quae vocant Solis, adeo inhabitabilia, ut ingressos vis circumfusi aëris exanimet confestim; et inter ipsa ostia Patalene. Regio ob aestus intolerabilis, alicubi cultoribus egens, inde ad principia Rubri maris pertinet. Ipsa invia atque deserta; humus cineri magis fit, quam pulveri, similis; ideoque per eam rara et non grandia flumina emanant, quorum Tuberonem et Arusacen notissima accepimus.

CAPUT VIII.

Mare Rubrum, et uterque huius sinus, Persicus et Arabicus.

Rubrum mare Graeci, sive quia eius coloris est, sive quia ibi Erythras regnavit, Ἐρυθρὰν θάλασσαν appellant: procellosum, asperum mare, profundum, et magnorum animalium magis, quam cetera, capax. Primo recedentes oras aequabiliter

impellit; et ut non intret interius, aliquantum patens sinus arcuat. Sed quas ripas inflexerat, bis irrumpit, duosque iterum sinus aperit. Persicus vocatur dictis regionibus propior; Arabicus ulterior. Persicus, qua mare accipit, utrinque rectis lateribus grande ostium, quasi cervice, complectitur: dein terris in omnem partem vaste et aequa portione cedentibus, magno litorum orbe pelagus incingens, reddit formam capitis humani. Arabici et os arctius et latitudo minor est, maior aliquanto recessus, et multo magis longa latera. Init penitus introrsusque, dum Aegyptum paene et montem Arabiae Casium attingit, quodam fastigio minus ac minus latus, et, quo magis penetrat, angustior. Ab his, quae diximus, ad sinum Persicum (nisi ubi Chelonophagi morantur) deserta sunt. In ipso Carmanii navigantium dextra positi, sine veste ac fruge, sine pecore ac sedibus, piscium cute se velant, carne vescuntur, praeter capita toto corpore hirsuti. Interiora Cedrosii, dehinc Persae habitant. Sabis per Carmanios, supra Andanis et Coros effluunt. In parte, quae pelagi ostio adversa est, Babyloniorum fines Chaldaeorumque sunt, et duo clari amnes, Tigris Persidi propior, ulterior Euphrates. Tigris ut natus est, ita descendens usque in litora permeat: Euphrates, immani ore aperto, non exit tantum, unde oritur, sed et vaste quoque decidit; nec secat continuo agros, sed late diffusus in stagna, diu sedentibus aquis piger, et sine alveo patulus, post, ubi marginem rupit, vere fluvius, acceptis-

que ripis celer et fremens, per Armenios et Cappadocas occidentem petit; ni Taurus obstet, in Nostra maria venturus. Inde ad meridiem avertitur, et primum Syros, tum Arabas ingressus, non perdurat in pelagus, verum ingens modo et navigabilis, inde tenuis rivus, despectus emoritur, et nusquam manifesto exitu effluit, ut alii amnes, sed deficit. Alterum latus ambit plaga, quae inter utrumque pelagus excurrit. Arabia dicitur, cognomen Eudaemon, angusta, verum cinnami et turis aliorumque odorum maxime ferax. Maiorem Sabaei tenent partem, ostio proximam et Carmaniis contrariam Macae. Frontem, quae inter ostia ostenditur, silvae cautesque exasperant. Aliquot sunt in medio insulae sitae: Ogyris, quod in ea Erythrae regis monumentum est, magis clara, quam ceterae. Alterum sinum undique Arabes incingunt. Ab ea parte, quae introëuntibus dextra est, urbes sunt, Cana, et Arabia, et Gadamus: in altera, ab intimo angulo prima, Berenice, inter Heroopoliticum et Strobilum: deinde inter promontoria *Μυὸς ὅρμον* et Coloba, Philoteris et Ptolemais: ultra Arsinoë, et alia Berenice: tum silva, quae hebenum odoresque generat, et manu factus amnis, ideoque referendus, quod ex Nili alveo dioryge adductus. Extra sinum, verum in flexu tamen, etiam non modico, Rubri maris, pars bestiis infesta, ideoque deserta est: partem Panchaei habitant, quos ex facto, quia serpentibus vescuntur, Ophiophagos vocant. Fuere interius Pygmaei, minutum genus, et quod

pro satis frugibus contra grues dimicando defecit. Sunt multa volucrum, multa serpentum genera: de serpentibus memorandi maxime, quos parvos admodum, et veneni praesentis, certo anni tempore ex limo concretarum paludum emergere, in magno examine volantes Aegyptum tendere, atque in ipso introitu finium ab avibus, quas Ibidas appellant, adverso agmine excipi pugnaque confici traditum est. De volucribus praecipue referenda Phoenix, semper unica: non enim coitu concipitur, partuve generatur; sed ubi quingentorum annorum aevo perpetua duravit, super exaggeratam variis odoribus struem sibi ipsa incubat solviturque; deinde putrescentium membrorum tabe concrescens, ipsa se concipit, atque ex se rursus renascitur; cum adolevit, ossa pristini corporis inclusa myrrha Aegyptum exportat, atque in urbe, quam Solis appellant, fragrantibus archio bustis inferens, memorando funere consecrat. Ipsum promontorium, quo id mare clauditur, a Cerauniis saltibus invium est.

CAPUT IX.

AETHIOPIA.

Aethiopes ultra sedent; Meroën habent terram, quam Nilus primo ambitu amplexus insulam facit: pars, quia vitae spatium dimidio fere, quam nos, longius agunt, Macrobii; pars, quia ex Aegypto advenere, dicti Automoloe: pulchri forma, aequi corporis, parumque venerati opes, veluti optimarum alumni virtutum. In illis mos

est, cui potissimum pareant, specie ac viribus legere. Apud hos plus auri, quam aeris est: ideo quod minus est, pretiosius censent. Aere exornantur, auro vincula sontium fabricant. Est locus apparatis epulis semper refertus; et quia, ut libet vesci volentibus, licet, ἡλίου τράπεζαν appellant; et quae passim apposita sunt, affirmant innasci subinde divinitus. Est lacus, quo perfusa corpora quasi uncta pernitent; bibitur idem: adeo est liquidus, et ad sustinenda, quae incidunt, aut immittuntur, infirmus, ut folia etiam proximis decisa frondibus, non innatantia ferat, sed pessum et penitus accipiat. Sunt et saevissimae ferae, omni colore varii Lycaones, et quales accepimus, Sphinges. Sunt mirae aves cornutae Tragopanes, et equinis auribus Pegasi. Ceterum oras ad Eurum sequentibus nihil memorabile occurrit. Vasta omnia, vastis praecisa montibus, ripae potius sunt, quam litora. Inde ingens et sine cultoribus tractus. Dubium aliquamdiu fuit, essetne ultra pelagus; caperetne terra circuitum, an exhausto fluctu sine fine se Africa extenderet: verum [ipse] Hanno Carthaginiensis, exploratum missus a suis, cum per Oceani ostium exisset, magnam partem eius circumvectus, non se mare, sed commeatum, defecisse, memoratu retulerat: et Eudoxus quidam, avorum nostrorum temporibus, cum Lathurum, regem Alexandriae, profugeret, Arabico sinu egressus, per hoc pelagus (ut Nepos affirmat) Gades usque pervectus est; ideo eius orae notae sunt aliqua. Sunt autem trans ea, quae

modo deserta diximus, muti populi, et quibus pro eloquio nutus est; alii sine sono linguae; alii sine linguis; alii labris etiam cohaerentibus, nisi quod sub naribus etiam fistula est, per quam bibere avenis, et, cum incessit libido vescendi, grana singula frugum passim nascentium absorbere dicuntur. Sunt, quibus ante adventum Eudoxi adeo ignotus ignis fuit, adeoque visus mirum in modum placuit, ut amplecti etiam flammas, et ardentia sinu abdere, donec noceret, maxime libuerit. Super eos grandis litoris flexus grandem insulam includit, in qua tantum feminas esse narrant, toto corpore hirsutas, et sine coitu marium sua sponte fecundas; adeo asperis efferisque moribus, ut quaedam contineri, ne reluctentur, vix vinculis possint. Hoc Hanno retulit, et, quia detracta occisis coria pertulerat, fides habita est. Ultra hunc sinum mons altus (ut Graeci vocant) Θεῶν ὄχημα perpetuis ignibus flagrat. Ultra montem viret collis, longo tractu longis litoribus obductus, unde visuntur patentes magis campi, quam ut perspici possint, Panum Satyrorumque. Hinc opinio causae fidem cepit, quod, cum in his nihil culti sit, nullae habitantium sedes, nulla vestigia, solitudo in diem vasta, et silentium vastius, nocte crebri ignes micant, et veluti castra late iacentia ostenduntur, crepant cymbala et tympana, audiunturque tibiae, sonantes maius humanis. Tunc rursus Aethiopes, nec tam dites, quam quos diximus, nec ita corporibus similes, sed minores incultique sunt, et nomine Ἑσπερίων.

In horum finibus fons est, quem Nili esse aliqua credibile est. Nuchul ab incolis dicitur: et videri potest non alio nomine appellari, sed a barbaro ore corruptus. Alit papyrum, et minora quidem, eiusdem tamen generis, animalia. Aliis amnibus in Oceanum vergentibus, solus in mediam regionem et ad orientem abit: et, quonam exeat, incertum est. Inde colligitur, Nilum hoc fonte conceptum, actumque aliquamdiu per invia, et ideo ignotum, iterum se, ubi ad Eoa possit, ostendere: ceterum spatio, quo absconditur, effici, ut hic alio cedere, ille aliunde videatur exsurgere. Catoblebas, non grandis fera, verum grande et praegrave caput aegre sustinens, atque ob id in terram plurimum ore conversa, apud hos gignitur: ob vim singularem magis etiam referenda, quod, cum impetu morsuque nihil unquam saeviat, oculos eius vidisse mortiferum. Contra eosdem sunt insulae Gorgades, domus (ut aiunt) aliquando Gorgonum. Ipsae terrae promontorio, cui Ἑσπέρου Κέρας nomen est, finiuntur.

CAPUT X.

Atlanticum mare et huic adsita Aethiopiae et Mauretaniae pars.

Inde incipit frons illa, quae in occidentem vergens mari Atlantico abluitur. Prima eius Aethiopes tenent, media nulli: nam aut exusta sunt, aut arenis obducta, aut infesta serpentibus. Exustis insulae adpositae sunt, quas Hesperidas tenuisse memoratur. In arenis mons est Atlas, dense con-

surgens, verum incisis undique rupibus praeceps, invius, et, quo magis surgit, exilior; qui quod altius, quam conspici potest, usque in nubila erigitur, coelum et sidera non tangere modo vertice, sed sustinere quoque dictus est. Contra Fortunatae insulae abundant sua sponte genitis, et subinde aliis super aliis innascentibus nihil sollicitos alunt, beatius quam aliae urbes excultae. Una singulari duorum fontium ingenio maxime insignis: alterum qui gustavere, risu solvuntur in mortem; ita affectis remedium est ex altero bibere. Ab eo tractu, quem ferae infestant, proximi sunt Himantopodes, inflexi lentis cruribus, quos serpere potius, quam ingredi, referunt: deinde Pharusii, aliquando tendente ad Hesperidas Hercule dites; nunc inculti, et, nisi quod pecore aluntur, admodum inopes. Hinc iam laetiores agri amoenique saltus citro, terebintho et ebore abundant. Nigritarum Gaetulorumque passim vagantium ne litora quidem infecunda sunt, purpura et murice efficacissimis ad tingendum; et ubique, quae tinxere, clarissima. Reliqua est ora Mauretaniae exterior, et in finem sui fastigantis se Africae novissimus angulus; iisdem opibus, sed minus dives. Ceterum solo etiam ditior et adeo fertilis est, ut frugum genera, non cum serantur modo, benignissime procreet, sed quaedam profundat etiam non sata. Hic Antaeus regnasse dicitur, et (signum quod fabulae clarum prorsus) ostenditur collis modicus resupini hominis imagine iacentis, illius, ut incolae ferunt, tumulus: un-

de ubi aliqua pars-eruta est, solent imbres spargi, et, donec effossa repleantur, eveniunt. Hominum pars silvas frequentant, minus, quam quos modo diximus, vagi: pars in urbibus agunt; quarum, ut inter parvas, opulentissimae habentur, procul a mari Gilda, Volubilis, Prisciana; propius autem Sala et Lixo flumini Lixo proxima. Ultra est colonia et fluvius Zilia, et, unde initium fecimus, Ἀμπελουσία in Nostrum iam fretum vergens promontorium, operis huius atque Atlantici litoris terminus.

RUFI FESTI AVIENI

DESCRIPTIO ORBIS TERRAE

ET

ORA MARITIMA.

PRISCIANI

PERIEGESIS.

CLAUDII RUTILII

DE

REDITU SUO ITINERARIUM.

VIBIUS SEQUESTER

DE

FLUMINIBUS, FONTIBUS, LACUBUS, NEMORIBUS, PALUDIBUS, MONTIBUS, GENTIBUS,

QUORUM APUD POETAS MENTIO FIT.

RUFI FESTI AVIENI

DESCRIPTIO

ORBIS TERRAE.

Qua protenta iacent vastae divortia terrae,
Et qua praecipiti volvuntur prona meatu
Flumina per terras, qua priscis inclita muris
Oppida nituntur, genus hoc procul omne animantum
Qua colit, Aoniis perget stilus impiger orsis.
Ardua res, Musae. Deus, en Deus intrat Apollo
Pectora, fatidicae quatiens penetralia Cirrhae.
Pierides, toto celeres Helicone venite,
Concinat et Phoebo vester chorus; Oceanumque,
Carminis auspicium, primum memorate, Camenae.
Oceani nam terra salo praecingitur omnis,
Parva ut caeruleo caput effert insula ponto:
Nec tamen extremo teres est situs undique in orbe,
Qua colitur populis, qua tellus paret aratro;
Sed, matutino qua coelum sole rubescit,
Latior, accisi curvantur caespitis arva,
Cetera protentus. Tria sunt confinia terrae
Unius: est primum Libyae, Europaeque, Asiaeque.
Aequore ab Hesperio qua se salis insinuat vis,
Terrarumque cavis illabitur, arduus Atlas
Qua iuga celsa tumet, Libyae sese explicat ora:

Finis huic Gades, septenaque gurgite vasto
Ora procul Nili, Phariorum ubi gleba recumbit,
Et Pelusiaci celebrantur templa Canopi.
Europaeque dehinc laevum est latus: at procul ambas
Una Asia, inclinans geminis se cornibus, urget
Desuper, ac rupti divortia continet orbis.
Europam atque Asiam Tanais disterminat amnis.
Hic se Sarmaticis evolvens finibus alta,
Scissus Araxeo prius aequore, iam suus, unda
Effluit in Scythiam: procul hinc Maeotida Tethyn
Intrat, et inserto freta pellit vasta fluento,
Ismaricique riget semper flabris Aquilonis.
At qua piscosi gurges strepit Hellesponti,
Vis obliqua sali tepidum procumbit in Austrum,
Terrarumque trium modus est mare, donec in alti
Ora procul Nili late Thetis efflua serpat.
Altera pars orbem telluris limite findit.
Caespes terga iacens Asiae succedit in oras,
Immensusque modi protenditur. Hic latus arctans
Caspia contingit freta desuper, atque tumenti
Proximus Euxino est: Asiam conterminus iste
Europamque secat. Tellus sese altera in Austrum
Porrigit, insertoque sinus interiacet agro,
(Nam sinus hic Arabum, sinus hic Aegyptius unda
Aestuat,) et Libycis Asiam discernit ab oris.
Sic diversa fuit sententia, rite quis orbi
Limes haberetur. Totum hoc circumlatrat aestus,
Et maris infesti moles ligat. Una furenti
Natura est pelago, pelagi sed nomina mille,
Aequor ut innumeris terrarum admoverit oris.
Qua se blanda satis intendunt flabra Favoni,
Hesperium Oceano mare terras intrat ab alto.

Axe Lycaoniae rursum facis, atque ubi dura
Belligeratores nutrit tellus Arimaspas,
Nomine Saturni late iacet aequoris unda.
Hic densata sali stant marmora, pigraque ponti
Se natura tenet, nunquam ruit effluus humor:
Mortuus hic Graio perhibetur gurges in usu
Denique, quod lento stupeat plaga salsa profundo;
Vel quod sole carens pars orbis taetra rigescat.
Vix hebes has oras ardor Titanius adflat,
Vix evecta dies illuminat, omneque late
Pingue tenebrosa coelum subtexitur aethra.
At qua prima dies rutilo sustollitur ortu,
Aureus et tremulas late rubor inficit undas,
Eoum pelagus, freta dicunt Indica pandi.
Propter Erythraei tenduntur dorsa profundi,
Aethiopumque salum diffunditur. Hic Notus aethram
Urit, et hic aestu radiorum Phoebus anhelo
Arva coquit: sterilis regio est, et inhospita late
Aret humus, cassaeque solo torrentur arenae.
Oceanus sic cuncta vago complectitur aestu,
Undique sic unus terras interminus ambit,
Innumerosque sinus cavat illabentibus undis
Desuper: e multis celebri sub nomine tantum
Quatuor infuso late sale terga dehiscunt.
Primus in orbe sinus vasti maris aequora gignit
Gurgitis Hesperii. Procul hic protentus in ortus
Faucibus a Libycis aestum trahit, atque ubi laetam
Caespite sub pingui pandit Pamphylia glebam,
Deficit; et curva sinuatur litoris ora.
Alter item est primo brevior, maiorque duobus.
Hic prolapsus aquae, boreali fusus ab alto,
Terga procelloso turgescit Caspia fluctu.

Hyrcanum hoc pelagus pars nominat. Hinc duo rursum
Ora patent ponti: geminus sinus aequoris intrat,
Telluremque cavat, qua se Notus axe tepenti
Erigit. Horum unus vada longe Persica fundit,
Caspia conversus procul in freta; porrigiturque
Quartus Arabs, tumet hic rapido per aperta fluento,
Euxinumque salum videt eminus. En tibi rursum
Aequoris Hesperii tractus loquar: istius unda
Lambit terga soli, qua se vagus explicat orbis.
Nam vel caeruleo loca circumplectitur aestu,
Vel celso demissa iugo confinia radit,
Moenia vel fusi praestringit gurgite ponti.
In Zephyrum tellus extenditur, oraque terrae
Ultima proceras subducit in astra columnas.
Hic modus est orbis Gadir locus, hic tumet Atlas
Arduus, hic duro torquetur cardine coelum,
Hic circumfusis vestitur nubibus axis.
Et primum ruptàs se pontus Ibericus illinc
Inserit in terras: caput autem principiumque
Europae et Libyae est. Mediis infunditur oris,
Irrepitque salum. Scopuli stant ardui utrinque:
Unus enim Europam, Libyam procul adspicit alter.
Sic discreta freto procera cacumina celsis
Emicuere iugis, sic intrant saxa profundum,
Sic subeunt nubes, sic coelum vertice fulcit
Maura Abyla, et dorso consurgit Iberica Calpe.
Gallicus hinc aestus provolvitur: Hic super urbem
Massiliam gens Graia colit, Ligurumque tumescit
Aequor, et indomito tellus iacet Itala regno.
Ausonis haec regio est; pubi genus ab Iove summo.
Qua se flabra trucis Boreae per inhospita terrae
Eructant coelo, populis caput Aeneadarum,

Alba dehinc cautes est terminus: haec freta propter
Trinacriae summa consurgit litoris ora.
Evolvuntur item vada fusi caerula ponti;
Insula qua Cyrnus fluctu madet adludente,
Litoris ostriferi protendens latius undam,
Sardiniamque dehinc moles circumflua cingit
Aequoris, et cano spumant freta concita fluctu.
Hinc Tyrrhena sali sunt agmina, qua Notus axem
Humidus inclinat: qua lux se rursus Eoa
Emergit pelago, Siculi maris aestuat unda,
Obliquumque quatit gurges protentior altum
Usque in saxosi Pachyni iuga. Plurimus inde
In Cretam trahitur ponti tumor: hicque procul se
Inclinat rupes, atque obvia fluctibus altis
Ingreditur pelagus Gortynia moenia iuxta,
Ac procumbentis sola propter pinguia Phaesti.
Prona mari cautes extenditur, ut ferus ora
Est aries, ultroque minans petit obvia fronte:
Denique sic olli nomen prior indidit aetas:
Nec minus Italiam cornu prospectat acuti
Litoris, et rapidi perflatur Iapygis ortu.
Hinc se rursus aquis Adriatica marmora fundunt
In Boream, Zephyrumque: dehinc deflexa parumper
Alta petunt, rauco penitus repentia fluctu:
Hic sinus Ionius curvatur litoris acta,
Caespitis et gemini tellus irrumpitur alto.
Nam qua caeruleis pontus sese inserit undis,
Illyris in dextris pandit regionibus agros,
Emathiamque super sulcat genus acre virorum:
Ausonidum laeva est. Hinc longo caespite tellus
Funditur, et varia populorum pube domantur
Arva soli. Trina haec pelagi circumtonat unda.

Nam qua se Zephyri sustollunt flabra, profundum
Tyrrheni est pelagi: qua se Notus erigit aethra,
Sicanum late fluitat mare: qua procul autem
Spirat ab Eoïs pulcher regionibus Eurus,
Ionii sunt terga sali. Sic Itala tellus
A circumfusis latus amplum lambitur undis.
Efflua post Siculi moles evolvitur alti,
Inque Notum late vada ponti caerula serpunt,
Donec arenosas attollant aequora Syrtes,
Infidumque rati tenuent mare. Languida quippe
Aequore iam fesso sese trahit unda per ambas.
Montibus ab Siculis capit autem prona meatum,
Cretaeisque iugis mox Syrtes inter oberrat
Parcior, et tenui praetexens ima fluento.
Rursus ab Idaea Salmonide porrigit aequor
Se geminum: nautae Pharium dixere profundum,
Quod procul in Casiae vergit confinia cautis:
Sidoniique dehinc late salis aestuat unda,
Issicus immodico donec sinus ore patescat,
Aequoris et nostri sit terminus: arva ubi late
Pinguia proceris Cilicum versantur aratris.
Curva salo forma est: hinc sese marmora ponti
In Zephyrum torquent, ac flexu lubricus errat
Gurges, et exesas illabitur unda lacunas.
Sic virosorum prolixa volumina sese
Sponte cerastarum facili sub viscere curvant;
Sic spiras crebro sinuat draco, seque vel orbe
Colligit inclinans, vel pronis agmina longe
Tractibus absolvit: stridet nemus undique totum;
Pestifero adflatu serpens vagus inquinat aethram.
Haud secus illapso penetrantur litora fluctu,
Et rursum tellus init aequora: iugis ubique

Mugitus pelago est, gemitu loca cuncta resultant.
Imminet huic late Pamphylia, subluit illic
Unda Chelidonias, illisum murmurat aequor,
Saepius et crebra spumescunt aequora rupe,
Ac rursum in Zephyrum vada semet caerula curvant.
Terminus his cautes Patareïdis eminet arcis.
Hinc salis Aegaei tractus tonat, inque Bootis
Plaustra dehinc rapidi flectuntur marmora Nerei,
Saxosis Sporadum saepe obluctantia ripis.
Non aliud tanta consurgit mole profundum,
Non sic curva Thetis fluctu tumet: extimus olli
In Tenedum cursus, pelagi caput incipit Imbro.
Caespitis hinc proni protendens dorsa Propontis,
Flatibus ex Boreae tepidum procumbit in Austrum,
Immensaeque Asiae populos alit ubere terrae.
Hinc artas inter fauces atque obvia saxa
Thracius angustas discludit Bosporus oras,
Bosporus Inachiae subvector virginis olim.
Nam vicina sibi stant litora, terraque parci
Faucibus oris hiat, pronam sinus evomit undam:
Proxima non alibi tantum divortia cernas
Caespitis: hac pecoris cursu sternacis in aequor
Inachis illata est; sic pectus canduit ira,
Pellicis et tanto Divam dolor extulit igni.
Illic instabili, fama est, sale saxa moveri,
Inferrique sibi flabris urgentibus oras:
Hic rigidas errare ferunt per marmora cautes,
Et nunc ora sali vastas praetendere rupes,
Nunc aperire sinum: gemit amplo murmure pontus,
Seu quod collisas Thetis indignata per arces
Saeviat obiectis; seu quod brevis exitus undas
Exserat, et strictis eructet faucibus aequor.

Interius lato Pontus se gurgite fundit,
Undarumque procul latus explicat, aurea Phoebi
Qua rota purpureo repetit convexa sub ortu.
Sic obliqua maris panduntur denique dorsa,
Ut matutinis inclinent aequora habenis,
Longior ac Boreae concedat gurges in axem.
Pontus enim nostrae sinus est amplissimus undae.
Hic Asia ab laevis praecingitur, Europamque
Excipit, adversus quam dehinc se Thracius artat.
Bosporus, et tenui vix panditur oris hiatu.
At qua diducto Pontus distenditur aestu,
Et porrecta mari terrae iuga longius intrant
In pelagus, tractuque vago sua litora linquunt,
Caespite Paphlagonum prodit saxosa Carambis.
Altera se cautes similis procul arietis ori,
Dura pruinoso qua torpet Taurica coelo,
Exserit, et tenta late premit aequora fronte.
Eminus ista Notum videt, Arctos eminus illa.
Porro inter fluctus ac fusi marmora Ponti
Proxima celsorum sic sunt sibi dorsa locorum,
Quamvis vasta sali moles interfluit arces,
Ut gemini sit forma maris. Sed brachia Pontus,
Finibus Arctois, Eoae lucis in ortum,
Et qua prona dies atris involvitur umbris,
Molliter inclinans, Scythici speciem facit arcus;
At tepidi de parte Noti directior oram,
Continuumque iacens, rigidi sub imagine nervi
Tenditur. Excedit confinia sola Carambis
In Boream vergens. Boreali rursus in Arcto
Ore sinus patulo Maeotidis alta paludis
Aequora prorumpunt: Scytha late barbarus oras
Incolit, et Matrem Ponti cognominat undam.

Sola parens Ponto, genitrix haec sola fluento est:
Hoc se fonte trahunt vaga glauci marmora Ponti,
Cimmerio prolapsa sinu. Nam Bosporus illic
Cimmerius fauces aperit: circumque superque
Cimmerii, gens dura, colunt. Hic ardua Taurus
In iuga consurgit, coelumque cacumine fulcit
Verticis, et celsis late caput inserit astris.
Huc, mirante salo, quondam sese intulit Argo
Thessala, et innantem stupuerunt aequora cymbam.
Sic vasti moles pelagi interfunditur oras:
Sic se forma maris toto procul explicat orbe.
Nunc tibi tellurem versu loquar. Incute docto,
Phoebe, chelyn plectro. Musis intermina vita
Permanet, et memori laus semper pullulat aevo.
Indefessa tuae sint mentis acumina, Lector,
Sudorisque mei patulo bibe carmina rictu:
Dulcis in his haustus, meritum grave, gratia perpes.
Ergo solum terraeque Libystidis ora per Austrum
Tenditur, Eoae procul in confinia lucis.
Gades principium est. Caput huius caespitis autem
Artius angusto conducit litora tractu,
Oceanique salum cuneo subit: istius orae
Terminus immensis Arabum concluditur undis.
Ad latus hoc terra diffusius explicat agros,
Arvaque tenta patent. Haec pingui caespite tellus
Aethiopum est nutrix, qui nigros propter Erembos
Extremi Libyae curvo sola vomere sulcant:
Et rursum Aethiopes soli subiecta cadenti
Arva tenent. Sic scissa virûm gens ultima terrae
Incolit: hos adflant rutilae incunabula lucis;
Hi iam praecipitis terrentur solis habenis.
Propter proceras Zephyri regione columnas

Mauri habitant: his fluxa fides et inhospita semper
Corda rigent; trahitur duris vaga vita rapinis.
Proxima se late Numidarum pascua tendunt,
Massylique super populi per aperta locorum
Palantes agitant. Certi laris inscia gens est:
Nunc in dumosas erepunt denique rupes,
Nunc quatiunt campos, nunc silvas inter oberrant
Coniugibus natisque simul: cibus aspera glando
Omnibus: haud illis sulcatur caespes aratro:
Non his mugitus pecudum strepit. Inclita post hos
Moenia consurgunt Tyriae Carthaginis: illa
Urbs Phoenissa prius, Libyci nunc ruris alumna,
Paci blanda quies, et bello promta cruento.
Ast hinc in Syrtim praeceps ruit unda minorem,
Ulteriusque dehinc qua lux se reddit Olympo,
Maior vasta sibi late trahit aequora Syrtis,
Infidumque rati pelagus furit. Ardua quippe
Undarum moles Tyrrheno cogitur aestu,
Curvatumque salum quatit amplo litora fluctu.
Ecce alias lento prorepit gurgite Nereus,
Undaque vix tenuis siccas praetexit arenas.
Immemor ergo modi semper natura duabus
Syrtibus, et classem sors crebro caeca fatigat.
Ambarum medio procera Neapolis arcem
Subrigit: hanc rursum gens late prisca virorum
Lotophagi includunt. Diros Nasamonas at inde
Adspice, queis quondam populorum examina multa
Versavere solum, multo sonuere per agros
Balatu pecudes: nunc lati iugera campi
Et grege nuda iacent, et sunt cultoribus orba.
Ausonis haec duro vastavit dextera bello:
Ausonis, invicti gens roboris, una per orbem

Arma tulit: pubem Latiam ferus horruit Ister,
Romanas aquilas Rhodanus tremit, Italidum vi
Maesta paludivagos Germania flevit alumnos.
Illi caeruleas attingunt aequoris undas:
At qua navigero tellus discedit ab aestu,
Innumerae gentes, populorum examina mille
Arva tenent. Hic fata canit venerabilis Hammon,
Mugit arenosis nemus illic denique lucis.
Adstat Cyrene propter vetus, erigiturque
Urbs procera arces, et Apolline dives alumno:
Marmaridae iuxta; procul hi tamen ultima regni
Aegypto inclinant: tergo Gaetulia glebam
Porrigit, et patulis Nigretae finibus errant.
Protinus hinc Garamas late confinia tendit,
Trux Garamas, pedibus pernix, et arundinis usu
Nobilis. At quantum terrarum interna recedunt,
Ut procul Oceano tellus vicina madescat,
Aethiopum populos alit ampli caespitis ora,
Terminus Aethiopum populos adit ultima Cerne.
Post Blemyes medii succedunt solis habenas,
Corpora proceri, nigri cute, viscera sicci,
Et circumvincti nervis exstantibus artus.
Hi celeri molles currunt pede semper arenas,
Nec tamen impressae linquunt vestigia plantae.
Eminus evolvunt hinc sese pinguia Nili
Flumina, et intenti prolabitur aequoris unda.
Hic qua secretis incidit flexibus agros,
Aethiopum lingua Siris ruit; utque Syenen
Caerulus accedens diti loca flumine adulat,
Nomine se claro Nilum trahit, inque iacentem
Aegyptum fusus fluctu premit arva marito,
Fecundatque solum. Procul illinc agmina cogit

In Boream, scissusque vagis anfractibus aequor
Proserit, et ponto septem ferus explicat ora.
Non olli compar quisquam fluit, inclita quamquam
Undique se totis eructent flumina terris.
Nilus enim immensos ulnam dispergit in agros,
Et fovet invecto sata gurgite: Nilus honorem
Telluri reparat: Nilus freta maxima pellit.
Hic Asiam ab Libya disterminat, axe Favonî
Secernens Libyam; redeuntis solis ab ortu
Disiungens Asiae medio confinia fluctu.
Nec procul illa virûm gens incolit, axibus olim
Quae prior humanas leges et iura notavit,
Vomere quae duro, quae longi pondere aratri
Sollicitavit humum, quae fetus edere sulcis
Tellurem docuit, quae caedens partibus aethram
Prodidit obliquo solem decurrere coelo.
Istius ergo tibi formam regionis et oras
Expediam versu. Blandus praetenditur aër,
Prodigus herbarum caespes iacet, aspera nusquam
Culmina consurgunt, portus cavat ora frequentes.
Quidquid terra dehinc redeuntis sufficit anni
Tempore, prae cunctis stupeas specieque modoque.
Trina loco frons est, sed laxior axe Bootis,
Luce sub Eoa constrictior, usque Syenen
Tenditur, unde pii volvuntur flumina Nili.
Hic urbs est Thebae, Thebae, quae moenibus altis
Praecinxere larem: Memnon ubi Tithoneus
Suspectat roseas Aurorae matris habenas.
Pars quae cyaneo discedit ab aequore, septem
Oppida sustentat: notiam pars vergit in oram,
Et modus est olli Serbonidis alta paludis;
Altera pulsatur genitabilis ore Favonî.

Hic urbem posuit Pellaeae dextera gentis;
Hic inter celsas late surgentia nubes
Templa Sinopaei Iovis adstant nixa columnis,
Divite saxorum circumvestita metallo,
Auro fulta gravi, niveo radiantia dente.
Nec minus hic speculae vertex subducitur, ex quo
Cernere sit longe Pallenidis intima terrae.
At qua surgenti terrae pars conscia Phoebo est,
Aggere murorum Pelusia moenia surgunt.
Gens hic docta sali tumido freta gurgite currit,
Inque procellosos lembum convertere fluctus
Ludum habet, et rauca vitam producit in unda.
Talis forma iacet Libyae, talique recessu
Ab Zephyro Eoum tellus incumbit in axem.
Istius extenti sola caespitis undique sulcant
Gentes innumerae, quae sparsae litore longo
Oceani australis vada late caerula tangunt;
Et quae multimodis media tellure agitantes
Arva domant, et quae Tritonidis alta paludis
Ut circumfuso populorum examine cingunt.
Nunc tibi et Europae fabor latus. Haec, ubi terras
Intrat Atlantei vis aequoris, accipit ortum.
Unus utramque sali fluxus secat, et procul unum
Distinet os ambas; eadem insinuatio ponti
Europam et Libyam rapido disterminat aestu.
Sed prior illa tamen tepido perfunditur Austro,
Haec subit insanos tergum curvatà Aquilones.
Ambae Asiam rursum simili sub limite tangunt:
Aequus utrinque modus protenditur. At simul ambas
Si conferre sibi quisquam velit, una parumper
Ut credatur humus, mediique interflua ponti
Subtrahat; extemplo, quali nux pinea forma est,

Singula versanti talis succedet imago
Europae et Libyae. Sic nam latus explicat ambas,
Unum et utrique caput, similis quoque finis utrique.
Sed tamen Hesperii qua spectant aequoris undam,
Ambae producto coëunt sibi caespite terrae;
Qua matutinis sol istas ignibus adflat,
Latior ambabus species distenditur. Unum
Hoc agili sub mente tenens, velut obvia habebis
Cetera terrarum. Tellus Europa columnis
Proxima magnanimos alit aequo caespite Iberos.
Hi super Oceani borealis frigida tangunt
Aequora, et excursu diffusi latius agri
Arva tenent, duris nimium vicina Britannis;
Flavaque caesariem Germania porrigit oram,
Dumosa Hercyniae peragrans confinia silvae.
Inde Pyrenaei turgescunt dorsa nivalis,
Gallorumque truces populi per inhospita terrae
Vitam agitant. Tum caeruleum Padus evomit antro
Flumen, et extento patulos premit aequore campos.
Hic prius Eridani propter nemorosa fluenta
Fleverunt liquidae lapsum Phaëthonta sorores,
Mutataeque manus planxerunt pectora ramis.
Nec procul hinc rigidis insurgunt rupibus Alpes,
Nascentemque diem celso iuga vertice cernunt.
Porro inter cautes et saxa sonantia Rhenus,
Vertice qua nubes nebulosus fulcit Adulas,
Urget aquas, glaucoque rapax rotat agmine molem
Gurgitis, Oceani donec borealis in undas
Effluat, et celeri perrumpat marmora fluctu.
Quin et Danubium produnt secreta repente
Barbara, sed discors tamen est natura fluento.
Abnoba mons Istro pater est: cadit Abnobae hiatu

Flumen: in eoos autem convertitur axes,
Euxinoque salo provolvitur: ora per aequor
Quinque vomunt amnem, qua se procul insula Peuce
Exserit. Hinc rigidi qua spirant flabra Aquilonis,
Sarmata, Germani, Geta, Bastarnaeque feroces,
Dacorumque tenent populi, tenet acer Alanus,
Incola Taurisci Scytha litoris; indeque rursum
Dira Melanchlaeni gens circumfusa vagatur.
Proxima Neurorum regio est, celeresque Geloni,
Praecinctique sagis semper pictis Agathyrsi.
Inde Borysthenii vis sese fluminis effert
Euxinum in pelagus. Tunc aequora Panticapaei
Ardiscique tibi celso de vertice surgunt
Rhipaei montis, ubi dura saepe sub Arcto
Densa pruinosos eructant nubila nimbos.
Hic dites venae niveum gignunt crystallum,
Atque hic indomito tellus adamante rigescit
Inter Rhipaeos et proceros Agathyrsos.
Hae gentes Istrum, qua se plaga dura Bootis
Porrigit, incumbunt. Medii de parte diei
Per dumosorum reptantes dorsa iugorum
Gerrhae habitant. Gerrhas attingunt oppida late
Norica, et immodicae rursum sola pinguia glebae
Pannonia exercet. Borean subit altior agro
Moesus, et extento post tergum caespite Thracas
Plurimus excedit. Tunc ipsi maxima Thraces
Vomere sollicitant curvo loca. Denique longo
Qua porrecta iacet spatio piscosa Propontis,
Et qua praecipiti fluctu furit Hellespontus,
Aegaeumque dehinc procul in mare, plurima Thraces
Arva tenent. Hic mellifluis Pallena sub antris
Lychnitis rutilae flammas alit: hic et ïaspis

Fulva micat stellis, quantum convexa per aethrae
Ignea perpetuis ardescunt sidera flammis.
  Hic rursum occiduis Europam fabor ab oris.
Haec tanquam speculis adsurgens plurima trinis,
Spectat Achaemeniae lucis iubar. Unus Iberos
Limes habet, limes tenet alter denique Graios,
Ausoniae medius protendit latius arva.
Oceani vicina salo qua gleba recumbit,
Oceani Hesperii, tumet illic ardua Calpe:
Hic Hispanus ager, tellus ibi dives Iberûm:
Tartessusque super sustollitur: indeque Cempsi
Gens agit, in rupis vestigia Pyrenaeae
Protendens populos. Medio se limite gleba
Ausonis effundit: mediam secat Apenninus
Ausoniam. Nam qua boreali vertice ad aethram
Concrescunt Alpes, surgit caput Apennino;
Et qua Sicanii tellus madet aequoris aestu,
Ut protelatae molis iuga gurgite condit.
Hunc circa multae sola sulcant proxima gentes;
Et tamen has omnes sollers tibi Musa loquetur.
Prima vetustorum gens est ibi Tyrrhenorum:
Inde Pelasga manus, Cyllenae e finibus olim
Quae petit Hesperii freta gurgitis, arva retentat
Itala. Tum multa tenduntur parte Latini,
Per quos flaventes Tybris pater explicat undas,
Romanosque lares lapsu praelambit alumno.
Hinc Campanus ager glebam iacit. Hic freta quondam
Parthenopen blando labentem in marmora ponti
Suscepere sinu. Tepidum si rursus in Austrum
Convertare oculos, nemorosi maxima cernes
Culmina Piceni. Coma largi palmitis illic
Tenditur, ac fuso Bacchus tegit arva flagello.

Tum Lucanorum regio insurgentibus alte
Cautibus horrescit: scrupus sola creber iniqua
Asperat, et denso caecantur stipite silvae.
Bruttius hinc dumos âcer colit inter, et arces
Obsidet infidas, donec Sicana fluenta
Intendant pelagus, displosisque aequora terris
Instabile inclinent semper mare, qua vel Eois
Hadrias unda vadis largam procul exspuit algam,
Vel qua Tyrrheni praeceps involvitur aestus.
At Zephyri hinc rupes dorsum tumet, inque Bootis
Plaustra patens albo consurgit vertice saxum.
Huc se prisca Locri gens intulit, et sale longo
Eminus invecti, qua pontum gurgite rumpit
Flumen Alex, Graiae rexerunt lintea cymbae.
Hinc Metapontini discurrunt latius arvo:
Inde Croton priscis attollit moenia muris:
Aesarus hic amnis salsa convertitur unda,
Et Iunone calent hic arae praesule semper.
Nec minus exciti post flumina dira Tonantis
Infortunatae Sybaris vicina ruina est;
Samnitaeque truces habitant confinia. Post hos
Gens Marsûm quondam tenuit loca. Tumque Tarentum
Surgit, Amyclaei soboles praedura tyranni.
Hinc iacet in patulos proiecta Calabria campos,
Et super arenti tenduntur Iapyges agro.
Huc se praecipiti cogit ferus Hadria ponto.
Hic Aquileia decens celsis caput inserit astris:
Tergestumque dehinc curvi salis incubat oram,
Extimus Ionii qua se sinus aequoris abdit.
Tot populi Ausoniam circumdant moenibus altis,
Italiam cingunt tot diti caespite gentes.
In iubar Eoum rursum se pervia flectunt

Aequora, et Assyrium suspectant eminus axem
Ionii freta glauca sali, primosque Liburnos
Praestringunt pelago; gens Hylli plurima rursum
Accolit: hic tenui tellus discluditur aestu.
Illyris ora dehinc distenditur: hicque periclis
Saepe carinarum famosa Ceraunia surgunt.
Tum prorepentis qua sunt vada caerula Nerei,
Harmoniae et Cadmi sustentat gleba sepulcrum
Barbara. Nam longo iactati saepius orbe,
Postquam liquerunt Ismeni fluminis undam,
Hic in caeruleos mutati membra dracones
Absolvere diem, finemque dedere labori.
Nec minus hic aliud monstri genus arbiter aethrae
Edidit. Assistunt scopuli duo, cumque quid atri
Imminet eventus, ut vulgi corda fatiget
Sors rerum, et mentem terat inclementia fati,
Et motantur humo, et coëunt sibi vertice saxa.
Sed qua mitis item spirat Notus, Oriciumque
Pulsant flabra solum, Graiae confinia terrae
Incipiunt aperire latus, prolixaque longis
Iugera producunt spatiis, praecincta duobus
Aequoris infusi procursibus. Hanc freta quippe
Aegaei lambunt pelagi, citus Hadria rursum
Subluit hanc fluctu. Gemino sic gurgite late
Graia madet tellus, sortitaque marmora ventos
Quaeque suos, imo turgescunt mota profundo.
Eurus in Aegaeum contorquet flabra: cadentis
Parte poli Zephyris Hadriatica terga tumescunt.
Insula se rursum Pelopis visentibus offert,
Insula, quae platani folio compar sedet. Isthmi
Quippe caput summum conducitur, arctaque vergit
In Borean tellus, et Graios adiacet agros:

Cetera sub folii specie distenditur arva,
Ac per utrumque latus sinuoso saepe recedit
Caespite. Sed tepido qua tellus tunditur Austro,
Graiorum Triphylis sterili se porrigit ora.
Hinc sacer Alpheus flumen trahit, et vagus aequor
Influit Eurotas. Pisanos alter adulat,
Alter Amyclaeas celeri secat agmine terras.
Insula qua curvas inclinat concava valles,
Arcades immensum propter degunt Erymanthum.
Hic distentus aquas sata lambit pinguia Ladon.
Iuxta Argivus ager, iuxta sunt culta Laconum.
Illos prima dies, celer istos adspicit Auster.
Isthmi terga dehinc geminus circumlatrat aestus,
Parte Ephyres, piceas qua nox agit atra tenebras,
Et matutinus qua lucem proserit ortus.
Hic usu Graio nomen tenet unda Saronis.
Atticus hanc ultra limes iacet, Attica tellus
Belligeratorum genitrix memoranda virorum.
Fertilis haec herbis Ilissum subvehit amnem:
Ilissi Boreas stagno tulit Orithyiam.
Boeotûmque dehinc sese confinia iungunt,
Et Locris, et patuli sulcator Thessalus agri,
Et Macetum praepingue solum; tumet arduus Haemus,
Threïciumque caput subducitur. Adiacet Haemum
Partibus ab Zephyri Dodonae vatis alumnus.
Axe Noti rigidas subter rupes Aracynthi
Gens Aetola colit; campis ibi pulcher apertis
Labitur, et virides sulcans terras Achelous
Irruit Hadriaci tergum maris; hicque frequentes
Fluctibus attolluntur Echinades. Haud procul inde
Prisca Cephallenae consurgunt oppida terrae:
Delphica quin etiam miscet confinia Phocis,

Lucis in exortum protentior; inque Booten
Thermopylae cedunt. Hic se Parnassia rupes
Erigit: hic celeri Cephissus volvitur unda:
Hic quondam Python transactus arundine membra,
Sanguinis et cassus prolixa volumina solvit.
Illic saepe Deum conspeximus adridentem,
Inter turicremas hic Phoebum vidimus aras.
  Nunc ut quaeque vago surrexerit insula ponto,
Ordine quo steterint pelago circumflua saxa,
Expediam. Cymbae ducatur cursus ab unda
Gurgitis occidui. Precor adspirate, Camenae,
Inter et oppositas intendite lintea terras.
  Gadir prima fretum solida supereminet arce,
Attollitque caput geminis inserta columnis.
Haec Cotinussa prius fuerat sub nomine prisco,
Tartessumque dehinc Tyrii dixere coloni,
Barbara quin etiam Gades hanc lingua frequentat,
Poenus quippe locum Gaddir vocat undique saeptum
Aggere praeducto. Tyrii per inhospita late
Aequora provecti, tenuere ut caespitis oram,
Constituere domus: dant hi quoque maxima templa
Amphitryoniadae, numenque verentur alumnum.
Insula se propter Gymnesia tollit ab alto,
Ac dilecta vago pecori consurgit Ebusus,
Sardiniaeque arces, et inhorrens Corsica silvis:
Aeolidesque dehinc tumidis se fluctibus edunt
Insulae, et inserto canescunt undique ponto.
Has dudum tenuit rex Aeolus: Aeolus illic
Hospita iactatis indulsit litora nautis:
Aeolus imperio summi Iovis arbiter alto
Impositus pelago est, effundere carcere ventos,
Et sedare salum. Septem sese aequoris aestu

Emergunt arces, septem quas aequoris aestu
Hic habuit. Tunc Ausoniam se pandit in oram
Tellus Trinacria, et patulo distenditur agro.
Haec autem trinis laterum procursibus adstat,
Ternaque caeruleis longe iuga porrigit undis.
In matutinos Pachynus producitur ortus:
Pars tepet a Zephyro Lilybeïa: celsa Peloris
Tota sereniferae pulsatur flatibus ursae.
Hic iter infidum pelagi, miserandaque fata
Involvere salo, fluctuque hausere voraci
Saepe rates. Urgent angustae marmora fauces,
Arctaque praecipitant properum confinia pontum.
Qua se parte dehinc celsae Notus erigit aethrae,
Vis late Libyci furit aequoris. Una ibi Syrtis,
Ast aliam ulterius freta prolabentia tendunt,
Parvaque caeruleo circumsonat aequore Meninx.
Rursus in Hadriacam lembum cogentibus undam,
Et laevum curva pelagus sulcantibus alno,
Insula se Graii Diomedis gurgite promit,
Italiam spectans et Iapygis arva coloni.
Huc illum motae quondam tulit ira Diones,
Postquam per celeres extorrem traxit Iberos:
Coniugis huc dirae misit furor Aegialeae.
Ionii si quis rate rursum caerula currat
Aequora, et Eoos cymbam producat in ortus,
Absyrti cautes et crebras protinus arces
Inveniet. Colchos huc quondam cura fidesque
Extulit, insanam sectantes Aeetinen.
Nec procul Ionii per terga Liburnides adstant.
Inque Notum post dira Ceraunia carbasa si quis
Torqueat, et tepidos lembum declinet in axes,
Ambraciotarum succedent protinus arces,

Alcinoique domus pandetur Corcyra rursum,
Corcyra comta solum, locupleti Corcyra sulco.
Hanc super est tellus, Ithaci vetus aula tyranni,
Exsulis et toto raptati saepe profundo.
Plurima praeterea consurgunt gurgite saxa,
Quae protentus aquas Achelous pulcher oberrat;
Amnisusque dehinc alias circumfluit unda,
Quae tamen in Boream vergunt magis, Aegyla parva
Et procera caput turgescunt pulchra Cythera;
Eminet hic etiam saxosa Calauria iuxta;
Carpathus hic rupes attollitur: haec tamen axem
Respicit occiduum. Nutrix hic Creta Tonantis,
Multa latus, glebamque ferax et opima virentum,
Erigitur pelago. Cretam super adstitit Ida,
Ida procellosis agitans Aquilonibus ornos.
Nec procul Aegyptum Rhodus adiacet, adiacet oram
Suniados, qua se protendit caespes Abantum,
Fertilis Aeginae tellus, et opima Salamis.
Lucis ab exortu, Pamphylia qua cavat aestum
Prolabentis aquae, Cyprus alta cingitur unda,
Atque Dionaei pulsatur litoris acta.
Inde Chelidoniae treis sese gurgite tollunt,
Qua frons tenta salo Patareïdis eminet arcis.
Laeta dehinc Aradus Phoenicum praeiacet oram,
Multus ubi exesae sinus est telluris ab alto,
Ac latus omne soli procul in dispendia cedit
Litoris, et curvo praelambitur ora fluento.
Mirus at ille dehinc Aegaei gurges habetur,
Qui gemina de parte sali velut ordine iusto
Saxa mari profert circumflua, tenuia sese
Quo freta praecipitant Athamantidis inclita leto:
Sestus ubi atque Abydus parvo sale discernuntur,

Et vicina sibi lambit confinia Pontus.
Pars procul Europae laevum latus, altera porro
Ditem Asiam spectat: cunctae tamen ordine facto
Insulae in Arctoi procedunt plaustra Bootis.
Europam incumbit prolixus limes Abantum.
Scyrus ibi late dorsum tumet, ac Peparethum
Protollit pelagus. Iuxta Vulcania Lemnos
Erigitur, Cererique Thasos dilecta profundo
Proserit albenti se vertice. Prominet Imbrus,
Thressaque consurgit propter Samus. Indeque rursum
Cyclades accedunt Asiam, Delumque coronant.
Omnes fatidico curant solemnia Phoebo.
Nam cum vere novo tellus se dura relaxat,
Culminibusque cavis blandum strepit ales hirundo,
Gens devota choros agitat, gratique sacrato
Ludunt festa die, visit sacra numen alumnum.
Hinc Sporades crebro producunt caespite sese,
Densa serenato ceu splendent sidera coelo.
Nec minus attolluntur Ionides insulae ab alto.
Hic iuxta Caunus, Samus hic Saturnia iuxta,
Tumque Chius patulae prospectans arva Pelinae.
Lesbus item et Tenedus per aperti marmora ponti
Expediunt arces, et culmina nubibus indunt.
Hinc se piscosi pandit sinus Hellesponti.
Hic salis Arctoi spumas vomit impiger aestus,
Hic protenta quatit late freta glauca Propontis.
Si quis laeva dehinc Euxini marmora sulcet,
Ora Borysthenii qua fluminis in mare vergunt,
E regione procul spectabit culmina Leuces.
Leuce cana iugum, Leuce sedes animarum:
Nam post fata virûm semper versarier illic
Insontes aiunt animas; ubi concava vasto

Cedit in antra sinu rupes, ubi saxa dehiscunt
Molibus exesis, et curvo fornice pendent.
Haec sunt dona piis: sic illos Iupiter imis
Exemit tenebris, Erebi sic inscia virtus.
Rursum Cimmerius qua Bosporus ora patescit,
Dexterior ponto subit insula, vastaque late
Excedit moles pelagus: sedet eminus ingens
Phaenagore, et muros attollitur Hermonassa.
Hae maris infusi consurgunt insulae ab alto.
Exterior quîs unda dehinc, circumfluus et quîs
Aestuet Oceanus, quibus illae flatibus omnes
Culmina pulsentur, memores date carmine Musae.
Propter Atlantei tergum salis Aethiopum gens,
Hesperides, habitant: dorsum tumet hic Erytheae,
Hicque Sacri, sic terga vocat gens ardua, montis:
Nam protenta iugum tellus trahit. Hoc caput amplae
Proditur Europae: genitrix haec ora metalli,
Albentis stanni venas vomit. Acer Iberus
Hic freta veloci percurrit saepe faselo.
Eminus hic aliae gelidi prope flabra Aquilonis
Exsuperant undas, et vasta cacumina tollunt.
Hae numero geminae, pingues sola, caespitis amplae,
Conditur occidui qua Rhenus gurgitis unda,
Dira Britannorum sustentant agmina terris.
Hic spumosus item ponti liquor explicat aestum,
Et brevis e pelago vertex subit: hic chorus ingens
Feminei coetus pulchri colit orgia Bacchi:
Producit noctem ludus sacer: aëra pulsant
Vocibus, et crebris late sola calcibus urgent.
Non sic Absinthi prope flumina Thracis alumnae
Bistonides; non, qua celeri ruit agmine Ganges,
Indorum populi stata curant festa Lyaeo.

Longa dehinc celeri si quis rate marmora currat,
Inque Lycaonias cymbam procul urgeat Arctos,
Inveniet vasto surgentem vertice Thulen.
Hic cum plaustra poli tangit Phoebeïus ignis,
Nocte sub illustri rota solis fomite flagrat
Continuo, clarumque diem nox aemula ducit.
Nam sol obliquo torquetur cardine mundi,
Directosque super radios vicinior axi
Occiduo inclinat, donec iuga rursus anhela
Devexo accipiat coelo Notus. Inde fluenta
Tenduntur Scythici longe maris in facis ortum
Eoae. Tum cyaneis erepit ab undis
Insula, quae prisci signatur nominis usu
Aurea, quod fulvo Sol hic magis orbe rubescat.
Contemplator item, ceu se mare flectat in Austrum,
Inque Notum Oceanus freta ponti caerula curvet:
Altaque Coliados mox hic tibi dorsa patescent
Rupis, et intenti spectabis caespitis arces.
Pro quibus ingenti consistens mole per undas
Insula Taprobane gignit tetros elephantos,
Et super aestiferi torretur sidere Cancri.
Haec immensa patet, vastisque extenditur oris
Undique per pelagus: latus autem protinus olli
Agmina cetosi pecoris, vaga monstra profundi,
Adludunt: fervent Erythraei marmora ponti
Tota feris: haec, ut rigidi iuga maxima montis,
Nubibus attollunt latus omne, et terga tumescunt:
Instar in his rupis spinae tenor arduus adstat,
Molibus in celsis scrupus quoque creber inhorret.
Ah, ne quis rapidi subvectus gurgitis unda
Haec in terga sali lembum contorqueat unquam!
Ah, ne monstrigenis, hostem licet, inferat aestus

Fluctibus! immodici late patet oris hiatus
Quippe feris, antro panduntur guttura vasto;
Protinus hac ipsas absorbent fauce carinas,
Involvuntque simul mox monstra voracia nautas.
Ogyris inde salo promit caput, aspera rupes,
Carmanis qua se pelagi procul invehit undas.
Regis Erythraei tellus haec nota sepulcro
Tenditur, et nudis iuga tantum cautibus horrent.
Persicus hinc aestus fauces hiat. Insula rursum,
Si tamen in Borean flectantur carbasa cymbae,
Icarus aërio consurgit vertice in auras,
Icarus ignicomo Soli sacra: namque Sabaei
Turis ibi semper vaga fumum nubila volvunt.
Insulae in Oceani procursibus hae tibi tantum
Carmine sunt dignae. Multas vehit undique Pontus
Praeterea, parvas specie, famaque carentes.
Pars Asiam, Libyam pars adiacet altera ponto,
Pars videt Europam: non has tamen aut modus orae,
Aut interna cavi commendat vena metalli.
Harum aliae duris reserant vix litora nautis;
Et scaber in multis scrupus riget, undique iniquus
Subrigitur vertex, et inhospita caespitis ora est.
Quarum quis valeat numerosa ut nomina fari?
Si velit hoc ullus, velit idem scire quot alto
Curventur fluctus pelago, quot sidera coeli
Educant flammas, quot robora proferat Ida,
Quantus arenarum numerus versetur ab Euro.
Carmine nunc Asiam formet stilus. Incute doctam,
Phoebe, chelyn! totis Helicon adspiret ab antris.
Maxima pars orbis narrabitur, inclita tellus
Prometur Musis. Terrarum summa duarum
Unius est limes, quae caespite protegit ambas.

Vastius est Asiae diti caput, indeque sensim
In matutinos oram conducitur axes.
Hic adstare procul Bacchi fert fama columnas,
Ultimus Oceani qua terras adluit aestus,
Indica qua rupes tumet extima, qua vaga Ganges
Caespite dorsa trahens in Nyssaeum Platamona
Porrigitur. Similis nequaquam est forma duabus,
Nec modus est compar. Secat unus denique pontus
Europam et Libyam: multus circumsonat istam
Oceanus, trinoque sinu vagus influit aestus
Unam Asiae molem. Sinus istam Persicus intrat,
Maximus hanc Arabum scindit sinus, et sinus aequor
Inserit Hyrcanus: duo nigri partibus Austri
Curvantur, rigidam suspectat tertius Arcton:
Hic et in Euxini prorepit marmoris undam,
Et Zephyrum tergo spectat procul: adiacet ambos
Tellus multa dehinc, et longis tenditur arvis.
Ast Asiam incumbit vasto mons aggere Taurus,
Interstatque iugo mediam, Pamphylia campo
Qua iacet, incipiens, ac verticis ardua ducit
Indorum ad pelagus: nunc autem subrigit idem
Obliquas arces et flexilis aëra pulsat;
Nunc directa solo tentus vestigia figit.
Mille dehinc amnes unus vomit, exserit unus
Flumina per terras, vel qua riget ora Bootis,
Vel qua lene Notus spirat, qua perstrepit Eurus,
Et qua deiecto Zephyrus sustollitur axe.
Nec tamen hic uno signatur nomine ubique,
Sed dum flectit iter, novus emicat, utque tumenti
Gens vicina subest, peregrina vocabula mutat.
Accipe, qui populi circumdent denique Taurum.
Maeotae primi salsam cinxere paludem.

Obversatur item trux Sarmata, bellica quondam
Gentis Amazonidum soboles: nam cum prius illae
Egissent vasti prope flumina Thermodontis
Threïcio de Marte satae, iunxere profectae
Concubitus: longas exercet Sarmata silvas,
Ex quibus elapsus Tanaïs procul arva pererrat
Barbara, et in salsam protendit terga paludem.
Hic Asiam Europa disterminat: arduus istum
Caucasus eructat: Scythicos hic fusus in agros
Impacatorum nutrit pubem populorum.
Huius utrumque latus quatit amplis bruma procellis,
Constrictumque tenent hunc frigora. Proxima rursus
Cimmerii Sindique colunt: Cercetia gens est
Atque Toretarum propter genus: indeque Achaei:
Ab Xanthi ripis atque Idaeo Simoënte,
Inter cauricrepas et scruposas convalles,
Transvexere larem. Iuxta gens aspera degit
Heniochi, Zygiique dehinc, qui regna Pelasgûm
Linquentes, quondam tenuerunt proxima Ponti.
Impiger hos propter Colchus colit: iste feraci
Exsul ab Aegypto celsae serit aspera rupis:
Caucasus Hyrcanae nimium conterminus undae est.
Huius valle procul Phasis gemit, istius antro
Agmina provolvit, Circaeaque lapsus in arva
Incidit Euxinum. Borealis cardine coeli
Rursus in Eoae lucis confinia tellus
Inclinata iacet, gemino vicina profundo.
Caspia nam late terram super adluit unda,
Euxinique subest tergum salis: asper Hiberus
Hic agit: hic olim Pyrrhenide pulsus ab ora
Caespitis Eoi tenuit sola, ceu vaga saepe
Fors rapit exactos patria: tenet aequora campi

Gens Camaritarum, qui post certamina Bacchum,
Indica Bassaridum cum duceret agmina victor,
Accepere casis, mensasque dedere Lyaeo:
Orgia ludentes et nebride pectora cincti
Deduxere choros, Nyssaei ludicra ritus.
Hos super in fluctus assurgit Caspia Tethys.
Haec dicenda mihi: nec diri gurgitis unquam
Lustravi pinu freta barbara, nec vagus orbem
Undique reptavi; sed vasti flumina Gangis,
Caucaseas arces et dumicolas Arienos
Incentore canam Phoebo, Musisque magistris
Omnia veridico decurrens carmine pandam.
Caspia per teretes Tethys distenditur oras,
Et sinuant curvis hanc totam litora terris.
Tantum sed fuso pontus iacet iste profundo,
Ut ter luna prius reparet facis incrementa
Quam quis caeruleum celeri rate transeat aequor.
Gurgitis Oceanus pater est: namque iste nivalis
Axe Helices infert rapidi freta concita ponti,
Et sinus inde sibi pelagus trahit: hic vada propter
Caspia versatur Scytha belliger: hicque feroces
Degunt Albani: trux illic arva Cadusus
Dura tenet, Mardi celeres, Hyrcani, Apyrique.
Caespite vicino Mardus fluit et procul ipsos
Accedit Bactros: attingens denique atroces
Agmine Dercebios, medius disterminat ambos,
Hyrcanique salis tumido convolvitur aestu.
Sed Bactrena solo vasto procul arva recedunt,
Parnessique iugi tegitur gens rupibus illa:
Dercebios aliud cohibet latus et vada tangit
Caspia: tum clari pharetris agilique sagitta
Massagetae rauci succedunt flumen Araxis:

Durum ab stirpe genus, placidae mens nescia vitae,
Ignorant flavae Cereris commercia, Bacchi
Semper inexpertes animam traxere ferinam.
His cibus et potus simul est: nam sanguinem equinum
Et lac concretum per barbara guttura sorbent.
Nec procul ad Borean diri posuere Chorasmi
Hospitia, et iuxta protendit Sugdias agros,
Sugdias, ingenti quam flumine dissicit Oxus.
Hic procul Emodi late ruit aggere montis,
Et per prolixos evectus protinus agros
Caspia propellit fluctu freta. Qua perit huius
Fluminis os, diri ripas habitant Iaxartae.
Tendere non horum quisquam certaverit arcus.
Ambitus hos etenim multus trahit, et grave curvis
Pondus inest taxis, longo sunt spicula ferro,
Et rigor in nervis veluti bovis. Inde cruenti
Sunt Tochari, Phrurique truces, et inhospita Seres
Arva habitant, gregibus permixti oviumque boumque
Vellera per silvas Seres nemoralia carpunt.
Ultima Epetrimos tellus habet: et procul ista
Cassa virûm est, nullis pecorum balatibus agri
Persultant, herbae viduus iacet undique caespes,
Fronde caret, nusquam terras intersecat amnis.
Caspia tot late circumdant aequora gentes.
  Nunc rursum ab Colchis et glauci Phasidis undis
Occiduum ad solem populos memorate, Camenae,
Usque in Threïcii fauces maris! Aspera primum
Byzerum gens est: diri sunt inde Bechires,
Macrones, Phyliresque, et pernix Durateûm gens.
Inde Tibareni, Chalybes super, arva ubi ferri
Ditia vulnifici crepitant incudibus altis.
Post hos Assyriae tenduntur iugera terrae,

Armenioque iugo late surgens Thermodon
Gentis Amazonidum lambit sata; nec minus illic
Erigitur celsa in fastigia prisca Sinope.
Hanc urbem quondam, magni Iovis ardor, Asopis
Virgo, locans saevae propter confinia terrae,
Aulam habuit, plebemque suo de nomine dixit.
Nec procul hinc purus laticem provolvitur Iris;
Et citus Armeniae cursum convallibus arcis,
Qua vastum in pelagus vergit saxosa Carambis,
Urget Halys: tum Paphlagonum sata longa patescunt,
Et Mariandynûm gens incolit, unde triformis
Ora canis superas quondam produxit in auras
Alcides Erebo: propter Bithynia glebam
Exserit: hic late Rhebas extenditur amnis,
Rhebas, cyanei qui dissicit aequora Ponti,
Rhebas, argento similem qui porrigit undam.
Hi Pontum cingunt populi. Nunc illa canatur
Ora Asiae, glaucus pelagi quam subluit aestus,
Axe Noti in fauces rapidi procul Hellesponti,
Et freta qua spumant Aegyptia partibus Austri,
Usque Arabas et longa Syrae confinia terrae.
Dictum etenim, quantus rigidas Scytha degat ad Arctos.
Chalcedon tumulus fluctu circumdatus alto
Eminus Europen proceraque moenia Byzae
Adspicit: ab tergo tendit Bebrycia glebam,
Celsaque nubiferae sustollit culmina rupis
Mysus ager: Mysos tacitum diffusus in aequor
Tergaque flavescens sulcat Cius: huius ad undam
Pulcher Hylas Nymphis quondam fuit anxia cura.
Hinc in caeruleum cedit sinus Hellespontum,
Explicat et Phrygiam tellus incurva Minorem,
Maior Sangario late praestringitur amni;

Haec procul Eoos procedit plurima in axes,
Fertilis herbarum: qua coelum rursus in umbras
Inclinat vertex, panduntur terga Minori,
Quae iacet immensae late sub rupibus Idae,
Infortunatam pertingens caespite Troiam.
Aeolis inde patet vastum super Hellespontum
Aegaei per terga sali. Prolixus Ionum
Rursus ager glebam protenditur: hunc secat ingens
Maeander, salsique ruens vada gurgitis intrat.
Cominus hic gelidi qua spirant flabra Aquilonis,
Urbs Ephesus tetricae sustollit fana Dianae,
Munus Amazonidum memorabile; nec minus inde
Lydia procedens longum latus explicat Euro:
In qua vitiferae Tmolus iuga proserit arcis,
Et Pactolus aquas agit auriger, arva canoris
Persultant cygnis, curva sedet undique ripa
Crebra ales, laetis adsurgunt gramina campis,
Herbaque luxurians loca semper pinguia vestit.
Sed locuplete magis Maeandria gleba recumbit
Ubere, nam blandi terram rigat unda Caystri.
Maeonis hic etiam deducit turba choreas:
Aurea subnectunt hae vincula, ritus Iaccho
Luditur, atque sacris feriunt ululatibus aethram;
Virgineusque chorus late strepit, exsilit omnis
Coetus, ut instabiles vaga pendent corpora dammae:
Caurorum quoque flabra Deo famulantia ludunt
Ritibus in vulgi; subeunt haec serica saepe
Pallia, et impulsi Zephyris agitantur amictus.
Haec linquenda tamen laeto reor omnia Lydo.
Qua se Xanthus agit, Lyciorum tenditur ora
Inclinata mari, surgunt ibi culmina Tauri
Pamphyliae in fines; hic idem Cragus habetur

Nomine sub gentis: prope celsam surgit in arcem
Piscosi Aspendus flumen secus Eurymedontis,
Sus ubi deformis calidis adoletur in aris
Saepe Dionaeae Veneri: stat Corycus alta,
Stat Perge propter, micat ardua tecta Phaselis
Eminus, et Phoebi radiis tremit aemulus ardor.
Inde Lycaoniae tractus iacet: impiger agros
Incola decurrit, sitit atrum dira cruorem
Gens hominum, et saevo pascuntur pectora bello.
Tum Pisida ferox exercet pinguia culta,
Termessusque dehinc urbs eminet, eminet arcem
Inclita per nubes attollens moenia Lyrbe,
Et Lacedaemoniae surgunt fastigia Selges.
Plurimus hinc terras intrat sinus, undaque longe
Vicina Euxino rupti sola caespitis urget.
Hic diros Cilicas trames tenet, inque diei
Tenditur exortum: sulcant duo flumina terram.
Pyramus hic undas, hic volvit Pinarus aequor.
Cydnus item mediae discernit moenia Tarsi.
Pegasus hoc olim suspendit caespite sesé,
Impressaeque solo liquit vestigia calcis,
Esset ut insigni revoluta in secula semper
Nomen humo, clari post ultima Bellerophontis.
Hic caespes late producit Aleïus arva,
Horrescitque comis nemorum, per inhospita cuius
Aequora secreto vitam protraxerat agrò.
Lyrnessusque dehinc, hiç Mallos et Anchialea,
Illustresque Soli post carmina vatis alumni.
Commagenorum propter diffunditur ora:
Et procul Hesperium curvatur limes in axem,
Donec piniferas Casii prorepat ad arces.
Hinc sollers Asiam facili cape carmine totam.

Forma sit huius enim talis tibi: quattuor illam
In latera effusam cordi dato; longior autem
Sit modus his, rutili quae spectant sideris ortum:
Tumque tene, primo quod carmine Musa locuta,
Totam Asiam celsi praecingi vertice Tauri
Extima in Indorum: montis tamen accipe molem
Per latus id duci, quo dat Cynosura pruinas:
Solis ab occasu vastum decurrere Nilum:
Indicum ab Eoïs mare fervere: rursus ab Austro
Fluctibus immodicis Rubri salis aequora volvi.
Ora Syrûm curvi procumbens litoris acta
In Notum et Eoï confinia tenditur Euri.
Haec Coele est Graio sub nomine: namque duobus
Ut conclusa iugis, vallis vice, multa cavatur.
Ab Zephyro Casius mons imminet: axe diei
Consurgentis item Libanus premit arduus arva.
Pars procul a pelago terras colit, inque recessu
Gens agitat: salso quidquid pulsatur ab aestu,
Phoenicum regio est: hi Rubro a gurgite quondam
Mutavere domos, primique per aequora vecti
Lustravere salum, primi docuere carinis
Ferre cavis orbis commercia, sidera primi
Servavere polo. Populis Phoenicibus ergo
Urbs Iope, sterilisque dehinc habitatur Elaïs,
Gazaque proceris assurgens undique muris.
Hic Tyrus est opulens, et Berytus optima, Byblos,
Sidoniique lares; ubi labens agmine amoeno
Caespitis irrigui Bostrenus iugera findit.
Nec minus hic Tripolis pingui sola porrigit agro;
Orthosisque dehinc attollitur: hic Marathus stat.
Litoris extremo caput altis turribus effert
Laodice, et glauci praelambitur aequoris unda.

Hic nemorosa virent Daphnae loca, celsa cupressus
Erigitur, ramos innectit laurus odora,
Crine Dionaeo myrtus diffunditur, altae
Consurgunt pinus, et coelum sibila pulsant
Robora, mollicomis tellus insternitur herbis.
Urbs mediis Apamea dehinc consistit in arvis,
Et qua Phoebeam procul incunabula lucem
Prima fovent, Emesus fastigia celsa renidet.
Nam diffusa solo latus explicat, ac subit auras
Turribus in coelum nitentibus: incola claris
Cor studiis acuit, sed et amplius imbuit ordo:
Denique flammicomo devoti pectora Soli
Vitam agitant: Libanus frondosa cacumina turget,
Et tamen his celsi certant fastigia templi.
Hic scindit iuxta tellurem glaucus Orontes,
Nec procul Antiochi vagus interlabitur urbem,
Praestringitque undis Apamenae iugera glebae.
Fertilis hic caespes protenditur, arvaque amica
Sunt pecori, in fetus facilis Pomona resurgit,
Et fecunda Ceres campo flavescit aperto.
Si rursus tepidum via deflectatur in Austrum,
Curva sinus Arabi succedent aequora propter.
Namque Arabas Syriaeque solum sinus iste fluento
Dividit, et tentis procul interfunditur undis:
Et tamen Eoos paulum inclinatur in axes
Usque in belligeri confinia flexus Elani.
Hinc tellus Arabum producit caespite campos,
Et latera ab gemino sale cingitur: adluit aestus
Persicus hanc, Arabumque sinus rigat aequore terram.
His sua flabra polo spirant: nam Persicus Euro
Turgescit vento, Zephyro sinus aestuat alter.
Pars alia, in primos quae semet porrigit ortus,

Et Notus insurgit qua nubifer, aequore Rubri
Tangitur Oceani: felici terra recumbit
Tota solo: tellus hic semper fragrat odoro
Caespite: prorumpit lacrimoso stipite myrrha,
Myrrha furor quondam Cinyreïus: hic ladani vim
Vellera desudant, calami coma pullulat almi,
Gignit humus casiam, concrescunt tura per agros,
Longaque fecundis pinguescit odoribus ora.
Vera fides, illic femoris sub imagine partus
Disrupisse Iovem penetralia, proderet ortus
Ut sacer aetheria fulgentem fronte Lyaeum.
Nascenti Baccho risit pater, undique fulsit
Coelicolûm sedes, convexaque pura tetendit
Festa dies: tellus effudit dives odores,
Villorum subitis tumuit pecus incrementis:
Ver habuere suum nova gramina, flore frequenti
Pinxit terra sinus, ac Nymphis unda cucurrit
Largior: internis etiam procul undique ab oris
Ales amica Deo largum congessit amomum.
Extemplo Liber subnectit nebridę pectus,
Effusasque comas hedera ligat, inde virentes
Attollit thyrsos, et blandi luminis igne
Os hilarat, totaque celer diffunditur aethra.
Sed propter Libanum terram sulcant Nabataei,
Chablasiique dehinc, Agreni rursus, et inde
Chatramis est tellus: Macae vicina fluento
Persidis accedunt: Rutili, contermina ponti
Minnaei Sabathaeque tenent; super impiger ampla
Aequora desulcat glebae ditis Catabanus.
Plurima praeterea gens circumplectitur illic
Oram Arabum, muta sed degunt agmina fama,
Et numerus cunctis inglorius. Inde Favonî

Qua plaga fecundis alit almos flatibus agros,
Barbara montivàgos tellus extendit Erembos.
Hi vitam duris agitant in cautibus omnem,
Intectique artus erepunt ardua semper
Culmina saxorum: non ollis pabula in usum
Terra parit: glebas abrodunt more ferarum
Ieiunas herbae, nec amicas frugibus ullis.
Hinc ultra Libani rursum fastigia celsi,
Lux Hyperionio qua se sustollit ab ortu,
Alterius Syriae limes iacet usque Sinopen
Gurgitis attiguam; mediis hic impigra in arvis
Cappadocum gens est: propter freta turgida rursus
Assyrii iuxta sunt ostia Thermodontis,
Et festina citis evolvitur unda fluentis.
Nec procul, attollit qua se facis ardor Eoae,
Plurimus Euphratae manat liquor: iste feroci
Fusus ab Armenia vastum caput exserit antro,
Inque Notum primae protenditur agmine molis;
At matutinos iterum conversus in axes,
Dividit inserto mediam Babylona fluento.
Inde Teredoniae iuga propter maxima rupis
Persidis in Pontum sparso cadit effluus amni.
Hunc super, in septem quantum via carpitur ortus
Caespitis extenti spatiis, citus aequora Tigris
Prona rotans, et saxa iugis avulsa supernis,
Et totas late celeri trahit agmine silvas.
Quin et vasta palus medio distenditur agro;
Maximus hanc fluctu Tigris secat: intrat aperti
Terga lacus, stupet unda silens, tacitaeque recumbunt
Aequora Thospitis; solidarum denique more
Riparum stagni facies incisa quiescit,
Invectumque sibi cohibens altrinsecus amnem

Stat disclusa palus. Sic Elidis incola pontum
Dissicit Alpheus: pelago sic inserit undas,
Illaesum optatae flumen ducens Arethusae.
Ergo per et stagnum vehitur celer amnis apertum,
Hoc elapsus item vim proni gurgitis urget.
Non alium tantus rapit impetus; haud ita quisquam
Spumescit fluctus, neque tantos ulla fragores
Unda ciet. Medio quae tellus funditur agro,
Hoc Interamnis nomen tenet; ut situs illam
Flumine praecinctam gemino per aperta locavit.
Non qui lanatum longo pecus educat agro,
Aut qui cornigeri ductor gregis arva pererrat,
Gramina qui pastor simis petit apta capellis,
Quique cavo sollers committit semina sulco,
Quem Pomona iuvat, quem ramis aesculus altis
Inlicit, et pingui dependens subere glando;
Brachia Nysaei qui palmitis ordine iusto
Digerit, aut tectis si quis dolat impiger ornos,
Vel salis in fluctus qui cymbam navita texit;
Spreverit hos saltus: nihil indiga subtrahit ora:
Dives humo tellus, dives iacet arbore caespes.
Istius in Borean quidquid protenditur agri,
Armenii et vita duri sulcant Matieni.
Qua sunt flabra Noti, Babylon subducitur arce
Procera in nubes: hanc prisca Semiramis urbem
Vallavit muris, quos non absumere flammae,
Non aries penetrare queat: stat maxima Beli
Aula quoque argento, domus Indo dente nitescit,
Aurum tecta operit, sola late contegit aurum.
Ipsa dehinc tellus, quae circumplectitur urbem,
Et procerarum fluctu vernat palmarum,
Et splendente procul beryllo ferta renidet.

Hic tamen internis Ophietidis arcis in arvis
Inter gemmiferas excrescit creber arenas.
Hinc Babylona super, geminae pro finibus ursae,
Cissi Messabataeque et Chalonita vagantur.
At rursum Armeniae si quis pede pergat ab arce
Rupis, et eoas gressum producat in oras,
Medica prolixos spectabit regna per agros.
Horum qui gelidi succedunt plaustra Bootis,
Pinguia rura tenent: sunt illic Atropateni,
Sunt Geli et Mardi. Tepidum qui rursus ad Austrum
Oram habitant, Scythicae deducunt semina gentis.
Nam Medea ferox fuit ollis sanguinis auctor.
Haec cum Pandionis letum componeret aulae,
Attica qua pulchro tellus pinguescit Ilisso,
Proditur, inque fugam propere convertitur exsul.
Has post in terras pinu subit Aeëtine,
Inseditque locos; veteres accedere Colchos
Nulla inerat menti fiducia: denique ab illa
Medorum soboli magicae furor artis inhaeret.
Pars gentis, rutilos Phoebi quae spectat in ortus,
Saxa habitat; saxis excudit narcissiten.
Qui propter dumos nemorosaque rura vagantur,
In pecus intenti, crebro grege pascua tondent.
Medica se tantos effundit gleba per agros,
Caspia ut extento contingat caespite claustra.
Haec Asiae dixere fores, hiet ore quod illo
Porta quasi, et longas bivium discedat in oras.
Quippe nivosa poli qua cardine vertitur Arctos,
Panditur Hyrcanis hinc ianua: ianua Persis
Hinc patet, imbriferum qua vergit mundus in Austrum.
Ecce sub immenso portarum vertice Parthi
Rura tenent, curvi nequidquam vomeris usu

Sollicitanda sibi: non ollis cura laborque,
Aequora terrarum gravibus componere rastris.
Exercent saevi se Martis semper in arma.
Sica comes lateri est, manus autem hastilia vibrat,
Demittunt pharetras humeris, et letifer arcus
Semper inest laevae: neque per compendia diras
Producunt animas; non puppibus aequora sulcant;
Non proni gregibus pecoris fera vita iuvatur.
Sed quatit alipedum sola semper cursus equorum;
Pulsaque terra gemit: discurrunt crebra per auras
Spicula, missilibus late subtexitur aër.
Quin etiam post hos amor est si discere Persas
Consimilis, sollersque trahit te cura per orbem;
Has quoque Musa tibi formabit carmine terras,
Quae liquidos amnes via devehat, utque iugorum
Consurgat vertex, quibus oris arva recumbant
Barbara, famosum qui Persam roboret usus.
Quippe Asianarum primi degunt regionum.
Vita opulens genti, gazas quoque terra ministrat
Omnibus, et largum populis producitur aevum.
Dives in his mos est iam longi tempore secli,
Ex quo Maeoniam bello trivere cruento:
Illudunt auro vestes, et cuncta teguntur
Auro membra viris, auro vestigia condunt.
Tantus Persarum dissolvit pectora luxus.
Ipsa autem tellus inclusa est montibus altis,
Undique in australem latus inclinatior axem,
Ac Borean longe, longe quoque Caspia claustra
Deserit, atque Noti placida perfunditur aura.
Istius at spatiis finem dat Persicus aestus,
Incoliturque solum populis tribus. Una sub Arcto
Pars agit, armigeris nimium contermina Medis:

Altera per mediae telluris terga vagatur:
Porro ad flabra Noti, pelagus prope, tertia degit.
Plurima praeterea percurrunt flumina terram
Persidis, et rigidas curvant labentia ripas.
Arva secat Cyrus, perrumpit et arva Choaspes,
Indica provolvens procul aequora: cuius ad undam
Incola flaventem studio sectatur achatem.
Nam cum brumali ceciderunt sidere nimbi,
Imbribus et coelo fusis furit auctior amnis,
Hos lapides late flumen trahit: undique tellus
Circumiecta dehinc laeti viret ubere campi.
Sed qua caeruleam sinus infert Persicus undam,
Gens Carmanorum late colit: hanc facis ortus
Urit Phoebeae; tanto quoque funditur agro,
Ut simul et glauci contingat gurgitis aestum,
Et procul internae perreptet iugera terrae.
Hos super et tellus tendit Gedrosia glebam
Oceani vicina fretis; at flumen ad Indum
Auroraeque latus Scytha miti proximus Austro
Accolit: australis certe Scytha dicitur ille:
Namque alii dura pulsantur desuper Arcto.
Indus Caucasiae prorumpens rupis ab antro
Adversum pelago Rubri procul aequoris amnem
Porrigit, inque Notum recto fluit agmine aquarum.
Ora dehinc Indo duo sunt, mediumque per agrum
Insula se vasto fundit tergo Patalene.
Innumeras idem dispescit flumine gentes,
Oritas, Aribasque et veloces Arachotas,
Et Satram infidum, vel qui per inhospita late
Discreti populis, discreti finibus agri
Arva agitant, uno sed nomine sunt Arieni.
Hi quamquam steriles decurrant semper arenas,

Munera nec carpant Cerealia, nec nova prelo
Musta premant, fulvo tamen invenere corallo
Pandere vivendi commercia, quaerere pulchrae
Sapphiri latebras et praeduros adamantas.
Calliope, Indorum populos et regna canamus.
Ultima terrarum tellus adspergitur Indi
Fluctibus Oceani; primam coquit hanc radiis sol,
Sol Hyperionius, Sol magni gratia mundi,
Astrorum genitor, lucis sator et vigor aethrae.
Sed genti Indorum taeter color: efflua semper
His coma liventes imitatur crine hyacinthos.
Pars subit abrupti sola caespitis, aurea ut illis
Terrarum in latebris excludant caute metalla:
Pars telas statuunt, et vestimenta laborant
Lintea: pars Indi procurat segmina dentis,
Atque ebur invigilat: multi, qua flumina nimbis
Auget hiems, vastum ut late trahat agmen aquarum
Alveus, et celsas evincant aequora ripas,
Palantes obeunt beryllum, prona fluenta
Quem procul internis a finibus, aut adamanta
Detulerint: his glauca dehinc tornatur iaspis.
Nec minus et baccas alii prope marmora curvis
Excudunt conchis: pars rursum divite cura
Herbosi lapidis venas fodit: hique rubore
Suffusas blando quaerunt campis amethystos.
Horum dives enim tellus est Indica semper,
Et tali scrupo caespes tumet: amnibus autem
Fertilis irriguis crebro praelambitur ora:
Extendunt celsi vaga late brachia luci,
Et vernat nemorum semper coma. Nunc tibi formam
Terrarum expediam, nunc carmine flumina fabor,
Nunc rigidos montes, nunc multae denique gentis

Absolvam populos. Latera agris undique in Indis
Quatuor esse tene: coëant tot et anguli ab omni
Parte sibi, oblique claudentes extima terrae,
Ceu species rhombo est. Zephyri de partibus Indus
Gurgitis occursu fit certae terminus orae:
Axe Noti Rubri late salis obiacet unda:
Flumen item Ganges fit limes caespiti Eoo;
Atque Lycaonia consurgit Caucasus Arcto.
Aequore qua fuso laticem provolvitur Indus,
Dardanidûm gens est, ubi magnus sorbet Hydaspes
Delapsum summa saxorum mole Acesinen.
Tertius amnis item secat agri proxima Cophes:
In medioque Sabae sunt caespite: gens quoque Scodri
Propter agit; populique dehinc velut ordine facto
Peucaleûm longas exercent vomere terras.
Gargaridae rursum: gens haec obnoxia Baccho,
Et glebam sulcant, et ritibus orgia ludunt.
Hic Hypanis lateque trahens vaga terga Cymander,
Magnus uterque modi dimittitur, Hemodique
Rupe procul fulvum provolvunt fluctibus aurum:
Nec minus hi campos intrant Gangetidis orae,
Quae per flabra Noti fuso distenditur agro,
Usque in celsa iacens confinia Colidis arcis.
Colis et ipsa dehinc cetosi vergit in aequor
Oceani, tantoque iugo subit aetheris auras,
Arceat alituum subducta ut rupe volatum.
Sed circum Gangen regio est devota Lyaeo,
Perpetuique sacri talis narratur origo.
Indorum in populos fatalia Liber agebat
Proelia: vipereo late Bellona flagello
Increpat, et magno tremuerunt regna pavore,
Insistente Deo. Venit ergo ad flumina Gangis,

Discursuque sacro praeludit proelia Liber.
Maenades extemplo maculosae nebridis usum
Permutant clypeis, viridique hastilia thyrso
Succedunt, solvunt properantes lintea Bacchae
Vincula, viroso pectus vinxere dracone;
Pro molli vitta prorepunt crine chelydri;
Excitoque ferox persultat in agmine Mavors,
Dux aquilas in bella rapit, tremit Indica tellus
Pressa pede, et toto tonuerunt classica coelo.
Ergo et Nysaeos discit gens rite recessus,
Et stata sollicito deducunt orgia ritu.
Ipse dehinc diros ut Liber perculit Indos,
Hemodi victor conscendit verticis arces,
Effusamque solo gentem procul adspicit omnem:
Ima iugi exstantis vestigia gurgite canent.
Oceani Eoi praetento denique Bacchus
Litore, et extrema terrarum victor in ora,
Ducit laurigeros post Indica bella triumphos,
Erigit et geminas telluris fine columnas,
Invisitque dehinc Ismeni fluminis undam.
   Has tantum gentes commendat fama per orbem.
Vile aliae vulgus, pecorum vice, terga pererrant
Caespitis abiecti. Non his aut gloria forti
Parta manu est, aut clara decus peperere metalla
Terrarum venis: habitant ignota locorum
Semper inexpertes famae: per inhospita degunt
Arva procul: nullis sunt dignae denique Musis.
At tu, Phoebe pater, vos clari turba, Camenae,
Nominis, Aonio famam inspirate labori.

RUFI FESTI AVIENI

ORAE MARITIMAE

LIBER PRIMUS.

QUAESISSE temet saepe cogitans, PROBE
Animo atque sensu, Taurici Ponti situs
Capi ut valeret his probabili fide,
Quos distinerent spatia terrarum extima;
Subii libenter id laboris, ut tibi
Desideratum carmine hoc claresceret.
Fas non putavi quippe, prolixa die,
Non subiacere sensui formam tuo
Regionis eius, quam vetustis paginis,
Et quam, per omnem spiritus nostri diem,
Secretiore lectione acceperam.
Alii invidere namque, quod dispendio
Tibi haud sit ullo, agrestis et duri reor.
His addo et illud, liberûm temet loco
Mihi esse amore, sanguinisque vinculo.
Neque sat sit istud, ni sciam, te literas,
Hiantibusque faucibus rerum abdita
Hausisse semper, esse patuli pectoris,
Sensu capacem; talium iugem sitim
Tuo esse cordi, et esse te prae ceteris
Memorem intimati: cur inefficaciter

Secreta rerum in non tenacem effunderem?
In non sequacem quis profunda ogganniat?
Multa ergo, multa compulere me, Probe,
Efflagitatam rem tibi ut persolverem.
Quin et parentis credidi officium fore,
Desideratum si tibi locupletius
Profusiusque Musa promeret mea.
Dare expetitum quippe non parci viri est;
Augere porro muneris summam novis,
Mentis benignae satque liberalis est.
Interrogasti, si tenes, Maeotici
Situs quis esset aequoris. Sallustium
Noram id dedisse, dicta et eius omnibus
Praeiudicatae auctoritatis ducier
Non abnuebam. Ad eius igitur inclitam
Descriptionem, qua locorum formulam
Imaginemque expressor efficax stili
Et veritatis paene in obtutus dedit
Lepore linguae, multa rerum iunximus,
Ex plurimorum sumta commentariis.
Hecataeus istic quippe erit Milesius,
Hellanicusque Lesbius, Phileas quoque
Atheniensis, Caryandaeus Scylax,
Pausimachus inde, prisca quem genuit Samos,
Quin et Damastes nobili natus Sige,
Rhodoque Bacorus ortus, Euctemon quoque
Popularis urbis Atticae, Siculus Cleon,
Herodotus ipse Thurius, tum qui decus
Magnum loquendi est, Atticus Thucydides.
Hic porro habebis, pars mei cordis, Probe,
Quidquid per aequor insularum attollitur:
Per aequor illud scilicet, quod post cava

Hiantis orbis, a freto Tartessio
Atlanticisque fluctibus, procul sitam
In usque glebam proruit nostrum mare;
Sinusque curvos, atque prominentia:
Ut se supino porrigat litus situ,
Ut longe in undas inserant sese iuga,
Celsaeque ut urbes adluantur aequore:
Quis ortus amnes maximos effuderit,
Ut prona ponti gurgitem intrent flumina,
Ut ipsa rursum saepe cingant insulas,
Sinuentque late ut tuta portus brachia,
Ut explicentur stagna, et ut iaceant lacus,
Scruposum ut alti verticem montes levent,
Stringatque nemora ut unda cani gurgitis.
Laboris autem terminus nostri hic erit,
Scythicum ut profundum, et aequor Euxini sali,
Et si quae in illo marmore insulae tument,
Edisserantur. Reliqua porro scripta sunt
Nobis in illo plenius volumine,
Quod de orbis oris partibusque fecimus.
Ut aperta vero tibimet intimatio
Sudoris huius et laboris sit mei,
Narrationem opusculi paulo altius
Exordiemur. Tu per intimum iecur
Prolata conde; namque fulcit haec fides
Petita longe, et eruta ex auctoribus.
  Terrae patentis orbis effuse iacet,
Orbique rursus unda circumfunditur.
Sed qua profundum semet insinuat salum
Oceano ab usque, ut gurges hic nostri maris
Longe explicetur, est Atlanticus sinus.
Hic Gaddir urbs est, dicta Tartessus prius:

Hic sunt Columnae pertinacis Herculis,
Abila atque Calpe: (haec laeva dicti caespitis,
Libyae propinqua est Abila:) duro perstrepunt
Septemtrione, sed loco certae tenent.
Et prominentis hic iugi surgit caput,
(Oestrymnin istud dixit aevum antiquius,)
Molesque celsa saxei fastigii
Tota in tepentem maxime vergit Notum.
Sub huius autem prominentis vertice
Sinus dehiscit incolis Oestrymnicus,
In quo insulae sese exserunt Oestrymnides,
Laxe iacentes, et metallo divites
Stanni atque plumbi. Multa vis hic gentis est,
Superbus animus, efficax sollertia,
Negotiandi cura iugis omnibus:
Notisque cymbis turbidum late fretum,
Et belluosi gurgitem oceani secant.
Non hi carinas quippe pinu texere,
Acereve norunt, non abiete, ut usus est,
Curvant faselos; sed rei ad miraculum,
Navigia iunctis semper aptant pellibus,
Corioque vastum saepe percurrunt salum.
Ast hinc duobus in Sacram (sic insulam
Dixere prisci) solibus cursus rati est.
Haec inter undas multa caespitem iacet,
Eamque late gens Hibernorum colit.
Propinqua rursus insula Albionum patet.
Tartessiisque in terminos Oestrymnidum
Negotiandi mos erat: Carthaginis
Etiam coloni, et vulgus, inter Herculis
Agitans columnas, haec adibant aequora:
Quae Himilco Poenus mensibus vix quatuor,

Ut ipse semet re probasse retulit
Enavigantem, posse transmitti asserit:
Sic nulla late flabra propellunt ratem,
Sic segnis humor aequoris pigri stupet.
Adiicit et illud, plurimum inter gurgites
Exstare fucum, et saepe virgulti vice
Retinere puppim. Dicit hic nihilominus,
Non in profundum terga demitti maris,
Parvoque aquarum vix supertexi solum:
Obire semper huc et huc ponti feras,
Navigia lenta et languide repentia
Internatare belluas. Si quis dehinc
Ab insulis Oestrymnicis lembum audeat
Urgere in undas, axe qua Lycaonis
Rigescit aethra, caespitem Ligurum subit
Cassum incolarum. Namque Celtarum manu,
Crebrisque dudum proeliis vacuata sunt:
Liguresque pulsi, ut saepe fors aliquos agit,
Venere in ista, quae per horrentes tenent
Plerumque dumos: creber his scrupus locis,
Rigidaeque rupes, atque montium minae
Coelo inseruntur. Et fugax gens haec quidem
Diu inter arcta cautium duxit diem,
Secreta ab undis; nam sali metuens erat
Priscum ob periclum: post quies et otium,
Securitate roborante audaciam,
Persuasit altis devehi cubilibus,
Atque in marinos iam locos descendere.
Post illa rursum, quae supra fati sumus,
Magnus patescit aequoris fusi sinus
Ophiusam ad usque: rursum ab huius litore
Internum ad aequor, qua mare insinuare se

Dixi ánte terris, quodque Sardum nuncupant,
Septem dierum tenditur pediti via.
Ophiusa porro tanta panditur latus,
Quantam iacere Pelopis audis insulam
Graiorum in agro. Haec dicta primo Oestrymnis est,
Locos et arva Oestrymnicis habitantibus;
Post multa serpens effugavit incolas,
Vacuamque glebam nominis fecit sui.
Procedit inde in gurgites Veneris iugum,
Circumlatratque pontus insulas duas
Tenue ob locorum inhospitas. Arvi iugum
Rursum tumescit prominens in asperum
Septemtrionem: cursus autem hinc classibus
Usque in columnas efficacis Herculis
Quinque est dierum. Post pelagia est insula,
Herbarum abundans, atque Saturno sacra:
Sed vis in illa tanta naturalis est,
Ut si quis hanc innavigando accesserit,
Mox excitetur propter insulam mare,
Quatiatur ipsa, et omne subsiliat solum
Alte intremiscens, cetero ad stagni vicem
Pelago silente. Prominens surgit dehinc
Ophiusae in oras, atque ab usque arvi iugo
In haec locorum bidui cursus patet.
At, qui dehiscit inde prolixe sinus,
Non totus uno facile navigabilis
Vento recedit: namque medium accesseris
Zephyro vehente, reliqua deposcunt Notum.
Et rursus inde si petat quisquam pede
Tartessiorum litus, exsuperet viam
Vix luce quarta, si quis ad nostrum mare
Malacaeque portum semitam tetenderit,

In quinque soles est iter. Tum Cepresicum
Iugum intumescit: subiacet porro insula
Achale vocata ab incolis. Aegre est fides
Narrationi prae rei miraculo;
Sed quam frequens auctoritas sat fulciat.
Aiunt, in huius insulae confiniis
Nunquam esse formam gurgiti reliquo parem:
(Splendorem ubique quippe inesse fluctibus
Vitri ad nitorem, et per profundum marmoris
Cyaneam in undis esse certum imaginem est.)
Confundi at illic aequor immundo a luto,
Memorant vetusti; semper atque sordibus
Ut faeculentos gurgites haerescere.
Cempsi atque Saefes arduos colles habent
Ophiusae in agro: propter hos pernix Ligus
Draganûmque proles sub nivoso maxime
Septemtrione collocaverant larem.
Paetanion autem est insula ad Zephyrum latens,
Patulusque portus: inde Cempsis adiacent
Populi Cynetum: tum Cyneticum iugum,
Qua sideralis lucis inclinatio est,
Alte tumescens ditis Europae extimum,
In belluosi vergit oceani salum.
Ana amnis illic per Cynetas effluit,
Sulcatque glebam: panditur rursus sinus,
Cavusque caespes in meridiem patet.
Memorato ab Ana gemina sese flumina
Scindunt repente, perque praedicti sinus
Crassum liquorem (quippe pinguescit luto
Omne hic profundum) lenta trudunt agmina.
Hic insularum semet alte subrigit
Vertex duarum: nominis minor indiga est,

Aliam vocavit mos tenax Agonida.
Inhorret inde rupibus cautes Sacra,
Saturni et ipsa. Fervet illisum mare,
Litusque late saxeum distenditur.
Hirtae hic capellae, et multus incolis caper
Dumosa semper intererrant caespitum:
Castrorum in usum et nauticis velamina,
Productiores et graves setas alunt.
Hinc dictum ad amnem solis unius via est,
Genti et Cynetum hic terminus. Tartessius
Ager his adhaeret, adluitque caespitem
Tartessus amnis. Inde tenditur iugum
Zephyro sacratum: denique arcis summitas
Zephyris vocata. Celsa sed fastigia
Iugo eriguntur verticis; multus tumor
Conscendit auras, et supersidens quasi
Caligo semper nubilum condit caput.
Regio omnis inde maxime herboso solo est,
Nebulosa iuge his incolis convexa sunt,
Coactus aër atque crassior dies,
Noctisque more ros frequens: nulla, ut solet,
Flabra inferuntur, nullus aethram discutit
Venti superne spiritus; pigra incubat
Caligo terras, et solum late madet.
Zephyridos arcem si quis excedat rate,
Et inferatur gurgiti nostri maris,
Flabris vehetur protinus Favonii.
Iugum inde rursus, et sacrum Infernae Deae
Divesque fanum, penetral abstrusi cavi,
Adytumque caecum. Multa propter est palus
Erebea dicta. Quin et Herbi civitas
Stetisse fertur his locis prisca die:

Quae, proeliorum absumta tempestatibus,
Famam atque nomen sola liquit caespiti.
At Iberus inde manat amnis, et locos
Fecundat unda: plurimi ex ipso ferunt
Dictos Iberos; non ab illo flumine,
Quod inquietos Vasconas praelabitur.
Nam quidquid amni gentis huius adiacet
Occiduum ad axem, Iberiam cognominant.
Pars porro Eoa continet Tartessios
Et Cilbicenos. Cartare post insula est,
Eamque pridem, influxa et est satis fides,
Tenuere Cempsi: proximorum postea
Pulsi duello, varia quaesitum loca
Se protulere. Cassius inde mons tumet:
Et Graia ab ipso lingua cassiterum prius
Stannum vocavit. Inde fani est prominens,
Et, quae vetustum Graeciae nomen tenet,
Gerontis arx est eminus! namque ex ea
Geryona quondam nuncupatum accepimus.
Hic ora late sunt sinus Tartessii;
Dictoque ab amni in haec locorum puppibus
Via est diei: Gaddir hic est oppidum:
Nam Punicorum lingua conseptum locum
Gaddir vocabat. Ipsa Tartessus prius
Cognominata est; multa et opulens civitas
Aevo vetusto: nunc egena, nunc brevis,
Nunc destituta, nunc ruinarum agger est.
Nos hoc locorum, praeter Herculaneam
Solemnitatem, vidimus miri nihil.
At vis in illis tanta, vel tantum decus
Aetate prisca sub fide rerum fuit,
Rex ut superbus, omniumque praepotens,

Quos gens habebat forte tum Maurusia,
Octaviano Principi acceptissimus,
Et literarum semper in studio Iuba;
Interfluoque separatus aequore,
Illustriorem semet urbis istius
Duumviratu crederet. Sed insulam
Tartessus amnis, ex Ligustico lacu
Per aperta fusus, undique adlapsu ligat.
Neque iste tractu simplici provolvitur;
Unusve sulcat subiacentem caespitem:
Tria ora quippe parte Eoi luminis
Infert in agros; ore bis gemino quoque
Meridianas civitates adluit.
At mons paludem incumbit Argentarius,
Sic a vetustis dictus ex specie sui:
Stanno iste namque latera plurimo nitet,
Magisque in auras eminus lucem evomit,
Cum sol ab igni celsa perculerit iuga.
Idem amnis autem fluctibus stanni gravis
Ramenta volvit, invehitque moenibus
Dives metallum. Qua dehinc ab aequore
Salsi fluenti vasta per medium soli
Regio recedit, gens Etmaneum accolit.
Atque inde rursus usque Cempsorum sata
Ileates agro se feraci porrigunt:
Maritima vero Cilbiceni possident.
Gerontis arcem et prominens fani, ut supra
Sumus elocuti, distinet medium salum;
Interque celsa cautium cedit sinus.
Iugum ad secundum flumen amplum evolvitur:
Tartessiorum mons dehinc attollitur
Silvis opacus. Hinc Erythea est insula

Diffusa glebam, et iuris olim Punici:
Habuere primo quippe eam Carthaginis
Priscae coloni: interfluoque scinditur
Ad continentem quinque per stadia modo
Erythea ab arce. Qua diei occasus est,
Veneri marinae consecrata est insula,
Templumque in illa Veneris et penetral cavum,
Oraculumque. Monte ab illo, quem tibi
Horrere silvis dixeram, in Veneris iugum
Litus recline et molle arenarum iacet,
In quas Besilus atque Cilbus flumina
Urgent fluentum. Post in occiduum diem
Sacrum superbas erigit cautes iugum.
Locum hunc vocavit Herma quondam Graecia.
Est Herma porro caespitum munitio,
Interfluum quae altrinsecus munit lacum:
Aliique rursus Herculis dicunt Viam:
Stravisse quippe maria fertur Hercules,
Iter ut pateret facile captivo gregi.
Porro illud Herma iure sub Libyci soli
Fuisse pridem, plurimi auctores ferunt.
Nec respuendus testis est Dionysius,
Libyae esse finem qui docet Tartessium.
Europae in agro, quod vocari ab incolis
Sacrum indicavi, prominens subducitur.
Locos utrosque interfluit tenue fretum.
Quod Herma porro et Herculis dictum est Via,
Amphipolis urbis incola Euctemon ait,
Non plus habere longitudinis modo,
Quam porriguntur centum et octo millia,
Et distineri [*utrosque*] millibus tribus.
Hic Herculanae stant columnae, quas modum

Utriusque haberi continentis legimus.
Sunt paria porro saxa prominentia
Abila atque Calpe. Calpe in Hispano solo,
Maurusiorum est Abila. Namque Abilam vocant
Gens Punicorum, mons quod altus barbaro est,
Id est Latino; dici ut auctor Plautus est:
Calpeque rursum in Graécia species cavi
Teretisque visu nuncupatur urcei.
Atheniensis dicit Euctemon item
Non esse saxa, aut vertices assurgere
Parte ex utraque. Caespitem Libyci soli
Europae et oram memorat insulas duas
Interiacere; nuncupari has Herculis
Ait columnas; stadia triginta refert
Has distinere; horrere silvis undique,
Inhospitasque semper esse nauticis.
Inesse quippe dicit ollis Herculis
Et templa et aras: invehi advenas rate,
Deo litare, abire festino pede:
Nefas putatum demorari in insulis.
Circum atque iuxta plurimo [*tractu iacens*]
Manare tradit tenue prolixe mare.
Navigia onusta adire non valent locos
Breve ob fluentum, et pingue litoris lutum.
Sed si voluntas forte quem subegerit
Adire fanum, properat ad Lunae insulam
Agere carinam, eximere classi pondera,
Levique cymba sic superferri salo.
Sed ad columnas quidquid interfunditur
Undae aestuantis, stadia septem vix ait
Damastes esse. Caryandaeus Scylax
Medium fluentum inter columnas asserit

Tantum patere, quantus aestus Bosporo est.
Ultra has columnas, propter Europae latus,
Vicos et urbes incolae Carthaginis
Tenuére quondam: mos at ollis hic erat,
Ut planiore texerent fundo rates,
Quo cymba tèrgum fusior brevius maris
Praelaberetur. Porro in occiduam plagam
Ab his columnis gurgitem esse interminum,
Late patere pelagus, extendi salum,
Himilco tradit. Nullus haec adiit freta,
Nullus carinas aequor illud intulit,
Desint quod alto flabra propellentia,
Nullusque puppim spiritus coeli iuvet:
Dehinc quod aethram quodam amictu vestiat
Caligo, semper nebula condat gurgitem,
Et crassiore nubilum perstet die.
Oceanus iste est, orbis effusi procul
Circumlatrator, iste pontus maximus.
Hic gurges oras ambiens, hic intimi
Salis irrigator, hic parens nostri maris.
Plerosque quippe extrinsecus curvat sinus,
Nostrumque in orbem vis profundi illabitur.
Sed nos loquemur maximos tibi quatuor.
Prima huius ergo in caespitem insinuatio est
Hesperius aestus, atque Atlanticum salum;
Hyrcana rursus unda, Caspium mare;
Salum Indicorum, terga fluctus Persici;
Arabsque gurges sub tepente iam Noto.
Hunc usus olim dixit Oceanum vetus,
Alterque dixit mos Atlanticum mare.
Longo explicatur gurges huius ambitu,
Produciturque latere prolixe vago.

Plerumque porro tenue tenditur salum,
Ut vix arenas subiacentes occulat.
Exsuperat autem gurgitem fucus frequens,
Atque impeditur aestus hîc uligine:
Vis belluarum pelagus omne internatat,
Multusque terror ex feris habitat freta.
Haec olim Himilco Poenus Oceano super
Spectasse semet et probasse retulit:
Haec nos, ab imis Punicorum annalibus
Prolata longo tempore, edidimus tibi.
Nunc iam recursus ad priora sit stilo.
Igitur columnae, ut dixeram, Libystidi
Europae in agro adversa surgit altera.
Hic Chrysus amnis intrat altum gurgitem:
Ultra citraque quatuor gentes colunt.
Nam sunt feroces hoc Libyphoenices loco;
Sunt Massieni; regna Cilbicena sunt
Feracis agri, et divites Tartessii,
Qui porriguntur in Calacticum sinum.
Hos propter autem mox iugum Barbetium est,
Malachaeque flumen, urbe cum cognomine,
Menace priore quae vocata est seculo.
Tartessiorum iuris illic insula
Antistat urbem, Noctilucae ab incolis
Sacrata pridem: in insula stagnum quoque
Tutusque portus: oppidum Menace super.
Qua sese ab undis, regio dicta subtrahit,
Sisurus alto mons tumet cacumine.
Assurgit inde vasta cautes, et mare
Intrat profundum. Pinus hanc quondam frequens
Ex se vocari sub sono Graio dedit:
Fanumque ad usque Veneris et Veneris iugum

Litus recumbit. Porro in isto litore
Stetere crebrae civitates antea,
Phoenixque multus habuit hos pridem locos.
Inhospitales nunc arenas porrigit
Deserta tellus, orba cultorum sola
Squalent iacentque. Veneris ab dicto iugo
Spectatur Herma caespitis Libyci procul,
Quod ante dixi: litus hic rursum patet,
Vacuum incolarum nunc, et abiecti soli.
Porro ante et urbes hic stetere plurimae,
Populique multi concelebrarunt locos.
Nam patulus inde portus [*oppidum prope*]
Se Massienum curvat alto ab aequore,
Sinuque in imo surgit altis moenibus
Urbs Massiena: post iugum Traete eminet,
Brevisque iuxta Strongyle stat insula.
Dehinc in huius insulae confiniis
Immensa tergum latera diffundit palus.
Theodorus illic (nec stupori sit tibi,
Quod in feroci barbaroque sat loco
Cognomen huius Graeciae accipis sono,
Prorepit amnis. Ista Phoenices prius
Loca incolebant. Rursus hinc se litoris
Fundunt arenae, et litus hoc tres insulae
Cinxere late. Hic terminus quondam stetit
Tartessiorum; hic Herna civitas fuit.
Gymnetes istos gens locos insederant;
Nunc destitutus, et diu incolis carens
Sibi sonorus Alebus amnis effluit.
Post haec per undas insula est Gymnesia,
Populo incolarum quae vetus nomen dedit,
Usque ad Sicani praefluentis alveum.

Pityusae et inde proferunt sese insulae,
Balearium ac late insularum dorsa sunt.
Et contra Iberi in usque Pyrenae iugum
Ius protulere, propter interius mare
Late locati. Prima eorum civitas
Idera surgit. Litus extendit dehinc
Steriles arenas. Hemeroscopium quoque
Habitata pridem hic civitas: nunc iam solum
Vacuum incolarum languido stagno madet.
Attollit inde se Sicana civitas,
Propinquo ab amni sic vocata Ibericis.
Neque longe ab huius fluminis divortio
Praestringit amnis Tyrius oppidum Tyrin.
At qua recedit ab salo tellus procul,
Dumosa late terga regio porrigit.
Bebryces illic, gens agrestis et ferox,
Pecorum frequentes inter errabant greges.
Hi lacte semet atque pingui caseo
Praedure alentes proferebant spiritum
Vicem ad ferarum. Post Caprasiae iugum
Procedit alte, ac nuda litorum iacent
Ad usque cassae Chersonesi terminos.
Palus per illa Naccararum extenditur:
Hoc nomen isti nam paludi mos dedit.
Stagnique medio parva surgit insula
Ferax olivi, et hinc Minervae stat sacra.
Fuere propter civitates plurimae:
Quippe hic Hylactes, Hystra, Sarna, et nobiles
Tyrichae stetere. Nomen oppido vetus,
Gazae incolarum maxime memorabiles
Per orbis oras. Namque praeter caespitis
Fecunditatem, qua pecus, qua palmitem,

Qua dona flavae Ceteris educat solum,
Peregrina Ibero subvehuntur flumine.
Iuxta superbum mons Sacer caput exserit,
Oleumque flumen proxuma agrorum secans
Geminos iugorum vertices interfluit.
Mox quippe Sellus (nomen hoc monti est vetus)
Ad usque celsa nubium subducitur.
Adstabat istum civitas Lebedontia
Priore seclo, nunc ager vacuus lare
Lustra et ferarum sustinet cubilia.
Post haec arenae plurimo tractu iacent,
Per quas Salauris oppidum quondam stetit,
In queis et olim prisca Callipolis fuit,
Callipolis illa [*quae per altam*] moenium
Proceritatem et celsa per fastigia
Subibat auras, quae laris vasti ambitu
Latere ex utroque piscium semper ferax
Stagnum premebat. Inde Tarraco oppidum
Et Barcinonum amoena sedes ditium.
Nam pandit illic tuta portus brachia,
Uvetque semper dulcibus tellus aquis.
Post Indigetes asperi se proferunt:
Gens ista dura, gens ferox venatibus,
Lustrisque inhaerens. Tum iugum Celebandicum
In usque salsam dorsa porrigit Thetim.
Hic adstitisse civitatem Cypselam,
Iam fama tantum est: nulla nam vestigia
Prioris urbis asperum servat solum.
Dehiscit illic maximo portus sinu,
Cavumque late caespitem irrepit salum,
Post quae recumbit litus Indigeticum
Pyrenae ad usque prominentis verticem.

Post litus illud, quod iacere diximus
Tractu supino, se Malodes exserit
Mons, inter undas [*qua*] tument sco[*puli duo*]
Geminusque ver[*tex celsa nubium petit.*]
Hos inter autem portus effuse iacet,
Nullisque flabris aequor est obnoxium:
Sic omne late, praelocatis rupibus,
Latus ambiere cautium cacumina,
Interque saxa immobilis gurges latet,
Quiescit aequor, pelagus inclusum stupet.
Stagnum inde Tonon montium in radicibus,
Tononiaeque attollitur rupis iugum,
Per quae sonorus volvit aequor spumeum
Anystus amnis, et salum fluctu secat.
Haec propter undas atque salsa sunt freta:
At quidquid agri cedit alto a gurgite,
Ceretes omne, et Acroceretes prius
Habuere duri: nunc pari sub nomine
Gens est Iberûm. Sordus inde denique
Populus agebat inter avios locos;
Ac pertinentes usque ad interius mare
Inter ferarum lustra duceba[*nt diem*]
Qua piniferto stat Pyrene vertice,
Et arva late et gurgitem ponti premit.
In Sordiceni caespitis confinio
Quondam Pyrene, civitas ditis laris,
Stetisse fertur: hicque Massiliae incolae
Negotiorum saepe versabant vices.
Sed in Pyrenen ab columnis Herculis
Atlanticoque gurgite et confinio
Zephyridis orae cursus est celeri rati
Septem dierum. Post Pyrenaeum iugum

Iacent arenae litoris Cynetici,
Easque late sulcat amnis Roschinus.
Hoc Sordicenae, ut diximus, glebae solum est.
Stagnum hic palusque quippe diffuse patet,
Et incolae istam Sordicen cognominant;
Praeterque vasti gurgitis crepulas aquas,
(Nam propter amplum marginis laxae ambitum,
Ventis tumescit saepe percellentibus.)
Stagno hoc ab ipso Sordus amnis effluit
Ru — — — effluentis ostiis

* * * *

Sinuatur alto, et propria per dispendia
Caespes cavatur, repit unda longior,
Molesque multa gurgitis distenditur.
Treis namque in illo maximae stant insulae,
Saxisque duris pelagus interfunditur.
Nec longe ab isto caespitis rupti sinus
Alter dehiscit, insulasque quatuor
(At priscus usus dixit has omnes triplas)
Ambit profundo. Gens Elesycum prius
Loca haec tenebat, atque Narbo civitas
Erat ferocis maximum regni caput.
Hic salsum in aequor amnis Attagus ruit:
Helireque rursus hic palus iuxta. Dehinc
Besaram stetisse fama casca tradidit.
At nuncce Ledus, nunc et Orobis flumina
Vacuos per agros et ruinarum aggeres
Amoenitatis indices priscae meant.
Nec longè ab istis Thyrius alto evolvitur
— Cinorus agmen — —

* * * *

Nunquam excitentur fluctuum volumina,

Sternatque semper gurgitem Alcyonae quies.
Vertex at huius cautis e regione se
Illi eminenti porrigit, quod Candidum
Dixi vocari. Blasco propter insula est,
Teretique forma caespes editur salo.
In continenti et inter adsurgentium
Capita iugorum, rursum arenosi soli
Terga explicantur; seque fundunt litora
Orba incolarum. Setius inde mons tumet
Procerus arcem et pinifer: Setii iugum
Radice fusa in usque Taphrum pertinet:
Taphron paludem namque gentici vocant
Rhodani propinquam flumini. Huius alveo
Ibera tellus atque Ligyes asperi
Interseccantur. Hic sat angusti laris
Tenuisque censu civitas Polygium est.
Tum Mansa vicus, oppidumque Naustalo,
Et urbs — — haesice gen sale

* * * *

Eiusque in aequor Classius amnis influit.
At Cimenice regio descendit procul
Salso ab fluento, fusa multo caespite,
Et opaca silvis. Nominis porro auctor est
Mons dorsa celsus: cuius imos aggeres
Stringit fluento Rhodanus, atque scrupeam
Molem imminentis intererrat aequore.
Ligures ad undam semet Interni maris,
Setiena ab arce et rupe saxosi iugi,
Procul extulere. Sed quasi exposcit locus,
Rhodani ut fluentum plenius tibi edisseram.
Stili immorantis patere tractatum, Probe:
Quippe amnis ortum, gurgitis lapsum vagi,

Quas iste gentes lambat unda fluminis,
Quantoque manet incolis compendio,
Et ostiorum fabimur divortia.
Nivosum in auras erigunt Alpes iugum
A solis ortu, et arva Gallici soli
Intersecantur scrupeo fastigio,
Et anhela semper flabra tempestatibus.
Effusus ille, et ore semet exigens
Hiantis antri, vi truci sulcat sola,
Aquarum in ortu et fronte prima naviger.
At rupis illud erigentis se latus,
Quod edit amnem, gentici cognominant
Solis Columnam: tanto enim fastigio
In usque celsa nubium subducitur,
Meridianus sol ut opposita iugi
Conspicuus haud sit, cum relaturus diem
Septemtrionum accesserit confinia.
Scis nam fuisse eiusmodi sententiam
Epicureorum, non eum occasu premi,
Nullos subire gurgites, nunquam occuli,
Sed obire mundum, obliqua coeli currere,
Animare terras, alere lucis pabulo
Convexa cuncta; et invicem regionibus
Certis negari candidam Phoebi facem;
Resi[*stere alto nam iugum cacumine,*
Quod ab occidente quando sese ad extimos
Septemtriones porrigit, mundi duo
Latera atque solis dividit meta vias.]
Meridianam cum secuerit orbitam,
Cum lumen axi Atlantico inclinaverit,
Ut in supremos ignem Hyperboreos agat,
Achaemenioque semet ortui ferat,

Discreta in aethrae flectitur curvo ambitu,
Metamque transit; cumque nostro obtutui
Iubar negarit, tetra nox coelo ruit,
Caecaeque nostra protinus tenebrae tegunt:
Dies at illos clara tunc illuminat,
Septemtrione qui superposito rigent:
Cum rursus umbra noctis arctoos habet,
Genus omne nostrum splendidum ducit diem.
Meat amnis autem a fonte per Tylangios,
Per Daliternos, per Chabilcorum sata,
Cemenicum et agrum, (dura sat vocabula,
Auremque primam cuncta vulnerantia;
Sed non silenda tibimet ob studium tuum
Nostramque curam:) panditur porro in decem
Flexus recursu gurgitum, stagnum grave
Plerique tradunt: inserit semet dehinc
Vastam in paludem, quam vetus mos Graeciae
Vocitavit Accion, atque praecipites aquas
Stagni per aequor egerit: rursum effluus
Arctansque sese fluminum ad formam, dehinc
Atlanticos in gurgites, nostrum in mare
Et occidentem contuens, evolvitur,
Patulasque arenas quinque sulcat ostiis.
Arelatus illic civitas attollitur,
Theline vocata sub priore seculo,
Graio incolente. Multa nos Rhodano super
Narrare longo res subegerunt stilo.
At nunquam in illud animus inclinabitur,
Europam ut isto flumine et Libyam asseram
Disterminari; Phileus hoc quamquam vetus
Putasse dicat incolas: despectui
Derisuique inscitia haec sit barbara,

Et compete[*nte denotetur nomine.*]
Cursus carinae biduo et binoctio est:
Gens hinc Veragri, Bergineque civitas,
Salyes atroces, oppidum Mastramelae
Priscum paludis, terga celsum prominens,
Quod incolentes Citharistium vocant:
Massilia et ipsa est; cuius urbis hic situs:
Pro fronte litus praeiacet; tenuis via
Patet inter undas; latera gurges adluit,
Stagnum ambit urbem, et unda lambit oppidum
Laremque fusa: civitas paene insula est:
Sic aequor omne caespiti infudit manus,
Labos et olim conditorum diligens
Formam locorum et arva naturalia
Evicit arte. Si qua prisca te iuvat
Haec in novella nominum deducere

* * * *

PRISCIANI

PERIEGESIS

E DIONYSIO.

NATURAE genitor, quae mundum continet omnem,
Adnue, rex coeli, positum telluris et undae,
In quas imperium mortalibus ipse dedisti,
Materiae tantae me promere carmine digno.
Incipiens terrae tractus, pontique meatus,
Et fluvios canere, atque urbes, populosque per orbem
Discretos; late refluum memorare parabo
Oceanum: tellus quo cingitur aequore tota,
Insula ceu sese diffundens litore vasto.
Non tamen assiduo teres undique margine circum
Clauditur haec, bifido sed brachia litore pandens
Arctatur rapidos cursus ad solis utrinque,
Assimilis fundae. Sed quamvis corpore toto
Una sit haec, homines tres dicunt esse diremtas:
Et primam Libyen; post, Europen Asiamque.
Sed Libyam Europae discernit finibus amplis
Linea, quam obliquant Gades atque ostia Nili:
Qua Boreae excurrit Memphitis terra sub axes,
Atque locum vovit Spartano fama Canopo.
Sed terras Aquilo qua frigore damnat iniquo,
Europen Asiae Tanais disiungit ab oris:

Sauromatas linquens Scythiam qui gurgite vasto
Perstringit, praecepsque ruit Maeotida poscens.
At medius finis iam iam declinis in Austrum est,
Quas Hellesponti fauces dixere priores:
Sed magis australis sunt terminus ostia Nili.
Per mare sic fluviosque duos discernitur orbis.
Ast alii terris malunt discernere terras.
Finibus est Asiae, latus arctum, lingua supernis,
Caspia quam mediam faciunt atque aequora ponti
Euxini: locus hic discrimen dicitur esse,
Europes Asiae disiungens ruribus arva.
Ast alius finis longissimus exit in Austros,
Qui secat Aegypti terras aequorque Sabaeum:
Separat hic Libyen, Asiae confinia rumpens.
  Talia mortales perhibent discrimina terrae.
Circuit Oceani gurges tamen undique vastus:
Qui, quamvis unus sit, plurima nomina sumit.
Finibus Hesperiis Atlanticus ille vocatur:
At Boreae qua gens fervens Arimaspa sub armis,
Dicitur ille piger, nec non Saturnius: idem
Mortuus est aliis, minimo quod lumine solis
Perfruitur; tarde radios nam suscipit ortus,
Nubibus et crassis premitur, nimbisque gravatur.
Unde tamen primo conscendit lumine Titan,
Eoumque vocant atque Indum nomine pontum.
Sed qua devexus calidum polus excipit Austrum,
Aethiopumque simul pelagus Rubrumque vocatur:
Qua deserta patet tellus ardore perusta,
Circuit Oceanus sic totum maximus orbem,
Nominibus variis celebratus et aequore tanto.
Hinc atque inde sinus penetrabilis efficit ille
Exiguos multos, dirimens mare, quatuor amplos.

Persecat Hesperiam primus, qui porgitur undis,
Pamphylumque latus Libyae pertendit ab oris.
Hoc minor est, reliquis maior, quem Caspia tellus
Suscipit intrantem vastis Aquilonis ab undis,
Nomine Saturni quod Tethys possidet aequor:
Caspius iste sinus simul Hyrcanusque vocatur.
At duo, qui veniunt australis ab aequore ponti,
Hic supra currens mare Persidis efficit altum,
E regione situs, qua Caspia volvitur unda:
Fluctuat ast alter Panchaeaque litora pulsat,
Euxini contra pelagus protentus in Austros.
Hosce sinus perhibent, quos Tethyos efficit unda,
Maiores: nam sunt alii multique minores.
Nunc maris Hesperii lustrabo carmine tractus,
Flexibus in variis qui frangitur aequore pontus,
Has stringens pelago terras, circumfluus illis,
Montibus et radens suppostasque urbibus oras.
Adsis, o numen, studiorum praesul et artis,
Ordine principium capiens Atlantis ab unda:
Herculeo celebrant qua metae munere Gades,
Coeliferasque tenet stans Atlas monte columnas.
Est primus vastis qui pontus Ibericus undis
Dividit Europen Libya, communis utrique.
Hinc atque hinc statuae sunt: ambae litora cernunt,
Haec Libyes, haec Europes, adversa tuendo.
Gallicus hinc gurges, qui Celtica litora pulsat,
Excipit: hinc sequitur Ligurum cognomine dictus:
Qua domini rerum terris crevere Latinis,
Ad Petram Leucen aquilonis ab axe reductis,
Quae freta Sicaniae concludit litore curvo.
Insula sed Cyrnos propriis pulsatur ab undis,
Inter Sardonium pelagus Celtumque refusis.

Inde salis tumidus Tyrrheni volvitur aestus,
Ad partes vergens australes: excipit istum
Sicaniae gurges, solis deflexus ad ortus:
Qui procul effusus Pachyni distenditur oris,
Ad Cretae summam, quae prominet aequore, rupem;
Qua Gortyna potens, mediis qua Phaestus in arvis.
Arietis hanc rupem simulantem vertice frontem,
Pro merito Graii Criû dixere metopon.
Hoc mare Gargani concludit Iapygis ora.
Illinc incipiens extenditur Adria vastus,
Ad Boream penetrans pelago, solemque cadentem:
Ionius pariter sinus hic perhibetur ab orbe,
Dividit et geminas diversis partibus oras,
Quas tamen extremas coniungit terminus unus.
Ad dextram partem protenditur Illyris alma;
Post hanc Dalmatiae populorum Martia tellus.
At laevam Ausoniae porrectus continet Isthmos,
Quem tria circumdant maria undique litore curvo,
Tyrrhenum, Siculum, nec non simul Adria vastus:
Finibus at propriis exceptant singula ventos,
Tyrrhenum Zephyro, Siculum sed tunditur Austro,
Adria succurrens eoo frangitur Euro.
At post Sicaniam tractu diffunditur alto
Ad Syrtin pelagus, Libycis quae cingitur oris,
Maiorem: post quam minor excipit aequora longe,
Atque sinu gèmino resonantia litora pulsant.
Finibus a Siculis Cretaeum tenditur aequor,
Ad solis veniens ortus, Salmonida poscens,
Dicitur eous qui Cretae terminus esse.
Post hanc est geminum mare vastum fluctibus atris,
Flatibus Ismarici Boreae quod tunditur acris,
Qui ruit adversus celsae de partibus Arcti.

Quod prius est, Pharium perhibent, hoc litora tangit
Praecipitis Casii montis: post unda secunda
Sidonium est pelagus; penetrat qua gurgite pontus
Issicus, arctoas ad partes aequore vergens,
Non longe rectus: Cilicum nam frangitur oris.
Hinc Zephyros poscens, veluti draco flectitur undis,
Qui iuga montivagus vastat, silvasque fatigat.
Partibus extremis Pamphylia clauditur isto:
Atque Chelidoniae rupes cinguntur eodem.
At procul hunc Zephyrus finit Patareïde summa.
Post haec arctoas ad partes adspice rursus
Aegaeum, superat qui fluctibus aequora cuncta;
Dispersas vasto qui gurgite Cycladas ambit.
Terminat hunc Imbros pariter Tenedosque coërcens,
Angusta trahitur qua fauce Propontidis unda:
Asia quam supra populis distenditur amplis
Ad notiam partem, qua latus ducitur isthmos.
Threïcius sequitur post Bosporus, ostia Ponti:
Hoc nullum perhibent terras angustius orbis
Esse fretum dirimens: hic sunt Symplegades arctae.
Panditur hinc Ponti pelagus Titanis ad ortus;
Quod petit obliquo Boream Solemque meatu.
Hinc atque hinc medio procurrunt aequore colles.
Unus, qui veniens Asiae de parte Carambis
Dicitur, australis: sed contra finibus alter
Prominet Europae, hunc Criû dixere metopon.
Ergo conveniunt adversi, gurgite tanto
Distantes, quantum ternis transire diebus
Evaleat navis. Bimarem sic aequore Pontum
Adspicias, similem cornu quo flectitur arcus
Nervo curvatus distento. Dextera nervum
Assimilat: recto trahitur nam linea ductu,

Extra quam, Boream quod scandit, sola Carambis:
Sed formam cornu geminatis flexibus edit
Litus, quod Pontum cingit sub parte sinistra.
In quam Maeotis penetrans Aquilonis ad axes,
Quam Scythiae gentes circumdant undique ripis,
Et matrem Ponti perhibent Maeotidis undam:
Scilicet hinc Ponti vis exit gurgite multo
Cimmerium torrens per Bosporon; hic ubi Taurum
Cimmerii gelidis habitant sub finibus imum.
Haec maris est species, splendens haec forma profundi.
Nunc tibi telluris regiones carmine pandam,
Ut cernas animo non visas lumine terras,
Atque docens alios lauderis pectore docto.
Incipiens Libye, tenuisque a Tethyos undis,
Oceanus Tyrias qua pulsat gurgite Gades,
Tenditur ad notias partes et solis ad ortus;
Et mensae formam reddit mensoribus artis,
Quam tradunt terrae non aequam margine cuncta.
Terminat haec fines Rubri prope litora ponti
Latos: Aethiopum populos quos possidet alter;
Quem calidis iuxta terris pascuntur Erembi.
Has pelli similes pardi dixere priores;
Namque solum squalens urbes distinguit opacas.
Hac sitis, hac humor latos variatur in agros.
Sed summam Libyen habitant ad Tethyos undas,
Alcidae qua sunt statuae, Maurusia plebes.
Post hos immensae Nomadum de semine gentes,
Atque Masaesylii, nec non Masylia proles.
Saltibus hos duris asper silvisque vagantes
Victus alit saeva quaesitus caede ferarum;
Scilicet ignaros terras proscindere aratris,
Agricolasque boves plaustris domitare sonoris:

Namque errant nemorum per dumos more ferarum.
Quos prope tenduntur fines Carthaginis altae,
Perpetuas Tyriis celebrat quae condita laudes:
Qua regnans felix Dido per secula vivit,
Atque pudicitiam non perdit carmine ficto.
Hanc minor insequitur Syrtis, maiorque secunda;
Qua tumor immensus Tyrrheni pellitur aestus,
Accessusque furit siccisque recessus arenis.
Ast inter Syrtes urbs est, quam nomine dicunt
Esse Nean polin. Hanc supra iustissima fertur
Hospitiis gaudens gens degere Lotophagorum.
Hos licet ad fines desertas cernere terras,
Exstinctis populis Nasamonum marte Latino.
Asbystae post hos terrarum rura tenentes
In medio: summus Libycis et gentibus Ammon:
Nec non Cyrene clarorum mater equorum,
Urbis Amyclaeae populus quam condidit olim.
Marmaridae post hos Aegypti ad flumina vertunt,
Gaetulique super sunt, vicinique Nigretes.
Continuo post hos sequitur Phaurusia tellus.
Hanc habitant iuxta Garamantes Debride clari:
Quae superat cunctas urbs miro munere fontis,
Frigore qui noctis fervet calefactus et umbris,
At solis friget radiis glacialis et igni.
Omnibus extrema populis clauduntur in ora
Aethiopes: Libyes ubi finit litora Cerne,
Oceanum nimio quae pulsat sole calentem.
Nec longe fervent Blemyorum collibus agri.
Hinc fluvii pinguis descendunt flumina Nili
Partibus a Libycis: qui, currens solis ad ortus,
Siris ab Aethiopum populis cognomine fertur;
Versum cultores Nilum dixere Syenes.

Hinc Boreae currens ad partes flumine pingui,
Fertilis Aegypti terras fecundat opimas,
Septenoque ferit Pellaeum gurgite pontum.
Non alius tantum fluviorum ditat arenas,
Atque trahens limum complectitur ubere campos.
Hic latis Libyen Asiae disterminat oris:
Haec ortus cernit, videt Austros illa calentes.
Hunc habitant iuxta sapientum corda virorum,
Disposuere vias qui vitae mente potenti,
Et primi dederant sulcos et semina terris,
Obliquos solis tractantes pectore cursus.
Horum telluris fines nunc carmine dicam,
Et formam, celebrat quam gloria magna per orbem.
Haec igitur latis diffusa patescit in arvis
Fertilis, et superans alias pinguedine glebae.
Marginibus laterum formatur at undique ternis:
Lata quidem Boreae sub litore tenditur oris;
Ast ortus angusta petit summamque Syenem,
Qua celsi mediam montes utrinque coërcent,
Irrigui per quam descendunt flumina Nili.
Hanc habitant homines multi, pariterque opulenti:
Qui veteris claraeque colunt sub moenia Thebes,
Quam perhibent centum portas habuisse priores;
Filius Aurorae Memnon qua regna tenebat.
Hic sunt et septem mediis in finibus urbes:
Quas celebrat totum discurrens fama per orbem:
Et quicunque maris vivunt prope litora vasti,
Qua lacus est ingens liquidae Serbonidis undae.
Ad cuius Zephyrum Macetûm sunt moenia regis:
Et Pharos Idothees scopuli Pallenidis alti.
Post urbs sub Casio Pelusi vergit ad ortum:
Navigiis populus duris quam possidet aptus.

Non tamen est Libyes ponendus finibus iste:
Scilicet eoas Nili qui continet oras,
Nili, quem circum floret mirabilis arbor,
Exstinguitque sitim pomo, cui nomen Adipsos.
Haec facies Libyes: hic claudit terminus illam.
Sunt tamen huic aliae gentes, quae litore summo
Tethyos, aut mediis habitant telluris in arvis,
Et gratas circum ripas Tritonidis undae.
Hic lapis, heliotropius qui nomine vero
Dicitur, est: vertit radios nam solis in unda,
Si quis eum fusa labris immergat aënis,
Sanguineique rubens resplendet luce coloris;
Purior at soli renitet nudatus ab undis.
Si placet Europes quoque me tibi dicere formam,
Haud taceam. Similis Libyae est; sed vergit ad arctos,
Finibus et pariter distentis pergit ad ortus.
Linea namque Asiae similis disiungit utramque:
Haec notias spectat partes, aquilonis at illa.
Ast ambas unam si terras esse putemus,
Assimulent conum laterum compagibus aequis,
Cuius ad occasus est summum, lata sub ortu.
Sic Europa tibi facili dignoscitur arte.
Ad cuius summum, prope metas Herculis alti,
Magnanimae gentes, dederat queis nomen Iberus,
Ad spatium multum terrarum rura colentes,
Oceanum boreo contingunt frigore durum;
Scrutanturque decus pulchrum sapientibus auri.
Quos tamen haud maculat praesens, nec deiicit absens.
Qua sunt Germani bellaces atque Britanni.
Saltibus Hercyniis Germania subiacet atrox:
Haec tergo similis taurino dicitur esse,
Et pascit volucres, mirum, fulgentibus alis,

Queis ducibus noctu cernuntur flexa viarum.
Pyrrhenes sequitur mons. Post hunc Celtica tellus,
Eridani fontis contingens rauca fluenta:
Hic Phaëthonta suum carae luxere sorores:
Hic electra legunt alnis stillantia Celtae,
Succina quae memorant, mellis vinive colore;
Quae paleas rapiunt tractu frondesque caducas.
Post hos Tyrrheni. Quos iuxta solis ab ortu
Incipiunt Alpes: quibus exit gurgite vasto
Oceani rumpens glacialis litora Rhenus.
Hunc prope consurgit fons Istri flumine longo:
Qui poscens ortus Euxini pervenit undas,
Irriguam Peucen amplexus gurgite quino.
Cuius ad arctoas est partes barbara tellus,
Innumeras gentes gremio complexa reducto,
Cui finem faciunt Maeotidis ostia vastae.
Hinc sunt Germanique truces, et Sarmata bellax,
Atque Getae, nec non Bastarnae semina gentis,
Dacorumque manus, et Martia pectora Alani,
Atque dromon Tauri retinentes fortis Achilli
Angustum et longum, Maeotidis ostia iuxta.
Hos equites supra celeres funduntur Agavi,
Atque Melanchlaenûm populus metuendus in arcu.
Post Hippemolgi sunt, Hippopodesque potentes,
Atque Gelonus, cum Neuris, pictique Agathyrsi:
Hic ubi descendit porrecta Borysthenis unda,
Euxinumque subit Criû prope tracta metopon.
E regione iacet locus hic Symplegados arctae.
Hic sunt Aldesci quoque, Panticapique fluenta:
Dividui currunt Rhipaeis montibus ambo.
Immiscent qua se Ponti glacialibus undis,
Nascitur electrum praefulgens luce nitenti,

Mense solet primo qualis splendescere luna.
Hos adamanta legunt iuxta fortes Agathyrsi.
Tot dirimit gentes Aquilonis partibus Ister.
Huius ad australes terras, Gerrhaeque feroces,
Noriciique colunt bellaces, Pannoniique,
Et Mysi Thracum boreis in finibus orti:
In quorum terris, quas Ponti praefluit unda,
Ignipotens oleo commixto gignitur herba,
Medica cui nomen: cuius compescere flammas
Si quis aqua cupiat, plus ignem pascit in illa:
Pulveris hunc iactus potis est exstinguere solus.
Thraces arant post hos latissima rura tenentes:
Quae torrens stringit finitque Propontidis unda,
Atque Hellesponti fauces, Aegaeus et altus.
Nascitur hic scopulis Pallenae gemma refulgens,
Asterium perhibent: stellis certare putatur;
Et flammae similis splendenti lumine lychnis.
Hi ripas Istri porrectas undique cingunt.
Europae reliquas nunc partes adspice ternas,
Phoebeos vergens quibus eminet illa sub ortus.
Prima est, Hispanum quae frangit litore pontum:
Altera, Tyrrhenum quae pulsat molibus aequor:
Tertia, quae Graios circumflua gurgite pascit.
Sed tamen Oceanum contigit Iberica tellus
Occiduum: Calpen qua summam sustinet unam
Herculis e statuis; quam supra dives et alta
Tartessus, Cempsique, sedent qui collibus imis
Pyrrhenes, coelum qui tangit vertice summo.
Ast ambas inter tellus iacet Ausonidarum:
Limite quam recto mediam secat Apenninus.
Qui mons, incipiens boreis ex Alpibus altus,
In freta Sicaniae porrectas terminat oras.

Hunc urbes circum, populi, gentesque frequentant:
Quos breviter retegam nostro tibi carmine cunctos.
Tyrrheni primum fortes: iuxtaque Pelasgi,
Cyllenes quondam propria qui sede relicta
Tyrrhenis socias petierunt navibus arces.
Hos prope sunt omni superantes laude Latini:
Quorum per terras decurrit in aequora Tybris
Regius, irriguo dirimit qui gurgite Romam,
Romam, quae genitrix regum dominatur in orbem.
Post hos pingue solum sequitur, Campania dives.
Hic tibi Parthenopes domus est castissima, frugum
Fertilis: hanc pontus propriis exceperat undis.
Ad Noton est, longe supra Sirenida rupem,
Picentis Silari gurges, spectabile flumen.
Hunc habitant prope Lucani, Brettique coloni,
Ad Leucen petram longissima rura tenentes.
Hinc est ad Boream Zephyri quae summa vocatur:
Sub qua sunt Locri celeres, qui tempore prisco
Istuc reginam propriam venere secuti:
Ausoniamque tenent, qua currit flumen Halecis.
Moenia cernuntur Metaponti deinde, Crotonque,
Quam pulcher gratam praeterfluit Aesarus urbem.
Ulterius pergens hinc templa Lacinia cernes.
Post haec est Sybaris, periit quae numinis ira,
Praeponens hominum tumulos coelestibus aris:
Poscere qui Pisis ausi certamina soli.
Samnites medio complectitur Itala tellus
In gremio, Marsosque simul. Tunc deinde Tarentum
Tangitur aequoribus, quod munivere Lacones.
Continuo Calabrae telluris rura sequuntur.
Usque Hyrii summam sed tendit Iapygis ora:
Qua salis Adriaci trahitur vastissimus aestus,

Atque sinum penetrans Aquileium, colligit undas.
Alta Tegestraeôn postremae moenia terrae,
Qua sinus Ionius finitur gurgite lasso.
Hi sunt Ausoniae populi, gentesque potentes.
Flexilis hinc pontus convertens vergit ad ortus,
Atque Liburnorum terras, Hyllesque feroces,
Bulimeôn pariter praestringens litora currit,
Et venit Illyrias late porrectus ad arces;
Qua tollunt montes excelsa Ceraunia summos.
Cernitur hic tumulus, qui Cadmi dicitur esse
Harmoniaeque simul: namque hic serpentibus illi
Corpora post longum tempus mutasse feruntur,
In senio; postquam patriam Thebasque relinquunt.
Hic illos aliud posuerunt numina monstrum:
Namque duo tumuli concurrunt peste futura,
Significant quoties saevissima damna colonis.
Haec regio fontem mirandae concipit undae,
Quem merito veteres dixerunt nomine Sacrum.
Nam gelidus superat cunctarum frigus aquarum,
Accensasque faces si quis prope duxerit undam,
Exstinguit flammas; recipit sed rursus easdem,
Admoveat dextra cum exstinctam lampada fonti.
Sed supra Thracen, nec non Epiron, ad Austros,
Principium terrae doctissima Graecia sumit
Ascendens multum, geminatoque aequore cincta,
Aegaeo Siculoque, movent quae flamine venti
Diverso: Siculum Zephyrus tenet, Eurus at altum
Aegaeum. Sequitur Pelopis post insula lata;
Consimilis platani folio, quod muris acutam
Aequiparat caudam: cuius iacet Isthmos imago,
Hellados ad Boream sibimet confinia iungens:
Latior at tellus, folium ceu flexile, circum

Cingitur aequoribus. Zephyrum Triphyllidis arva
Excipiunt: per quam descendit flumine pulchro
Alpheus, qui Messeni discinditur undis
Eurotae: terris ambo nascuntur Aseis:
Hic tamen Eleos, et dividit ille Laconas.
Hic mediis habitant late telluris in arvis
Arcades Apidanei sub scopulis Erymanthi:
Qua Melas atque Crathis fluvii, qua currit Iäon,
Tenditur atque vetus qua longo gurgite Ladon.
Hic merulos perhibent albos, mirabile dictu;
Hic nasci lapidem, qui tacto accensus ab igni
Exstingui nequitur; quem Graii nomine vero
Asbestum memorant. Ferri nitet ille colore.
Iuxta est Argivûm tellus, pariterque Laconum:
Ortus Argivi, verguntque Lacones ad Austros.
Aequoribus geminis Isthmos pulsatur utrinque:
Hoc Ephyren contra Zephyrus, sed verberat illud
Eurus: in immensum quae mergitur unda profundum,
Nomine quam Danai dixere Saronida prisco.
Attica sed tellus post Isthmon solis ad ortum est.
Hinc Orithyiam Boreas rapuisse puellam
Traditur. Hic Ilissus aquis devolvitur amnis.
Boeotûm sequitur finis: quo dicitur unda
Esse potestatis diversae; namque duobus
Fluminibus vertit vervecum lana colorem;
Hoc fuscat niveas, hoc albat gurgite nigras.
Locridis inde solum sequitur regionis et òra
Thessalis, et tellus Macetûm cum moenibus altis:
Sub cuius scopulos tangentes vertice coelum
Speluncae veteris servant insignia cladis:
Finibus in mediis terrarum namque videntur
Ostrea muricibus siccata latentibus esse;

Diluvium latebras dederat quod piscibus illas.
Concipit et parit hic naturae munere gemma,
Quam paeaniten perhibent: praegnantibus ista
Auxilïum confert, facilis relevamine partus.
Cernitur hinc, niveas attollens vertice rupes,
Aemus Threïcius: quem contra tenditur agris
Ad Zephyrum regio Dodones laeta feracis.
Ad cuius notias partes, sub rupe Aracynthi,
Aetolae gentis sunt belli laude potentis
Campi: quos medios Acheloïa persecat unda,
Et mare Trinacrium perrumpit Echinadas inter.
Regna Cephallenae prope sunt sapientis Ulyssi.
Ista galactiten ripis ostendit in altis:
Uberibus prodest, nec non infantibus idem:
Et si quis terat hunc, albescit lacte liquescens.
Hunc fluvium iuxta, praeclaros solis ad ortus,
Phocis ad arctoos ventos extenditur ingens,
Donec contingat calida ostia Thermopylarum,
Sub iuga Parnassi: Cephissos gurgite magno
Quam mediam dirimit, descendens murmure vasto:
Qua templum Phoebi memorabile, Delphica sedes.
Nunc magno nobis sunt insulae ore canendae,
Quas homines toto dispersas aequore cernunt.
Est igitur ponto tellus circumflua prima,
Cui nomen Gadis. Statuas haec Hërculis inter
A Tyriis colitur, Cotinusa vocata vetustis.
Continuoque iacent Gymnesiae: has Baleares
Romani memorant. Hinc frangitur aequor Ebuso.
Sardiniae post'quam pelago circumflua tellus
Fontibus e liquidis praebet miracula mundo,
Quod sanant oculis aegros, damnantque nefando
Periuros furto, quos tacto flumine caecant.

Post quam non longe cernuntur litora Cyrni:
Corsida quam pariter, geminato nomine, dicunt.
Hanc solam perhibent catochiten gignere terram.
Corporibus lapis hic, ceu glutine tactus, adhaeret.
Nulla tamen tellus altissima robora silvae
Sic alibi generat. Dehinc rupes Aeolidarum, -
Quas septem numero perhibent, cognomine Plotas:
Quippe viam ratibus pelago dant undique vasto.
Trinacriae post has moles distenditur ampla:
Cardinibus ternis laterum quam terminat actus,
Procurrens Pachyno longe, claustrisque Pelori,
Exterrensque rates Lilybaei cautibus aspris,
Eminet ad Zephyrum Lilybe, Pachynusque sub ortum
Adspicit Ausoniam, boreaeque Pelorus ad axes.
Qua mare vix superant haud aequum mille periclis,
Angustum, rapido quod frangit gurgite saxa.
Traditur hic pelagi diruptas viribus olim
Excepisse fretum terras, cogente ruina.
Plurima sunt isthic totum memoranda per orbem.
Dianas fons est, Camerina gignitur unda:
Quem si quis manibus non castis hauserit unquam,
Laetifico tristis non miscet pocula Baccho.
Haec eadem montem mirandum sustinet Aetnam,
Vertice qui summo rigida nive temperat ignem,
Nec superant flammae frigus, nec frigora flammas.
At salis hic Acragas miracula possidet unus,
Naturas in quo proprias mutare videntur
Ignis et unda: salem namque illum solvere flammae,
Unda solet crepitus illi coniuncta movere.
Hic et Halesinus fons est, mitissimus undis:
Tibia quem extollit. Cantu saltare putatur
Musicus, et ripis laetans excurrere plenis.

Cernitur egregius lapis hic, cui nomen achates:
Hoc dederat fluvius, cuius generatur ad undas:
Hanc simulacra vides venis ostendere gemmam.
Aequoris at Siculi, quod vastis funditur undis,
Ad Noton, est pontus Libyae, Syrtisque vadosa
Maior. At ulterius si pergas, cerne minorem
Occiduam: iuxta quam Meninx insula fulget,
Et Cercinna simul, Libyca statione patentes.
Adria qua penetrat, venias si parte sinistra,
Atque legas Calabrum litus; tunc insula magni
Ostendit sese Diomedis nomine dicta:
Quo profugus quondam victor concesserat ille,
Coniugis incestae per fraudes Aegialeae.
Ionium pergens Absyrtidas aequor ad ortus
Circuit: has olim Colchi tenuere feroces,
Lassi dum frustra Medeae furta sequuntur.
Continuo post hasce Liburnidas adspicis altas
Ad notias partes: hinc saeva Ceraunia nautis:
Insulae Ambraciae contra cernuntur in alto,
Et Corcyra potens, Ithaces atque aspera tellus,
Et quas oblimat rivis Acheloïus amnis,
Flumine torrenti praecelsam Chalcida linquens.
Sed multae Amnisi Boreae sub parte videntur,
Aegylaque, inde Cythera, Calauria dura colonis:
Ad radios vergit sed Carpathus. Hanc prope Crete
Pinguis, et umbrosis extendens collibus Iden,
Ante ortus solis perhibent quam fulgere sole.
Gignitur hic alimos! quam si quis mordeat herbam,
Compescit damnumque famis rabiemque diurnam.
At Rhodos Aegyptum contra iacet, insula dives,
Suniados contra quoque summum rupis, ad ortus;
Nubila qua nunquam vetuerunt lumina solis:

Nam purus carae potitur telluris. Abantas
Supra sunt Salamis nec non Aegina. Sed ortus
Cernentem Cyprum pontus Pamphylius ambit.
Post haec sunt ternae citra Patareïda summam,
Fama Chelidonias celebrat quas nomine terras.
Nec procul est Arados, Phoenices aequore cincta.
Aegaei vero, diversis partibus alti,
Ad fauces arctas multae sunt insulae Abydi,
Confines Asiae dextrae, Europesque sinistrae:
Ad Boream tamen hae pertendunt ordine longo.
Europes Macris contingit Abantias oram,
Et celsa Scyrus, Peparethus, sacraque Lemnos,
Fertilis atque Thasos, simul Imbros, post Corybantum
Moenibus antiquis Samothracia cernitur alta.
Ast Asiae partem quae tangunt aequore primam,
Delon circumdant: has dicunt Cycladas esse.
Continuo Sporadas ceu stellas adspicis albas,
Ioniasque simul: quas inter Caunus, et altae
Sunt Samos atque Chios celebratae nomine claro.
Aeolicae post, et Lesbus Tenedusque sequuntur.
Et sinus inde Melas Helles prorumpit in aequor.
Panditur hinc pelagus, tumidaque Propontide fervet
Ad Boream: saxisque riget Proconesus in illa.
Est etiam laevis Euxini partibus una,
Quam Leucen perhibent, adversa Borysthenis amni,
Pascit aves quoniam multas candore nivali.
Hic animas perhibent heroum laude potentes
Degere securas, virtutis munere pulchro.
Cimmerium recta sed si quis Bosporon ibit,
Cernitur huic dextra vastae Maeotidis unda,
Insula mole gravi stans, Alopecea lata.
Post quam Phaenagoren Hermonassamque nepotes

Egregiae quondam coluerunt gentis Ionum.
Insulae hae celebres pelagi sunt nomine claro.
Ast alias refluum circumdat Tethyos aequor:
Quarum demonstrem positum regionis, et auras.
Aethiopes habitant Erythiam pectore iusti,
Atlantem iuxta longaevi. Finibus olim
Venit Hyperboreis quae gens, post fata peremti
Geryonis, domuit quem virtus Herculis ingens.
Sed summam contra Sacram cognomine, dicunt
Quam caput Europae, sunt stanni pondere plenae
Hesperides: populus tenuit quas fortis Iberi.
Ast aliae Oceani iuxta boreotidas actas
Sunt geminae; Rhenique Britannides ostia cernunt:
Hic etenim lasso perrumpit Tethya cursu.
Has tamen haud valeat spatio superare per orbem
Insula. Perfulget nigro splendore gagates
Hic lapis, ardescens haustu perfusus aquarum;
Ast oleo perdens flammas, mirabile visu:
Attritas rapit hic teneras, ceu succina, frondes.
Nec spatio distant Nesidum litora longe:
In quibus uxores Amnitum Bacchica sacra
Concelebrant, hederae foliis tectaeque corymbis.
Oceani tranans hinc navibus aequor apertum,
Ad Thulen venies: quae nocte dieque relucet
Titanis radiis, cum curru scandit ad axes
Signiferi, boreas succendens lampade partes.
At navem pelago flectenti Aquilonis ab oris
Ad solem calido referentem lumen ab ortu,
Aurea spectetur tibi pinguibus insula glebis.
Hinc tepidos proram convertens navis ad Austros
Taprobanem venies: generat quae magna elephantes
Per fines Asiae. Iacet haec sub sidere Cancri.

Litoribus cuius saliunt densissima cete,
Quae pascit vastum mare Rubrum, montibus aequa:
Tenditur horribilis quorum per terga per armos
Spina, ferens cladem fatumque sub ore feroci:
Quippe solent pariter navem sorbere virosque.
Nam mala tam pelagus, quam terra merentibus offert.
Ulterius pergas si post Carmanida summam,
Ogyris occurrat: qua dicitur esse sepulcrum
Regis Erythraei; dederat qui nomina ponto.
Persicus inde sinus penetratur, et Icaron offert:
Insula quae fertur nimium placare Dianam.
Tot sunt ingentes, quas cingit Tethyos unda,
Insulae: ast aliae diversis partibus orbis
Dispersae. Plures famam latuere minores,
Duris difficiles nautis, vel portubus aptae:
Quarum non facile est mihi promere nomina versu.
Ast Asiae fines ambarum linea monstrat
Et formam, contra positarum in imagine coni.
Paulatim trahitur tamen haec orientis ad oras;
Oceanus statuas Bacchi qua tangere fertur,
Finibus Indorum postremis: gurgite torrens
Qua Ganges liquido Nyssaeos irrigat agros.
Non tamen est spatio similis telluris apertae.
Scilicet ambabus penetrabilis unus in illis
Funditur Oceani sinus, et disterminat ambas.
Ast Asiae gremio triplex mare confugit undis:
Hyrcanum pariter, Parthum simul, atque Sabaeum;
Haec Noton, at boreos Hyrcanum vergit ad axes,
Gurgitis Euxini vicinum: multa virorum
Millia quod circum degunt, per litora Ponti.
Amborum medius campis distenditur isthmos.
Ast Asiam qui mons excelsus dividit omnem,

Incipit a mediis terrae Pamphylidis oris,
Et longis sese spatiis producit ad Indos;
Nunc obliqua means, nunc recto limite currens:
Vertice quem torvo perhibent cognomine Taurum.
Cornua nam summus scopulis imitatur acutis,
Multifidusque suos colles huc spargit et illuc.
Ex hoc innumeri descendunt fontibus amnes,
In partes Euri, Zephyri, Boreaeque vel Austri.
Quis memorare queat fluviorum nomina cuncta?
Non tamen est unum montis cognomen ubique,
Sed varii flexus variantur nomine multo:
Singula sed propriis sunt nomina nota colonis.
Nunc igitur gentes illum populosque tenentes,
Qui celebres, memorem; sed felix numen adesto.
Maeotae primi tangunt Maeotidis undas;
Sauromataeque truces, gens aspera Martis in armis:
Sanguis Amazonidum fortis quos protulit olim,
Sauromatis mixtae quae, Thermodonte relicto,
Ingentes genuere viros, belloque potentes:
Innumeras habitant qui silvas, gurgite vasto
Inter quas Tanais Maeotidis intima pulsat,
Europen fluvio dirimens Asiamque reflexo:
Europen Zephyris, Asiam sub partibus ortus.
Caucasiis exit cuius fons montibus altis,
Murmure cum vasto Scythiae per plana refusus.
Hunc tamen, immenso torrentem flumine, vertit
In glaciem Boreas horrendo flamine saevus.
Heu miseros homines, habitant qui finibus illis,
Aëre damnati tristi nimioque rigore,
Quo pereunt pecudes pariter populique virorum,
Ni propere linquant sua rura furentibus Euris.
Hi Tanain habitant fluvium prope Sauromatarum.

Cui sunt vicini Sindi quoque, Cimmeriique.
Post hos Cercetii; iuxta quos Axenus altis
Fluctuat aequoribus: nec non Oretaeque feroces;
Et qui Troianae post proelia gentis Achaei,
Ascalaphi regis victricia signa sequentes,
Dispulsi ventis istas venere sub oras.
Post hos Heniochi, genuit quos Graecia tellus,
Et Zygii iuxta vivunt regione sub una.
Intima sed Ponti, post fines Tyndaridarum,
Aegypto missi Colchi tenuere coloni:
Caucasii montis prope collem, et Caspia ponti
Litora: qua celeres descendunt Phasidis undae,
Circaeosque secant campos atque aequora Ponti:
Nascitur Armenii fluvius qui vertice montis.
Ad cuius partes boreas, et solis ad ortus,
Euxinum dirimens et Caspia litora late,
Diffusus spatium per longum panditur isthmos.
Quem iuxta terras habitant orientis Iberes:
Pyrrhenes quondam celso qui monte relicto,
Huc advenerunt Hyrcanis bella ferentes,
Hic Camaritarum gens est, carissima Baccho.
Fluctibus hanc propter persaevit Caspius aestus:
Undique quem tereti concludit margine tellus.
Sed mare non valeat tribus illud mensibus ulla,
Scilicet immensum, navis transire profundo.
Hoc tamen exacuit pars una sub axibus aequor,
Qua tractum refugae miscetur Tethyos undae.
Multa quidem generat vivis miracula rerum;
Sed tamen egregio crystalli pondere gemmam,
Atque, malos lemures quod pellit munus, ïaspin;
Nocturni manes fugitant quam membra tuentem.
Hoc igitur pelagus quae gentes undique cingunt,

Incipiens numerem primis Aquilonis ab oris,
Quae vergunt Zephyro, quas Caspia litora claudunt.
Primi sunt Scythiae populi, Saturnia iuxta
Aequora viventes, Hyrcanique ostia ponti.
Quos supra gryphes ditissima rura smaragdo,
Qualem non alius terrarum possidet orbis,
Atque aurum sibimet defendunt pondere puro.
Omnia sed duri superans audacia lucri,
Adversus volucres heu commovet arma virorum:
Proelia nam faciunt Arimaspi gryphibus hostes.
Hic et crystalli perlucet maxima moles.
Hinc Unnus sequitur. Post fortis Caspia proles.
Hinc sunt Albani bellaces Marte feroci;
Unde canes nati superant genus omne ferarum.
Magnus Alexander missum sibi viderat inde
Victorem barrique canem, rapidique leonis.
Post hos Cadusi durissima rura colentes:
Et prope sunt Mardi: sequiturque Hyrcania plebes.
Hinc Apyri, per quos Mardus devolvitur amnis:
Dercebius bibit hunc praeter Bactrusque fluentem,
Per quos Hyrcanum currens descendit in aequor.
Sed Bactri mediis habitant telluris in arvis,
Parnessum late prope montem rura tenentes:
Dercebii vero sub Caspia litora vergunt.
Post hos Massagetae trans flumen Araxis, ad ortum,
Hospitibus saevi cunctis, belloque feroces:
Non Bacchi donum, Cereris nec munera norunt;
Sed lac commixtum potant cum sanguine equino.
Hos iuxta Boream vergit Chorasmia proles.
Sugdias hanc sequitur: rapidus quam dividit Oxus,
Emodum montem qui linquens Caspida rumpit.
Inde Sacae nimium certis gens mira sagittis,

Flumen Iaxartem iuxta quibus arva coluntur;
Et Tochari Phrurique, et plurima millia Serum.
Illis nulla boum, pecoris nec pascua curae:
Vestibus utuntur, texunt quas floribus ipsis
Quos tenuant lectos desertis finibus ipsi.
Ast alia Scythiae gens est extrema per arva;
Quos prope sunt tristes ventis et frigore terrae:
Namque nives semper pulsant has grandine mixtae.
Caspius his populis lustratur pontus et oris.
Adspice post Colchos nunc et post Phasidis undas,
Occasum versus, populos in litore ponti
Euxini densos usque ad Chalcedonis arva:
Bosporus angustat scopulis quae Thracius urgens.
Byzeres primi: quos iuxta terra Vechirum.
Macrones post hos pariter, Philyresque sequuntur:
Mossynique, domos praebent queis lignea tecta:
Turribus arboreis habitantes, unde vocantur.
Hinc pecorum dives nimium gens est Tibarenûm.
Hanc prope sunt Chalybes, durissima rura colentes:
Quos labor exercet saevus, ferrique metalla.
Vicinos istis campos terramque patentem
Assyrii complent populi: qua gurgite vasto
Inter Amazonidas Thermodon, Martius amnis,
Armenium linquens montem, descendit in aequor.
Huc Asiae quondam devenit alumna Sinope:
Ex qua cognomen ceperunt moenia clara.
Illius fluvii rigidas prope frigore ripas,
Invenies lapidem crystalli, pondere puro,
Consimilemque gelu, nec non splendore nitentem.
Gemma micans illic perlucet ïaspidis albae.
Iris continuo liquidus decurrit in aequor.
Post Halys est fluvius: Boreae qui currit in ortus,

Atque Carambidis irrumpit prope litora Pontum,
Armeniis primas qui montibus accipit undas.
Paphlagones post hos, Mariandynique sequuntur,
Bithynique viri, pinguissima rura colentes:
Qua Rhebas pulcher gratissima flumina volvit,
Rhebas, qui rapidi decurrit ad ostia Ponti.
Tot populi terras habitant per litora Ponti.
Nam prius exposita Scythiae sunt semina gentis.
Nunc Asiae regio contingens litora nobis
Dicatur: partes calidas quae currit ad Austri,
Atque Hellespontum transit, Syriaeque recessus
Poscit et Arrabiam, qua florent ubere terrae.
Sunt Chalcedonii primi, post ostia Ponti,
Moenia Byzantis qui cernunt optima contra,
Romanisque pie regnis dominantia mundo.
Bebrycii post hos, et Mysia montibus alta,
Qua Cius egregia decurrens murmurat unda:
Qua Nymphas comitem perhibent rapuisse potentis
Alcidae puerum, tristissima fata gementis.
Hinc Hellespontum pertenditur augulus ingens,
Qua brevior Phrygiae pars est: nam latior intus
Sangarii ripis fluvii vicina rapacis.
Tenditur haec positu Titanis pinguis ad ortus:
Altera ad occasus, altae sub montibus Idae,
Altaque qua cecidit praeclaro nomine Troia,
Ad Xanthi liquidas nec non Simoëntis ad undas,
Post haec Aeoliae tellus praetenditur orae,
Fluctibus Aegaei primis quae tunditur alti.
Inde tenet terras, pelagus prope, sanguis Ionum:
Per quas Maeander pinguis descendit in aequor,
Inter Miletum currens latamque Prienen.
Ad latus istorum boreum sunt moenia clara,

Urbs Ephesus, claudit quam grato litore pontus.
Post has Maeoniae tellus, quae vergit ad ortus:
Et Tmoli colles, fluvius quibus aurifer exit
Pactolus: cuius prope ripas tempore verno
Si sedeas, dulci capiaris pectora cantu
Cygnorum, pascunt quos herbae flumina circum.
Nam florent Asiae per campos plurima prata:
Sed magis ad fluvium Maeandri, gurgite miro
Quem iuxta volvens se murmurat unda Caystri.
Post hos sunt Lycii: quos Xanthus dividit amnis,
Ad mare vergentes: qui Tauri cornua cernunt,
Usque ad Pamphylos, perhibent quem nomine Cragum.
Illic adspicies Aspendum: moenia cuius
Eurymedon amnis radit vicina profundo.
Continuoque iacent aliae Pamphylides urbes:
Corycus, Pergeque calens, et celsa Phaselis.
Has supra mediis habitant telluris in arvis,
Ad partes ortus, gens dura Lycaones armis.
Post has Pisidum pinguissima rura coluntur:
Telmissus, Lyrbe, nec non clarissima Selge,
Gentis Amyclaeae pulcherrima moenia quondam.
Hinc sinus est longus Cilicum, qui vergit ad ortus,
Euxini penetrans vicinas aequoris undas.
Hunc Asiae perhibent angustis partibus esse.
Cui tamen immenso fluvii se gurgite miscent,
Per longum Pyramus spatium, Pinarusque voluti,
Flexilis et Cydnus, dirimit qui flumine Tarson.
Hinc aliae Cilicum sunt celsis moenibus urbes:
Lyrnessus, Mallosque simul vicina profundo,
Atque Soli medio terrarum fine locati.
Commagena dehinc regio, Syriaeque sequuntur
Urbes, dispositae per longi litora flexus.

Nam Casii montis qua prominet ora per aequor,
Vergit in occasus diffusis tractibus unda.
Nunc reliquas Asiae partes tibi carmine pandam,
Quadrati lateris qua clauditur undique forma:
Et spatiis campos longis protendit in ortum.
Scis etenim memorasse tibi, quod collibus altis
Per totam mediis mons ingens tenditur oris,
Qui fines Asiae nigros producit ad Indos:
Hoc esto laterum boreum tibi. Nilus ad oras
Hesperias finit: sed Tethys solis ab ortu
Indica concludit: Rubrum mare terminat Austrum.
Adspice nunc igitur, dum finem versibus ortus
Pervenio, retegens tibi veris omnia rebus,
Incipiens Syriae terris, qua parte reliqui.
Quae, pelagus supra, sub solem, vergit ad Austros,
Urbibus et multis habitatur: nomine prisco
Quae Cava vulgatur, mediam quia collibus altis
Atque humilem Libanus claudit protentus in ortum,
Occasumque petens Casius: multisque virorum
Incolitur populis locupletibus alma diremtis.
Namque alii mediis habitant telluris in arvis,
Hosque Syros proprie perhibent: sed litora iuxta
Phoenices vivunt, veteri cognomine dicti:
Quos misit quondam mare Rubrum laudibus auctos,
Chaldaeo nimium decoratam sanguine gentem,
Arcanisque Dei celebratam legibus unam.
Qui pelagus primi tentantes navibus altis,
Disiunctas gentes docuerunt iungere mercem:
Et primi stellis numeros nomenque dedere,
Atque oculis, mirum, vocis sentire figuras.
Hi muros Iopes, Gazam, quoque Elaida complent,
Antiquamque Tyrum, Beryti et moenia gratae,

Vicinamque mari Byblin, Sidonaque pulchram,
Quam iuxta liquido Bostrenus gurgite currit,
Et pinguem Tripolin, nec non Orthosida sacram,
Laodicen pariter positam prope litus amoenum,
Et Posidi turres, et Daphnes optima tempe.
Terrarum mediis Apameae moenia clarae:
Ad cuius partes eoas currit Orontes,
Antiochi medius dirimit qui gurgite regna.
Haec omnis pingui tellus est ubere laeta,
Arboribus pariter pecorique et commoda viti.
Ad cuius fines veniens, quos terminat Auster,
Arrabii cernes extremi litora ponti:
Qui Syriam medius disterminat Arrabiamque,
Et tangit, vergens orientem versus, Elanos.
Dives Arabs post quos latissima possidet arva,
Quae protenta diu cinguntur ab aequore Partho,
Arrabioque, ferit Zephyrus quod flamine saevo:
Persica nam flatus eoi litora turbant.
Ora sed haec Austro tendit subiecta per ortus,
Fluctibus Oceani pulsatur et undique Rubri.
Hanc quoque describam tenui ratione recensens.
Nam populos pascit felices divite terra,
Floribus et variis miracula praebet odoris.
Namque thyo, myrrhaque viget, cum turis honore,
Et casia, nec non et cannae dulcis odore:
Cinnama praeterea iucundae naribus aurae
Fertilis haec generat tellus, aurique metalla:
Vestibus auratis quare gens utitur illa.
His, pueros servans, molochites splendet arenis;
Androdamasque lapis compescens pectoris iras.
Sed Libani montis sunt post declivia primi,
Felices opibus, Nabataei nomine dicti.

Chaulasii post hos atque Agrees: inde propinquat
Chatramis, atque Macae contra sunt Persidis aequor;
Minnaeique maris prope Rubri litora vivunt:
Atque Sabae post hos, nec non habitant Cletabeni.
Arrabiae populi celebres hi nomine claro.
Sunt tamen et plures alii. Nam maxima tellus.
Trans istam, Zephyri sub partes, degit Erembûm
Speluncis genus infelix, et rebus egenum:
Qui solis radiis nigrescunt corpus adusti,
Dispersique dolent lustrantes more ferarum;
Non Arabis similes opulentis. Scilicet aequa
Omnibus esse potest nunquam fortuna bonorum.
Post Libani montes populi sunt, solis ad ortus,
Alterius Syriae: quae tendit ad usque Sinopen.
Cappadoces mediis habitant in finibus huius:
Terminus Assyrios sed claudit Ponticus, ille
Thermodon pelagi qua pulsat gurgite fluctus.
Cuius ab eoo decurrit limite vastis
Viribus Euphrates, descendens montibus aspris
Armeniae, longusque Noton pertendit: et inde
Ad solem flexus, Babylonis dividit urbem:
Litora deinde ruens perrumpit Persidis undae,
Extrema fluvii sub parte Teredona radens.
Huius ad auroram ripis devolvitur altis
Tigris, aqua superant quem flumina nulla rapaci.
Sed tantum distat, quantum vix septimus ortus
Conficiat pedibus spatii properantibus ire:
Atque lacum medius Thonitidis intrat, et exit;
Nec violatur aqua, quamvis penetrabilis illa,
Ocior atque vadis emergens cedit amaris.
Hoc tamen omne solum, fluvius quod cingit uterque,
Indigenae populi pro re dixere Medamnam,

Quod medias amnes has terras flumine cingunt,
Agricolis pariter pastoribus atque feracem.
Ubere nam laeto florent ibi semina cuncta,
Herbarumque toris et gramine laeta virescunt:
Et variis rami complentur fructibus alti.
Gens quoque praefulget claris in laudibus illa.
Nam peperit multos celsa virtute potentes,
Atque Deo similes, licet ut mortalibus esse.
Armenii iuxta quam sunt Aquilonis ad axes,
Comminus et fortes quos sentit Mars Matieni:
Quos prope concludunt Euphratem collibus altis
Montes, divitiis pariter belloque potentes.
Ad partes Austri Babylon: quam moenibus olim
Mirandis posuit firmisque Semiramis urbem.
Cuius in arce domum splendentem fecerat auro:
Quam simul argentum varie decoravit, eburque.
Hoc quoque pingue solum palmarum divite silva,
Quod fert berylli munus, pretiosius auro,
Berylli lapidem liquidum glaucique coloris,
Per loca quae tendunt Ophianae ad moenia petrae.
At supra Babylona vides, ad flamina vasta,
Cissos, Messabatasque, Chalonitasque feroces.
Armenios montes si linquens ibis ad ortus,
Medica noscetur tibi tellus: cuius ad axes
Geli sunt, Mardique, viri simul Atropateni.
Ad Noton inde habitant Medorum rura tenentes.
Medea huc fugiens dederat cognomina terrae.
Hinc Medi varios usus novere veneni:
Quorum per multas spatium diffunditur oras.
Haec generat narcissiten oriente sub ipso,
Qui lapis est fuscus: complent hanc undique silvae,
Inter quas homines pecuaria ditia pascunt,

Caspiadas tangunt portas qui solis ab ortu.
Rupibus haec celsis Asiae sunt claustra potentis:
Qua via sub Boream duplex se scindit et Austrum.
Haec regit ad Persas, Hyrcanos ducit at illa.
Sub colles imos habitant, post Caspia claustra,
Martia gens Parthi, telis arcuque potentes:
Vivere qui spoliis gaudent, raptuque nefando.
Quapropter bellis homines vexantur in orbe,
Atque optata perit multo pax sanguine mundi.
Post hos est Persis, circumdata montibus altis,
Assiduis florens regnis et divite censu,
Ex quo perdomuit Lydorum moenia Sardes.
Cingitur excelsis haec undique collibus omnis,
Advergens Austros, post Caspia claustra; petensque,
Quod proprio pelagus celebrat cognomine latum.
Atque tripartitis habitatur finibus illa.
Namque colunt alii, rigidae sub partibus Arcti,
Terras quas Medi nemorosis montibus umbrant.
Ast alii mediae vivunt regionis in arvis:
Litora postremi tangunt australia Persae.
Prima parte Sabae, mediusque Pasargada, post hunc
Tascorum telis habitat gens fortis et arcu:
Quique tenent populi divisos Persidis agros.
Amnibus haec multis recreatur, et ubere pingui.
Hinc Coros immensus profunditur: inde Choaspis
Fonte cadens Indo, qui stringit gurgite Susa;
In cuius ripis praeclarus fulget achates,
Pondere consimilis, volvit quos unda, cylindris.
Fertilis haec tellus fecundis pascitur auris:
Nam ventis semper florescunt rura secundis.
Haec eadem gemmis nimium decoratur honestis.
Quarum quis varias vires, quis nomina dicat?

Tecolithum memorem, iusto cognomine dictum,
Qui lapides renum tritus potusque resolvit:
Myrrhitenque, bonum nardi cum reddit odorem.
Hic aëtites est: sonitum cui spiritus addit
Arcanum crepitans, praegnantibus utilis aegris.
Nec non pyrites, digitos qui strictus adurit.
Gemmaque, quae radios emittit candida solis.
Atque selenites, lunaris imagine lucis
Qui decus et minuit proprii splendoris, et auget.
  Respice nunc reliquas Asiae sub finibus oras.
Persidis ad pontum Carmani, solis ab ortu,
Litora pars habitant, mediae pars limina terrae.
Gedrosi post hos tendunt orientis ad ignes,
Oceanum iuxta: radiis propioribus inde
Est Scythiae tellus australis, flumen ad Indum,
Qui ponto rapidus Rubro contrarius exit.
Gurgite nam celeri rectus decurrit ad Austrum,
Caucasiis oriens primum de montibus altis:
Dividua cuius Patalene cingitur unda:
Separat innumeras et vasto gurgite gentes;
Ad partem, rapidi qua vergunt lumina solis,
Oritas, Aribasque simul, linique Arachotas
Utentes laenis, et Satraïdas simul omnes,
Parpanei montis sub celsa rupe, Arienos
Nomine communi. Qui terras ubere nullo
Florentes habitant: squalent nam sentibus aspris;
Curalii lapidem qui rubrum litore carpunt,
Sapphirique decus nigri flavique coloris
Saxorum caedunt venis, hac merce beati.
Indorum terras hinc Tethyos aequora claudunt,
Quas primo Titan ascendens lumine cernit.
Unde color populis niger est flagrantibus ortu,

Atque gerunt similes hyacintho fronte capillos.
Effodiunt alii terras, aurique metallum.
Ast alii texunt tenuissima tegmina lini:
Vel dentes stringunt elephantis ab ore revulsos.
Scrutantur ripis alii torrentibus imbri
Berylli gemmas glauci, nitidumque adamanta,
Atque aura viridi, legitur, quae splendet ïaspis,
Curaliique decus liquidi, gratique topazi;
Purpureoque amethystos inest suffusa colore.
Divitias magnas sic tellus illa ministrat.
Assiduisque rigant hanc totam fontibus amnes:
Arboribusque viget variis, milioque frequenti,
Et pretio rubrae perfloret arundinis illa.
Hic alii superant procero corpore tantum,
Insiliant equitum faciles ut more elephantos:
Ast alii vivunt sapienti pectore nudi,
Luminibusque vident rectis, mirabile, solem:
Et radios solis et sacra mente retractant,
Signaque concipiunt arcana luce futuri.
Psittacus hic viridis, decoratus torque rubenti,
Nascitur, humanae simulat qui verbera linguae.
   Nunc age, te fluvios, montes, formamque docebo
Ipsius terrae, populos, gentesque beatas.
Marginibus ternis tellus haec clauditur omnis,
Obliquatque latus per cunctas linea partes.
Hesperios fines immanis terminat Indus;
At notios pelagus concludit gurgite Rubrum:
Sed Ganges ortus, et Caucasus excipit Arctum.
Hanc homines habitant multi ditesque colendam,
Nominibus variis discreti et finibus amplis.
Dardanei ripas contingunt fluminis Indi:
Hic ubi praecipitem scopuli fundunt Acesinem,

Huncque capax classis venientem volvit Hydaspes:
Tertius hos sequitur splendenti gurgite Cophes.
Taxilus inter quos habitat, cum gente Sabarum.
Hinc Scodri post hos sunt, Peucaleique feroces,
Gargaridaeque truces: auri qua pondus honestum
Devolvens Hypanisque vehit, rapidusque Magarsus:
Quos capit Emodo missos Gangetica monte
Tellus, porrigitur quae ad terrae Colidis Austros,
Oceani tangens pelagus sub collibus altis,
Quos volucres metuunt celeri contingere penna,
Unde locis Graii posuerunt nomen Aornin.
Hic via, quam celebrat nomen, Dionysia, Bacchi,
Cui statuas dederat victoria finibus illis.
Hic Tylos est, superans vastae miracula terrae,
Insula. Namque viret cunctis in partibus anni;
Nec foliis nudat ramos autumnus in illa;
Assidueque tenet flores genus arboris omne.
Hic adamas fulget limphatitia pectora sanans,
Et prohibens miseris occulti damna veneni;
Quem minime valeat ferrum superare, nec ignis:
Frangitur hircino maceratus sanguine tantum,
Sed tepido, fractis multis incudibus ante.
Hic iuxta positus magnetem viribus arcet
Occultis ferri raptu: vel tractibus ante
Admotum retrahit, defendens robore miro.
Hic lychnis lucem simulat splendore lucernae:
Hinc meruit nomen praeclaro lumine dignum.
Tot sunt per terras vulgatae nomine gentes.
Nam reliquas quae mens valeat mortalis in orbe
Dispersas numerare tibi sine numine magno,
Quod bene disposuit terras pontique profundum,
Sideribus variis decorans coelestia templa,

Et multis recreans gratisque coloribus arva,
Munera per populos tribuens diversa virorum.
Sed vos terrarum tractus gaudete per aevum,
Et quaecunque mari circumdatur insula vasto,
Oceanusque simul, nec non penetrabilis unda,
Quam gremio tellus sinuoso suscipit alma;
Et fluvii, montesque, lacus quos continet orbis,
Nam pelagi partes percurri carmine vastas,
Et terrae pariter regiones finibus amplis.
Omnipotens pro quo genitor mihi praemia donet.

CLAUDII RUTILII

NUMATIANI V. C.

DE REDITU SUO

ITINERARIUM.

LIBER PRIMUS.

Velocem potius reditum mirabere, Lector,
Tam cito Romuleis posse carere bonis.
Quid longum toto Romam venerantibus aevo?
Nil unquam longum est, quod sine fine placet.
O quantum, et quoties, possem numerare beatos,
Nasci felici qui meruere solo!
Qui, Romanorum procerum generosa propago,
Ingenitum cumulant Urbis honore decus!
Semina virtutum demissa et tradita coelo
Non potuere aliis dignius esse locis.
Felices etiam, qui proxima munera primis
Sortiti, Latias obtinuere domos.
Relligiosa patet peregrinae Curia laudi;
Nec putat externos, quos decet esse suos.
Ordinis imperio, collegarumque fruuntur;
Et partem Genii, quem venerantur, habent.
Quale per aetherios mundani verticis axes
Connubium summi credimus esse Dei.

At mea dilectis fortuna revellitur oris,
Indigenamque suum Gallica rura vocant.
Illa quidem longis nimium deformia bellis:
Sed, quam grata minus, tam miseranda magis.
Securos, levius crimen, contemnere cives:
Privatam repetunt publica damna fidem.
Praesentes lacrimas tectis debemus avitis:
Prodest admonitus saepe dolore labor.
Nec fas, ulterius longas nescire ruinas,
Quas mora suspensae multiplicavit opis.
Iam tempus, laceris post longa incendia fundis,
Vel pastorales aedificare casas.
Ipsi quin etiam fontes si mittere vocem,
Ipsaque si possent arbuta nostra loqui;
Cessantem iustis poterant urgere querelis,
Et desideriis reddere vela meis.
Iamiam, laxatis carae complexibus urbis,
Vincimur, et serum vix toleramus iter.
Electum pelagus: quoniam terrena viarum
Plana madent fluviis, cautibus alta rigent.
Postquam Tuscus ager, postquamque Aurelius agger,
Perpessus Geticas ense vel igne manus,
Non silvas domibus, non flumina ponte coërcet;
Incerto satius credere vela mari.
Crebra relinquendis infigimus oscula portis:
Inviti superant limina sacra pedes.
Oramus veniam lacrimis, et laude litamus,
In quantum fletus currere verba sinit.
Exaudi, Regina tui pulcherrima mundi,
Inter sidereos Roma recepta polos:
Exaudi, genetrix hominum, genetrixque Deorum,
Non procul a coelo per tua templa sumus.

Te canimus, semperque, sinent dum fata, canemus:
  Sospes nemo potest immemor esse tui.
Obruerint citius scelerata oblivia solem,
  Quam tuus ex nostro corde recedat honos.
Nam solis radiis aequalia munera tendis,
  Qua circumfusus fluctuat Oceanus.
Volvitur ipse tibi, qui continet omnia, Phoebus,
  Eque tuis ortos in tua condit equos.
Te non flammigeris Libye tardavit arenis,
  Non armata suo reppulit Ursa gelu.
Quantum vitalis natura tetendit in axes,
  Tantum virtuti pervia terra tuae.
Fecisti patriam diversis gentibus unam:
  Profuit iniustis, te dominante, capi:
Dumque offers victis proprii consortia iuris,
  Urbem fecisti, quod prius Orbis erat.
Auctorem generis Venerem Martemque fatemur,
  Aeneadûm matrem Romulidûmque patrem.
Mitigat armatas victrix clementia vires;
  Convenit in mores numen utrumque tuos.
Hinc tibi certandi bona, parcendique, voluptas:
  Quos timuit, superat; quos superavit, amat.
Inventrix oleae colitur, vinique repertor,
  Et qui primus humo pressit aratra puer:
Aras Paeoniam meruit Medicina per artem:
  Factus et Alcides nobilitate Deus:
Tu quoque, legiferis mundum complexa triumphis,
  Foedere communi vivere cuncta facis.
Te, Dea, te celebrat Romanus ubique recessus,
  Pacificoque gerit libera colla iugo.
Omnia perpetuos quae servant sidera motus,
  Nullum viderunt pulchrius imperium.

Quid simile? Assyriis connectere contigit arva,
Medi finitimos cum domuere suos:
Magni Parthorum reges, Macetûmque tyranni,
Mutua per varias iura dedere vices.
Nec tibi nascenti plures animaeque manusque,
Sed plus consilii iudiciique fuit.
Iustis bellorum causis, nec pace superba,
Nobilis ad summas gloria venit opes.
Quod regnas, minus est, quam quod regnare mereris:
Excedis factis grandia fata tuis.
Percensere labor densis decora alta tropaeis,
Ut si quis stellas pernumerare velit.
Confunduntque vagos delubra micantia visus:
Ipsos crediderim sic habitare Deos.
Quid loquar aërio pendentes fornice rivos,
Qua vix imbriferas tolleret Iris aquas?
Hos potius dicas crevisse in sidera montes,
Tale giganteum Graecia laudat opus.
Intercepta tuis conduntur flumina muris;
Consumunt totos celsa lavacra lacus.
Nec minus et propriis celebrantur roscida venis,
Totaque nativo moenia fonte sonant.
Frigidus aestivas hinc temperat halitus auras;
Innocuamque levat purior unda sitim.
Nempe tibi subitus calidarum gurges aquarum
Rupit Tarpeias, hoste premente, vias.
Si foret aeternus, casum fortasse putarem:
Auxilio fluxit, qui rediturus erat.
Quid loquar inclusas inter laquearia silvas?
Vernula qua vario carmine ludit avis?
Vere tuo nunquam mulceri desinit annus;
Deliciasque tuas victa tuetur hiems.

ERIGE crinales lauros, seniumque sacrati
Verticis in virides, Roma, refinge comas.
Aurea turrigero radient diademata cono,
Perpetuosque ignes aureus umbo vomat.
Abscondat tristem deleta iniuria casum:
Contemtus solidet vulnera clausa dolor.
Adversis sollemne tuis, sperare secunda:
Exemplo coeli ditia damna subis.
Astrorum flammae renovant occasibus ortus;
Lunam finiri cernis, ut incipiat.
Victoris Brenni non distulit Allia poenam:
Samnis servitio foedera saeva luit.
Post multas Pyrrhum clades superata fugasti;
Flevit successus Annibal ipse suos.
Quae mergi nequeunt, nisu maiore resurgunt,
Exsiliuntque imis altius acta vadis.
Utque novas vires fax inclinata resumit,
Clarior ex humili sorte superna petis.
Porrige victuras Romana in secula leges;
Solaque fatales non vereare colus.
Quamvis sedecies denis et mille peractis
Annus praeterea iam tibi nonus eat;
Quae restant, nullis obnoxia tempora metis,
Dum stabunt terrae, dum polus astra feret.
Illud te reparat, quod cetera regna resolvit:
Ordo renascendi est, crescere posse malis.
Ergo age, sacrilegae tandem cadat hostia gentis:
Submittant trepidi perfida colla Getae.
Ditia pacatae dent vectigalia terrae:
Impleat augustos barbara praeda sinus.
Aeternum tibi Rhenus aret, tibi Nilus inundet:
Altricemque suam fertilis orbis alat.

Quin et fecundas tibi conferat Africa messes,
  Sole suo dives, sed magis imbre tuo.
Interea Latiis consurgant horrea sulcis,
  Pinguiaque Hesperio nectare prela fluant.
Ipse, triumphali redimitus arundine, Tibris
  Romuleis famulas usibus aptet aquas;
Atque opulenta tibi placidis commercia ripis
  Devehat hinc ruris, subvehat inde maris.
Pande, precor, gemino placatum Castore pontum,
  Temperet aequoream dux Cytherea viam;
Si non displicui, regerem cum iura Quirini,
  Si colui sanctos consuluique Patres.
Nam, quod nulla meum strinxerunt crimina ferrum,
  Non sit Praefecti gloria, sed populi.
Sive datur patriis vitam componere terris,
  Sive oculis unquam restituere meis:
Fortunatus agam votoque beatior omni,
  Semper digneris si meminisse mei.
His dictis iter arripimus: comitantur amici.
  Non possum sicca dicere luce, Vale!
Iamque aliis Romam redeuntibus, haeret eunti
  Rufius, Albini gloria viva patris;
Qui Volusi antiquo derivat stemmate nomen,
  Et reges Rutulos, teste Marone, refert.
Huius facundae commissa palatia linguae:
  Primaevus meruit Principis ore loqui.
Rexerat ante puer populos pro Consule Poenos;
  Aequalis Tyriis terror amorque fuit.
Sedula promisit summos imitatio fasces:
  Si fas est meritis fidere, Consul erit.
Invitum tristis tandem remeare coëgi:
  Corpore diviso mens tamen una fuit.

Tum demum ad naves gradior, qua fronte bicorni
Dividuus Tiberis dexteriora secat.
Laevus inaccessis fluvius vitatur arenis,
Hospitis Aeneae gloria sola manet.
Et iam nocturnis spatium laxaverat horis
Phoebus, chelarum pallidiore polo.
Cunctamur tentare salum, portuque sedemus,
Nec piget oppositis otia ferre moris,
Occidua infido dum saevit gurgite Plias,
Dumque procellosi temporis ira cadit.
Respectare iuvat vicinam saepius Urbem,
Et montes visu deficiente sequi;
Quaque duces oculi, grata regione fruuntur,
Dum se, quod cupiunt, cernere posse putant.
Nec locus ille mihi cognoscitur indice fumo,
Qui dominas arces et caput orbis habet;
Quamquam signa levis fumi commendat Homerus,
Dilecto quoties surgit in astra solo:
Sed coeli plaga candidior, tractusque serenus
Signat septenis culmina clara iugis.
Illic perpetui soles, atque ipse videtur,
Quem sibi Roma facit, purior esse dies.
Saepius attonitae resonant Circensibus aures;
Nuntiat accensus plena theatra favor:
Pulsato notae redduntur ab aethere voces,
Vel quia perveniunt, vel quia fingit amor.
Explorata fides pelagi ter quinque diebus,
Dum melior lunae fideret aura novae.
Tum discessurus, studiis Urbique remitto
Palladium, generis spemque decusque mei.
Facundus iuvenis Gallorum nuper ab arvis
Missus, Romani discere iura fori.

Ille meae secum dulcissima vincula curae,
Filius adfectu, stirpe propinquus, habet:
Cuius Aremoricas pater Exsuperantius oras
Nunc postliminium pacis amare docet,
Leges restituit, libertatemque reducit,
Et servos famulis non sinit esse suis.
Solvimus aurorae dubio, quo tempore primum
Agnosci patitur redditus arva color.
Progredimur parvis per litora proxima cymbis;
Quarum perfugio crebra pateret humus.
Aestivos penetrent oneraria carbasa fluctus:
Tutior autumnus mobilitate fugae.
Alsia praelegitur tellus, Pyrgique recedunt;
Nunc villae grandes, oppida parva prius.
Iam Caeretanos demonstrat navita fines:
Aevo deposuit nomen Agylla vetus.
Stringimus hinc exesum et fluctu et tempore Castrum:
Index semiruti porta vetusta loci.
Praesidet exigui formatus imagine saxi,
Qui pastorali nomina fronte gerit.
Multa licet priscum nomen deleverit aetas,
Hoc Inui Castrum fama fuisse putat.
Seu Pan Tyrrhenis mutavit Maenala silvis,
Sive sinus patrios incola Faunus init.
Dum renovat largo mortalia semina fetu,
Fingitur in Venerem pronior esse Deus.
Ad Centumcellas forti deflexinus Austro:
Tranquilla puppes in statione sedent.
Molibus aequoreum concluditur amphitheatrum,
Angustosque aditûs insula facta tegit;
Attollit geminas turres, bifidoque meatu
Faucibus artatis, pandit utrumque latus.

Nec posuisse satis laxo navalia portu,
Ne vaga vel tutas ventilet aura rates:
Interior medias sinus invitatus in aedes
Instabilem fixis aëra nescit aquis;
Qualis in Euboicis captiva natatibus unda
Sustinet alterno brachia lenta sono.
Nosse iuvat tauri dictas de nomine thermas.
Nec mora difficilis millibus ire tribus.
Non illic gustu latices vitiantur amaro,
Lymphaque fumifico sulfure tincta calet:
Purus odor, mollisque sapor dubitare lavantem
Cogit, qua melius parte petantur aquae.
Credere si dignum famae, flagrantia taurus
Investigato fonte lavacra dedit,
Ut solet excussis pugnam praeludere glebis,
Stipite quum rigido cornua prona terit:
Sive Deus, faciem mentibus et ora iuvenci,
Noluit ardentis dona latere soli;
Qualis, Agenorei rapturus gaudia furti
Per freta, virgineum sollicitavit onus.
Ardua non solos deceant miracula Graios.
Auctorem pecudem fons Heliconis habet:
Elicitas simili credamus origine lymphas,
Musarum ut latices ungula fodit equi.
Haec quoque Pieriis spiracula comparat antris
Carmine Messalae nobilitatus ager;
Intrantemque capit, discedentemque moratur
Postibus affixum dulce poëma sacris.
Hic est, qui primo seriem de Consule ducit,
Usque ad Publicolas si redeamus avos:
Hic et Praefecti nutu praetoria rexit;
Sed menti et linguae gloria maior inest.

Hic docuit, qualem poscat facundia sedem,
Ut bonus esse velit, quisque disertus erit.
ROSCIDA puniceo fulsere crepuscula coelo:
Pandimus obliquo lintea flexa sinu.
Paullisper fugimus litus Minione vadosum:
Suspecto trepidant ostia parva solo.
Inde Graviscarum fastigia rara videmus,
Quas premit aestivae saepe paludis odor:
Sed nemorosa viret densis vicinia lucis,
Pineaque extremis fluctuat umbra fretis.
Cernimus antiquas, nullo custode, ruinas
Et desolatae moenia foeda Cosae.
Ridiculam cladis pudet inter seria causam
Promere; sed risum dissimulare piget.
Dicuntur cives quondam, migrare coacti,
Muribus infestos deseruisse lares.
Credere maluerim Pygmaeae damna cohortis,
Et coniuratas in sua bella grues.
HAUD procul hinc petitur signatus ab Hercule portus.
Vergentem sequitur mollior aura diem.
Inter castrorum vestigia, sermo retexit
Sardoam, Lepido praecipitante, fugam.
Litore namque Cosae cognatos depulit hostes
Virtutem Catuli Roma secuta ducis.
Ille tamen Lepidus peior, civilibus armis
Qui gessit sociis impia bella tribus:
Qui libertatem, Mutinensi Marte receptam,
Obruit auxiliis, orbe pavente, novis.
Insidias paci moliri tertius ausus,
Tristibus excepit congrua fata reis.
Quartus, Caesareo dum vult irrepere regno,
Incesti poenam solvit adulterii.

Nunc quoque. Sed melius de nostris fama queratur:
Iudex posteritas semina dira notet.
Nominibus certos credam decurrere mores?
Moribus an potius nomina certa dari?
Quidquid id est, mirus Latiis annalibus ordo,
Quod Lepidum toties recidit ense malum.
Necdum decessis pelago permittimur umbris.
Natus vicino vertice ventus adest.
Tenditur in medias Mons Argentarius undas,
Ancipitique iugo caerula curva premit.
Transversos colles bis ternis millibus artat,
Circuitu ponti ter duodena patet:
Qualis per geminos fluctus Ephyreïus Isthmos
Ionias bimari litore findit aquas.
Vix circumvehimur sparsae dispendia rupis;
Nec sinuosa gravi cura labore caret:
Mutantur toties vario spiramina flexu.
Quae nunc profuerant vela, repente nocent.
Eminus Igilii silvosa cacumina miror:
Quam fraudare nefas laudis honore suae.
Haec proprios nuper tutata est insula saltus
Sive loci ingenio, seu domini genio;
Gurgite quum modico victribus obstitit armis,
Tanquam longinquo dissociata mari.
Haec multos lacera suscepit ab Urbe fugatos;
Hic fessis posito certa timore salus.
Plurima terreno populaverat aequora bello
Contra naturam classe timendus eques.
Unum, mira fides, vario discrimine portum
Tam prope Romanis, tam procul esse Getis.
Tangimus Umbronem: non est ignobile flumen;
Quod toto trepidas excipit ore rates:

Tam facilis pronis semper patet alveus undis,
In pontum quoties saeva procella ruit.
Hic ego tranquillae volui succedere ripae:
Sed nautas, avidos longius ire, sequor.
Sic festinantes ventusque diesque relinquit;
Nec proferre pedem, nec revocare licet.
Litorea noctis requiem metamur arena:
Dat vespertinos myrtea silva focos:
Parvula subiectis facimus tentoria remis;
Transversus subito culmine contus erat.
Lux aderat: tonsis progressi, stare videmur:
Sed cursum prorae terra relicta probat.
Occurrit chalybum memorabilis Ilva metallis,
Qua nil uberius Norica gleba tulit;
Non Biturix largo potior strictura camino,
Nec quae Sardoo caespite massa fluit.
Plus confert populis ferri fecunda creatrix,
Quam Tartessiaci glarea fulva Tagi.
Materies vitiis aurum letale parandis:
Auri caecus amor ducit in omne nefas:
Aurea legitimas expugnant munera taedas,
Virgineosque sinus aureus imber emit:
Auro victa fides munitas decipit urbes:
Auri flagitiis ambitus ipse furit.
At contra ferro squalentia rura coluntur,
Ferro vivendi prima reperta via est;
Secula Semideûm, ferrati nescia Martis,
Ferro crudeles sustinuere feras.
Humanis manibus non sufficit usus inermis,
Si non sint aliae, ferrea tela, manus.
His mecum pigri solabar taedia venti:
Dum resonat variis vile celeusma modis.

LAXATUM cohibet vicina Faleria cursum,
Quamquam vix medium Phoebus haberet iter.
Et tum forte hilares per compita rustica pagi
Mulcebant sacris pectora fessa iocis.
Illo quippe die tandem renovatus Osiris
Excitat in fruges germina laeta novas.
Egressi, villam petimus, ludoque vacamus;
Stagna placent septo deliciosa vado.
Ludere lascivos intra vivaria pisces
Gurgitis inclusi laxior unda sinit.
Sed male pensavit requiem stationis amoenae
Hospite conductor durior Antiphate.
Namque loci querulus curam Iudaeus agebat,
Humanis animal dissociale cibis.
Vexatos frutices, pulsatas imputat algas;
Damnaque libatae grandia clamat aquae.
Reddimus obscoenae convicia debita genti,
Quae genitale caput propudiosa metit:
Radix stultitiae: cui frigida sabbata cordi,
Sed cor frigidius religione sua est.
Septima quaeque dies turpi damnata veterno,
Tanquam lassati mollis imago Dei.
Cetera mendacis deliramenta catastae
Nec pueros omnes credere posse reor.
Atque utinam nunquam Iudaea subacta fuisset
Pompeii bellis imperioque Titi!
Latius excisae pestis contagia serpunt,
Victoresque suos natio victa premit.
ADVERSUS surgit Boreas: sed nos quoque remis
Surgere certamus, dum tegit astra dies.
Proxima securum reserat Populonia litus,
Qua naturalem ducit in arva sinum.

Non illic positas extollit in aethera moles
  Lumine nocturno conspicienda Pharos :
Sed speculam validae rupis sortita vetustas,
  Qua fluctus domitos arduus urget apex,
Castellum geminos hominum fundavit in usus,
  Praesidium terris, indiciumque fretis.
Agnosci nequeunt aevi monumenta prioris :
  Grandia consumsit moenia tempus edax.
Sola manent interceptis vestigia muris :
  Ruderibus late tecta sepulta iacent.
Nos indignemur, mortalia corpora, solvi ?
  Cernimus exemplis, oppida posse mori.
LAETIOR hic nostras crebrescit fama per aures :
  Consilium Romam paene redire fuit.
Hic Praefecturam sacrae cognoscimus Urbis
  Delatam meritis, dulcis amice, tuis.
Optarem verum complecti carmine nomen ;
  Sed quosdam refugit regula dura pedes.
Cognomen versu veniat, carissime, Rufi :
  Illo te dudum pagina nostra canit.
Festa dies, pridemque meos dignata penates,
  Poste coronato vota secunda colat :
Exornent virides communia gaudia rami :
  Provecta est animae portio magna meae.
Sic mihi, sic potius placeat geminata potestas :
  Per quem malueram, rursus honore fruar.
CURRERE curamus velis, Aquilone reverso,
  Cum primum roseo fulsit Eous equo.
Incipit obscuros ostendere Corsica montes,
  Nubiferumque caput concolor umbra levat.
Sic dubitanda solet gracili vanescere cornu,
  Defessisque oculis luna reperta latet.

Haec ponti brevitas auxit mendacia famae:
Armentale ferunt quippe natasse pecus,
Tempore, Cyrnaeas quo primum venit in oras
Forte secuta vagum femina Corsa bovem.
PROCESSU pelagi iam se Capraria tollit.
Squalet lucifugis insula plena viris.
Ipsi se monachos Graio cognomine dicunt,
Quod soli nullo vivere teste volunt.
Munera fortunae metuunt, dum damna verentur.
Quisquam sponte miser, ne miser esse queat?
Quaenam perversi rabies tam stulta cerebri,
Dum mala formides, nec bona posse pati?
Sive suas repetunt ex fato ergastula poenas;
Tristia seu nigro viscera felle tument.
Sic nimiae bilis morbum adsignavit Homerus
Bellerophonteis sollicitudinibus:
Nam iuveni offenso, saevi post tela doloris,
Dicitur humanum displicuisse genus.
IN Volaterranum, vero Vada nomine, tractum
Ingressus, dubii tramitis alta lego.
Despectat prorae custos, clavumque sequentem
Dirigit, et puppim voce monente regit.
Incertas gemina discriminat arbore fauces,
Defixasque offert limes uterque sudes:
Illis proceras mos est annectere lauros
Conspicuas ramis et fruticante coma,
Ut, praebente algam densi symplegade limi,
Servet inoffensas semita clara notas.
Illic me rapidus consistere Corus adegit,
Qualis silvarum frangere lustra solet.
Vix tuti domibus saevos toleravimus imbres.
Albini patuit proxima villa mei.

Namque meus, quem Roma meo subiunxit honori,
Per quem iura meae continuata togae.
Non exspectatos pensavit laudibus annos;
Vitae flore puer, sed gravitate senex.
Mutua germanos iunxit reverentia mores,
Et favor alternis crevit amicitiis.
Praetulit ille meas, cum vincere posset, habenas:
Praedecessoris maior amore fuit.
Subiectas villae vacat adspectare salinas:
Namque hoc censetur nomine salsa palus,
Qua mare terrenis declive canalibus intrat,
Multifidosque lacus parvula fossa rigat:
Ast ubi flagrantes admovit Sirius ignes,
Cum pallent herbae, cum sitit omnis ager;
Tum cataractarum claustris excluditur aequor,
Ut fixos latices torrida duret humus.
Concipiunt acrem nativa coagula Phoebum,
Et gravis aestivo crusta calore coit;
Haud aliter, quam cum glacie riget horridus Ister,
Grandiaque adstricto flumine plaustra vehit.
Rimetur solitus naturae expendere causas,
Inque pari dispar fomite quaerat opus:
Vincta fluenta gelu, conspecto sole, liquescunt,
Et rursus liquidae sole gelantur aquae.
O, QUAM saepe malis generatur origo bonorum!
Tempestas dulcem fecit amara moram:
Victorinus enim, nostrae pars maxima mentis,
Congressu explevit mutua vota suo.
Errantem Tuscis considere compulit agris,
Et colere externos, capta Tolosa, lares.
Nec tantum duris nituit sapientia rebus:
Pectore non alio prosperiora tulit.

Conscius Oceanus virtutum, conscia Thule,
Et quaecunque ferox arva Britannus arat:
Qua Praefectorum vicibus frenata potestas
Perpetuum magni foenus amoris habet.
Extremum pars illa quidem discessit in orbem,
Sed tanquam medio rector in orbe fuit.
Plus palmae est, illos inter voluisse placere,
Inter quos minor est displicuisse pudor.
Illustris nuper sacrae Comes additus aulae,
Contemsit summos, ruris amore, gradus.
Hunc ego complexus, ventorum adversa fefelli,
Dum videor patriae iam mihi parte frui.
Lutea protulerat sudos aurora iugales:
Antennas tendi litoris aura iubet.
Inconcussa vehit tranquillus aplustria flatus,
Mollia securo vela rudente tremunt.
Adsurgit ponti medio circumflua Gorgon,
Inter Pisanum Cyrniacumque latus.
Aversor scopulos, damni monimenta recentis:
Perditus hic vivo funere civis erat.
Noster enim nuper, iuvenis maioribus amplis
Nec censu inferior, coniugiove minor,
Impulsus furiis, homines Divosque reliquit,
Et turpem latebram credulus exsul amat.
Infelix putat illuvie coelestia pasci;
Seque premit laesis saevior ipse Deis.
Num, rogo, deterior Circaeis secta venenis?
Tunc mutabantur corpora, nunc animi.
Inde Triturritam petimus: sic villa vocatur,
Quae iacet, expulsis insula paene fretis.
Namque manu iunctis procedit in aequora saxis;
Quique domum posuit, condidit ante solum.

Contiguum stupui portum, quem fama frequentat
  Pisarum emporio, divitiisque maris.
Mira loci facies: pelago pulsatur aperto,
  Inque omnes ventos litora nuda patent:
Non ullus tegitur per brachia tuta recessus,
  Aeolias possit qui prohibere minas:
Sed procera suo praetexitur alga profundo,
  Molliter offensae non nocitura rati;
Et tamen insanas cedendo interligat undas,
  Nec sinit ex alto grande volumen agi.
Tempora navigii clarus reparaverat Eurus:
  Sed mihi Protadium visere cura fuit.
Quem qui forte velit certis cognoscere signis,
  Virtutis speciem corde vidente petat:
Nec magis efficiet similem pictura colorem,
  Quam quae de meritis mixta figura venit.
Adspicienda procul certo prudentia vultu,
  Formaque iustitiae suspicienda micat.
Sit fortasse minus, si laudet Gallia civem:
  Testis Roma sui Praesulis esse potest.
Substituit patriis mediocres Umbria sedes:
  Virtus fortunam fecit utramque parem.
Mens invicta viri pro magnis parva tuetur,
  Pro parvis animo magna fuere suo.
Exiguus rerum rectores caespes habebat,
  Et Cincinnatos iugera pauca dabant.
Haec etiam nobis non inferiora ferantur
  Vomere Serrani, Fabriciique foco.
Puppibus ergo meis fida in statione locatis,
  Ipse vehor Pisas, qua solet ire pedes.
Praebet equos, offert etiam carpenta, Tribunus,
  Ex commilitio carus et ipse mihi,

Officiis regerem cum regia tecta Magister,
Armigerasque pii Principis excubias.
Alpheae veterem contemplor originis urbem,
Quam cingunt geminis Arnus et Auser aquis:
Conum pyramidis coëuntia flumina ducunt:
Intratur modico frons patefacta solo:
Sed proprium retinet communi in gurgite nomen,
Et pontum solus scilicet Arnus adit.
Ante diu, quam Troiugenas fortuna penates
Laurentinorum regibus insereret,
Elide deductas suscepit Etruria Pisas,
Nominis indicio testificata genus.
Hic oblata mihi sancti genitoris imago,
Pisani proprio quam posuere foro.
Laudibus amissi cogor lacrimare parentis:
Fluxerunt madidis gaudia maesta genis.
Namque pater quondam Tyrrhenis praefuit arvis,
Fascibus et senis credita iura dedit.
Narrabat, memini, multos emensus honores,
Tuscorum regimen plus placuisse sibi:
Nam neque opum curam, quamvis sit magna, sacrarum,
Nec ius Quaesturae, grata fuisse magis:
Ipsam, si fas est, postponere Praefecturam
Pronior in Tuscos non dubitabat amor.
Nec fallebatur, tam carus et ipse probatis:
Aeternas grates mutua cura canit;
Constantemque sibi pariter mitemque fuisse,
Insinuant natis qui meminere senes.
Ipsum me gradibus non degenerasse parentis
Gaudent, et duplici sedulitate fovent.
Haec eadem, cum Flaminiae regionibus irem,
Splendoris patrii saepe reperta fides:

Famam Lachanii veneratur, numinis instar,
  Inter Tyrrhigenas Lydia tota suos.
Grata bonis priscos retinet provincia mores,
  Dignaque, rectores semper habere bonos.
Qualis nunc Decius, Lucilli nobile pignus,
  Per Corythi populos arva beata regit.
Nec mirum, magni si redditus indole nati
  Felix tam simili posteritate pater.
Huius vulnificis, satyra ludente, Camenis
  Nec Turnus potior, nec Iuvenalis erit.
Restituit veterem censoria lima pudorem:
  Dumque malos carpit, praecipit esse bonos.
Non olim, sacri iustissimus arbiter auri,
  Circumsistentes repulit Harpyïas?
Harpyïas, quarum decerpitur unguibus orbis,
  Quae pede glutineo, quod tetigere, trahunt:
Quae luscum faciunt Argum, quae Lyncea caecum:
  Inter custodes publica furta volant.
Sed non Lucillum Briareïa praeda fefellit,
  Totque simul manibus restitit una manus.
IAMQUE Triturritam Pisaea ex urbe reversus,
  Aptabam nitido pendula vela Noto:
Quum subitis tectus nimbis insorduit aether;
  Sparserunt radios nubila rupta vagos.
Substitimus. Quis enim, sub tempestate maligna,
  Insanituris audeat ire fretis?
Otia vicinis terimus navalia silvis,
  Sectandisque iuvat membra movere feris.
Instrumenta parat venandi villicus sospes,
  Atque olidum doctas nosse cubile canes.
Funditur insidiis et rara fraude plagarum,
  Terribilisque cadit fulmine dentis aper,

Quèm Meleagrei vereantur adire lacerti,
Qui laxet nodos Amphitryoniadae.
Tum responsuros persultat buccina colles,
Fitque reportando, carmine, praeda levis.
Interea madidis non desinit Africus alis
Continuos picea nube negare dies.
Iam matutinis Hyades occasibus udae:
Iam latet hiberno conditus imbre Lepus,
Exiguum radiis, sed magnum fluctibus, astrum,
Quo madidam nullus navita linquit humum.
Namque procelloso subiungitur Oarioni,
Aestiferumque Canem roscida praeda fugit.
Vidimus, excitis pontum flavescere arenis,
Atque eructato vortice rura tegi:
Qualiter Oceanus mediis infunditur agris,
Destituenda vago cum premit arva salo;
Sive alio refluus, nostro colliditur orbe,
Sive corusca suis sidera pascit aquis.

CLAUDII RUTILII

DE REDITU SUO

ITINERARIUM.

LIBER SECUNDUS.

Nondum longus erat, nec multa volumina passus;
  Iure suo poterat longior esse liber:
Taedia continuo timui cessura labori,
  Sumere ne lector iuge paveret opus.
Saepe cibis adfert serus fastidia finis·
  Gratior est, modicis haustibus unda, siti.
Intervalla viae fessis praestare videtur,
  Qui notat inscriptus millia crebra lapis.
Partimur trepidum per opuscula bina ruborem,
  Quêm satius fuerat sustinuisse semel.
Tandem nimbosa maris obsidione solutis
  Pisano e portu contigit alta sequi.
Arridet placidum radiis crispantibus aequor,
  Et sulcata levi murmurat unda sono.
Incipiunt Apennini devexa videri,
  Qua fremit aërio monte repulsa Thetis.
Italiam, rerum dominam, qui cingere visu,
  Et totam pariter cernere mente velit,
Inveniet quernae similem procedere frondi,
  Artatam laterum conveniente sinu.

Millia per longum decies centena teruntur
A Ligurum terris ad freta Sicaniae:
In latum variis damnosa anfractibus intrat
Tyrrheni rabies Adriacique salis.
Qua tamen est iuncti maris angustissima tellus,
Triginta et centum millia sola patet.
Diversas medius mons obliquatur in undas,
Qua fert atque refert Phoebus uterque diem:
Urget Dalmaticos Eoo vertice fluctus,
Caerulaque occiduis frangit Etrusca iugis.
Si factum certa mundum ratione fatemur,
Consiliumque Dei machina tanta fuit;
Excubiis Latii praetexuit Apenninum,
Claustraque montanis vix adeunda viis.
Invidiam timuit natura; parumque putavit
Arctois Alpes opposuisse minis:
Sicut vallavit multis vitalia membris,
Nec semel inclusit, quae pretiosa tulit.
Iam tum multiplici meruit munimine cingi,
Sollicitosque habuit Roma futura Deos.
Quo magis est facinus diri Stilichonis acerbum,
Proditor arcani qui fuit imperii.
Romano generi dum nititur esse superstes,
Crudelis summis miscuit ima furor:
Dumque timet, quidquid se fecerat ipse timeri,
Immisit Latiae barbara tela neci.
Visceribus nudis armatum condidit hostem,
Illatae cladis liberiore dolo.
Ipsa satellitibus pellitis Roma patebat,
Et captiva prius, quam caperetur, erât.
Nec tantum Geticis grassatus proditor armis:
Ante Sibyllinae fata cremavit opis.

Odimus Althaeam consumti funere torris:
  Niseum crinem flere putantur aves.
At Stilicho aeterni fatalia pignora regni,
  Et plenas voluit praecipitare colus.
Omnia Tartarei cessent tormenta Neronis,
  Consumat Stygias tristior umbra faces.
Hic immortalem, mortalem perculit ille;
  Hic mundi matrem perculit, ille suam.
SED diverticulo fuimus fortasse loquaces:
  Carmine propositum iam repetamus iter.
Advehimur celeri candentia moenia lapsu:
  Nominis est auctor Sole corusca soror.
Indigenis superat ridentia lilia saxis,
  Et laevi radiat picta nitore silex.
Dives marmoribus tellus, quae luce coloris
  Provocat intactas luxuriosa nives.

Reliqua desiderantur.

VIBIUS SEQUESTER
DE
FLUMINIBUS, FONTIBUS, LACUBUS, NEMORIBUS, PALUDIBUS, MONTIBUS, GENTIBUS, QUORUM APUD POETAS MENTIO FIT.

VIBIUS SEQUESTER
VIRGILIANO FILIO SALUTEM.

Quanto ingenio ac studio, fili carissime, apud plerosque Poëtas fluminum mentio habita est, tanto labore sum secutus eorum et regiones et vocabula et qualitates in literas dirigens, quod ipsi tibi non inutile factu scio fore. Fontium etiam et lacuum paludumque et montium, nemorumque et gentium, quantum prosequi potui, sicut amnium huic libello in literas digesta nomina subieci: quo lecto non minimum consequeris notitiae, praesertim cum professioni tuae sit necessarium: et ne pluribus epistola oneretur, incipiemus ab eo fluvio, qui et literam et nomen obtinet primum.

FLUMINA.[1]

*Achelous Aetoliae. Primus erupisse terram dicitur. Ex Pindo monte Perrhaebiorum in Maliacum mare decurrit. Aetoliam ab Acarnania dividit.

1 Asteriscus iis adpictus articulis, qui dubii aut suspecti sunt.

* Arar Germaniae. E Vogeso monte, miscetur Rhodano. Ita lene decurrit, ut vix intelligi possit eius decursus.

Amphrysus Thessaliae, ubi Apollo Admeti pecus fertur pavisse.

Alpheus Elidis, qui per mare decurrens in Siciliam insulam Arethusae fonti miscetur.

* Ascanius Mysiae.

Achates Siciliae, ubi pari nomine lapillos edit, unde gemmae fiunt.

Acheron inferorum.

* Anien lacui Velinorum infunditur, per Tiburtinorum fines decurrit, ab Aniene filio Apollinis; in Tiberim fluit.

* Allia, Salaria via ad mil. XIIII. a Roma, ubi Galli victoria sunt potiti de Romanis.

Araxes Armeniae. Armeniam a Medis dividit.

Athesis Veronensium, in Padum decurrit.

Amasenus Privernatium.

Aufidus Apuliae, proximus Canusio.

* Alyntos Lucaniam a Veliensibus dividit.

* Asinius Catinae, in litore Tauromenitanorum defluit.

* Ancus Siciliae, qui per duo millia passuum sub terra mergens Syracusis miscetur mari appellaturque Ano, post Anapos caenos, superior Anotisphoros.

Alabis Megarensium, cuius fontem Daedalus dilatavit agrumque reddidit et regionem, quam idem fluvius devastabat.

Acis, ex Aetna monte in mare decurrit. Ex huius ripis Polyphemus saxa in Ulyssem egisse dicitur.

Atax e Pyrenaeo, circa Narbonem decurrit in Tyrrhenum mare.

Atyr Tarbellae civitatis Aquitaniae, in Oceanum fluit.

Almon Romae, ubi mater Deûm VI. Kal. Aprilis lavatur.

Albis Germaniae. Sucvos a Cheruscis dividit; mergitur in Oceanum.

Aous Apolloniae, in Ionium decurrens.

* Al o Dyrrachii, decurrit in Illyricum.

* Arimaspa gentis Scytharum, unde aurum Scythae legunt.

Acas Macedoniae, decurrit in Ionium mare.

Amaurus Thessaliae, ita denominatus, quia ex se neque auram neque nebulam emittat.

* Apidanos Thessaliae, in quo Enipeus, Melas et Phoenix miscentur; ipse in Peneon decurrit.

Asopos Thessaliae, in Epidanum fluit.

Aniger, qui ex cruore Centaurorum, quos Hercules interfecit, odore suo advenientes fugat, cum fuerit dulcissimus.

Apud Cicones fluvius est, cuius liquor epotus praecordia vertit in silicem, et rebus tactis marmora inducit.

* Aternus Hadriae, decurrens per Marsos, ubi et Ostia civitas.

* Amymone Lyciae, non longe a Thebis.

Absyrtus fluvius Colchorum.

Alis Asiae fluvius.

* Apsus Palaestinae.

Benacus Galliae, ex quo nascitur Mantuanorum Mincius.

* Brictates ex Timato monte, Arno miscetur.

forsan Boactes . . Macrae miscetur.

Baetis Hispaniae, unde Baetica.

Bagrada Africae iuxta oppidum Musti; ubi Regulus serpentem longum pedibus cxx, exercitu adhibito, interfecit.

Barbana Illyrico permiscetur.

Borysthenes, fluvius Scythiae.

*Bactros Scythiae, fines Hyrcanos adluit.

Caystros per Hypaepam decurrit, proximus Asiae paludi.

Camicos Siciliae, ex quo urbs Camicos, dividit Agrigentinos.

forsan et Heracleenses.

Caïcus Mysiae.

Calos Moesiae.

Cocytos inferorum, ex quo Styx palus.

Crinisos Siciliae civitatis Atalae.

Calor Beneventi oppido iunctus.

*Crysas Syracusis, ex monte Heraeo.

Cydnus per mediam urbem Tarson Ciliciae decurrit.

*Cyrta Massiliensium, secundum Agatham urbem.

Crustumium, a quo oppidum, in Hadriaticum mare fluit.

Casilinum Campaniae, ex quo oppidum.

*Cephisos in Lilaea urbe Phocidos descendit et circa Euboeam flectitur.

forsan et in lacum Copaidem fluit.

*Cinybs Arabiae, in quo plurima genera gemmarum inveniuntur et camelis deportantur in oppidum Tybrestum.

Crathis confinis Sybari, capillos facit aurei coloris.

Clitumnus Umbriae, ubi Iupiter eodem nomine est.

Danubius, qui et Ister, Germaniae. Decurrit in Pontum per VII. ostia.

*Drinius, e palude Lychniti, adluens Scodram oppidum Illyricorum.

Enipeus, e monte Othry Thessaliae.

Evenus, qui et Lycormas, qua Nessus centaurus Deianiram Herculis traiecit.

Euphrates Parthiae.

Eurotas Laconices.

Eridanus Galliae Cisalpinae, qui et Padus, ubi Heliades mutantur in populos arbores.

*Erasi us Lyciae.

Esia Galliae in Sequanam fluit.

Epidanus Thessaliae. Supra Apidanos.

*Faneus et qui Siris Beneventi.

Fabaris Sabinorum. Is Faber corrupte dicitur.

Ganges in Oriente Indiam cingens latissimus, quem Alexander post Oceanum navigare timuit, qui solus adversus orientem fluit.

Galesus Tarentinorum.

Gallus in Phrygia, unde qui bibit, insanit more fanatico.

Gela Siciliae, a quo oppidum.

Genusus Dyrrachium ab Apollonia dividens, decurrit ex Epiro.

Genusus Palaestinae.

Hebrus Thraciae, proximus Aeno oppido.

Hermus Lydiae, Pactolo confunditur.

Hiberus Hispaniae, a quo Hiberia.

*Hydaspes Indiae urbis Mediae, defluit Indo ex Caucaso.

Hypanis Scythiae, qui, ut ait Gallus,

Uno tellures dividit amne duas.

Asiam enim ab Europa separat.

Halys Lydiae. Croesus transiit.

Helorus Syracusarum, a quo civitas.

Himella Sabinorum, prope Casperiam urbem.

*Herbesos, qui et Endrius, oppido Alluria decurrit per fines Helori.

Himera oppido Thermitanorum dedit nomen Himerae. Hoc flumen in duas findi partes ait Stesichorus; unam in Tyrrhenum mare, alteram in Libycum decurrere.

Hypsa, secundum Inycon urbem Siciliae decurrit, gratam Herculi.

Hiparis, [*forsan* Hyparis] quem et Hipparim vocant, ex quo Camarinis aqua inducta est.

*Haeus, inde a finibus Apolloniae decurrens in sinum Ionium.

Indus Indiam definit ab occasu, a quo India dicta; hic descendentem Hydaspem recipit.

Isara Galliae, decurrit in Rhodanum.

*Icanus Dyrrachii ab Icano castello dictus.

forsan Isanus . . . Isano.

Ilerda Hispaniae, a quo Ilerda oppidum.

*Inachus Thessaliae.

Iader iuxta Salonas, mare influit Hadriaticum.

Kaïcus Mysiae.

Lyncestius Thraciae, cuius aquam bibentes ebrii fiunt.

Lethe inferorum, quod sit oblivii causa.

Liris non longe a Marsis Vestinisque, cuius in ripa Nymphae Maricae Minturnensis templum est.

*Lycus Asiae, unde Lycas oppidum.

Liger Galliae, dividens Aquitanos et Celtas; in Oceanum Britannicum evolvitur.

*Lycastus Coae, a quo Lica civitas.

forsan Lycastus Cretae, a quo Lycastus civitas.

Lethaeus insulae Cretae, ita dictus, quod Harmonia Veneris filia Cadmon ibi oblita dicitur.

Mincius Galliae Cisalpinae proximus Mantuanis, agitur ex Benaco.

Mosella Belgicae, defluit in Rhenum.

*Minio Etruriae, a Minione.

Metaurus Umbriae, in sinum Hadriaticum decurrens.

Maeandros Cariae gentis Asiae: hic tam flexuosus est, ut in sese recurrat.

Macra Liguriae, secundum Lunam urbem.

Mathis Dyrrachii, non longe a Lisso.

Marsyas Phrygiae urbis Celaenae.

Melas Thessaliae, in Epidanum fluens.

Nilus Aegypti, ex Aethiopia decurrens.

Nar Sabinorum, ex Apennino in Tiberim per Narniam fluit.

Numicus in agro Laurenti.

Niphates Armeniae, ex monte Niphate.

Orethus Panormi Siciliae.

*Oaxes Cretae, a quo civitas Oaxia. Varro hoc docet:

Quos magno Anchiale partus adducta dolore,
Et geminis capiens tellurem Oaxida palmis . .

Orontes Syriae ex monte Casio, apud Antiochiam labitur.

Padus Galliae Cisalpinae, qui et Eridanus.

Permessos Boeotiae.

*Peneus Thessaliae, ubi silvae, quas Tempe vocant: hunc Bebryces possederunt.

Phasis in Colchide, qui de monte Amaranto fluit.

Pantagias Siciliae, ita dictus, quod sonitus eius decurrentis per totam insulam auditus est usque eo, donec Ceres quaerens filiam comprimeret eum.

*Pitornius, qui per medium lacum Fucinum Marsorum ita decurrit, ut aquae eius non misceantur stagno.

forsan Pitonius *vel* Piconius.

Pactolus Lydiae, qui decurrens aurum trahit.

Phacelinus Siciliae iuxta Peloridem, confinis templo Dianae.

*Pisaurus, qui et Isaurus, ut Lucanus, a quo civitas Pisaurum, de quo Catullus:

moribunda sede Pisauri.

decurrit in Hadriaticum mare.

Phoenix Thessaliae, in Epidanum fluit.

*Pachynos Siciliae, ubi Sex. Pompeius iuvenis interfectus est.

Rhenus Germaniae, Belgas a Germanis segregans.

Rubicon Galliae iuxta Ariminum, olim dividens Galliam ab Italia.

*Rutuba, ex Apennino in Tiberim fluit.

Rhodanus Galliae, Lugdunum et Avenionem decurrens atque Arelaten. Mari Tyrrheno miscetur.

Strymon Thraciae, plurimo gelu strictus.

Sequana Galliae, Luteciam Parisiorum circumfluit, vel insulam facit.

Spercheos Thessaliae, in Maliacum mare decurrens usque ad oram Locridis.

*Syrapus Lucaniae. *forsan* Sybaris.

*Selinus Messaniorum, a quo civitas Selinus dicta, quod apium ibi plurimum nascitur.

forsan Selinus Sicaniorum . . .

Sagaris Phrygiae, ad castellum Berecynthium.

Sebethos Neapolis in Campania.

*Sarnus Nuceriae, ex Saro monte oriens, per Campaniam decurrens.

forsan ex Sarno.

Symaethos Siciliae, vicinus Palicis.

*Siler in Lucania, oppido Alburno.

forsan monte Alburno.

*Saron Hadriae. *forsan* Savon *vel* Sason.

Sicoris Hispaniae; iuxta Ilerdam.

Tigris Parthiae, qui sub terra means Rubro mari miscetur.

Tauromenius inter Syracusas et Messenam, a quo oppidum Tauromenium, quod oppidum Eusebon chora dicitur.

Tagus Hispaniae.

Turia Hispaniae, quod Valentiam parvo intervallo interfluit. *forsan* praeterfluit.

*Taras Epeiri.

Tanager Lucaniae.

Tibris vel Tiberis, idem Albula, qui ex radicibus montis Apennini ex Etruria Romam decurrit, quondam Tuscos dividens.

Tanais Scythiae, Asiam ab Europa dividit.

Thermodoon Colchos et Amazonas dividit.

*Trasymenos Lydiae.

*Thapsus Africae, iuxta Rusicadem.

*Triopala, qui et Assorus, iuxta Alabon Megarensium. *forsan* Triocala, qui et Isburus.

*Turnus Umbriae.

*Taygeta Laconices, ubi filios suos moris habent durare frigore aquae.

*Titaressos Thessaliae, qui et Orcus, in Peneum decidit, nec ei miscetur, quia super eum funditur; quem Stygia palude crescere quidam affirmant.

Vulturnus Campaniae, a quo oppidum iuxta Puteolos Vulturnum.

*Virbius Laconices, ubi Hippolytum Aesculapius arte medicinae reddidit vitae, unde et Virbius dictus.

Ufens Tarracinae proximus.

Varus, hic nunc Galliam ab Italia dividit, ante Rubicon.

* Ululeus Dyrrachii est, unde aqua huius ducta.

* Vestinus Campaniae, qui et aquis suis Sarnum impellit.

Xanthus Troiae, Ilio proximus, ex Ida monte defluens, Simoënti iunctus, in Propontidem funditur: hunc Scamandrum incolae vocaverunt. Xantus et Xanthus scribitur, flavus latine dicitur. Xanthus item nomen est equi Hectoris et Achillis.

Xanthus Lyciae, unde et civitas.

FONTES.

Aganippe Boeotiae.

Acidalia in Orchomeno.

Arethusa Siciliae, apud Syracusas.

Clitumnus Mevaniae.

Clanius Acerrae in Campania, qui, cum creverit, meditatur pestem terrae.

Castalius Delphis.

Clitor Arcadiae, qui potus vinum in odium adducit.

* Camenarum Romae.

Dircaeus Boeotiae.

* Esus Rhodi.

* Garga Euboeae, ubi Actaeon laceratus est a canibus. *forsan* Gargaphia Boeotiae.

* Hippocrene Boeotiae in Achaia.

* Inessa Rhodi, a quo Siliciae civitas Inessa.

Libethros Boeotiae.

Liriope, ubi Narcissus se conspexit.

Langia fons est in Nemeaea silva, quem penes agon annuus celebratur Archemoro Lycurgi filio, a quo post Archemorus denominatus est.

Menais Leontinorum, per quem cives eius loci timent iurare.

*Spandeus in insula Coa Asiae.

Salmacis Cariae, ex quo qui bibit, mollescit, id est, obscoenus fit.

Timavus Aquileiae Galliae.

*Virvinus Laconices.

LACUS.

Avernus Campaniae immensae altitudinis, cuius ima pars deprehendi non potest.

Acheron, qua ad inferos creditur iri.

Achridus Apolloniae.

Amsanctus Lucaniae, cuius halitus volucres necat.

Benacus Galliae, unde Mincius fluit.

Cyane Syracusis, per quam Anapus transit.

Cocytos inferorum per Stygiam paludem.

Ciminius Etruriae.

Feronia Tarracinae.

Fucinus Marsis.

Gygaea lacus Lydiae.

Hammonis Africae, qui ortu solis et occasu incandescit, reliquo tempore gelidus est.

*In Athamania lacus luna tenuata ligna accendit: ex quo qui bibit, aut in insaniam vertitur aut in soporem.

Larius Galliae Cisalpinae.

Lucrinus Campaniae.

Lemanus Galliae.

Mareotis Aegypti, unde vites Mareoticae.

Triviae lacus Ariciae.

*Velinus inter Nar et Aventem.

Venacus Galliae, unde Mincius fluit.

NEMORA.

*Angitiae vel Anguitiae, Lucaniae.

Clarium Colophoniae.

Dodona Epiri.

Idalium in insula Cypro.

*Molorchos in Nemea, a Molorcho hospite Herculis.

Marica in Campania, ubi Marica nympha sepulta est.

Sila Bruttiorum.

*Thymbra Phrygiae, ab herbae nomine, quae Latine cyane dicitur.

Tempe Thessaliae.

PALUDES.

Ambracia Acarnaniae.

Asia Asiae, cui Caystros prope est.

*Camarina nunc, ante Hyperia dicta, Syracusis.

Lerna Arcadiae, ubi hydra centum capitum, quam Hercules occidit.

Maeotis Scythiae.

Pomptinae Tarracinae Foro Appii.

Paduse Galliae a Pado dicta.

Styx inferorum, a Styge Oceani filia.

*Satura inter Antium et Circeios, eadem Stura.

*Salpina in Hadriatico.

forsan Salapina in Apulia.

Triton Thraciae, in quo qui se novies immerserit, in avem convertitur.

Tyraca Syracusis.

MONTES.

Aracynthus in Attica, quidam in Arcadia dicunt.

Aruis in insula Chio, unde vinum Aruisium.

Atlas in ultima Africa, cingens Mauretaniam.

Ascraeus, unde vicus Ascra, in Boeotia, unde Hesiodus.

Aventinus Romae, unus ex VII. montibus.

Alburnus Lucaniae.

Alpes Galliam Togatam a Comata dividunt.

Aetna Siciliae, flammam emittens.

Agragas Siciliae, iuxta Gelam.

Athos Thraciae.

Apenninus Italiae, usque ad Anconem porrectus.

Albanus in Latio.

Aventinus, in quo civitas Praeneste.

Amanus Cappadociae.

* Aganippe Boeotiae, ante Enippe dictus.

Berecynthus Phrygiae, unde mater Deûm Berecynthia.

* Bebius Campaniae, flumen emittens.

* Boreas Dyrrachii.

forsan Boras *vel* Bora.

Cithaeron Thebis.

Cynthus Deli.

Caucasus Indiae, Parthis et Hyrcanis iunctus.

Cytorus in Ponto Paphlagoniae, buxo potens.

Cybelus Phrygiae.

Coelius Romae, ex VII. montibus unus.

Clarius Colophoniae, a quo Apollo Clarius.

Cyllene Arcadiae, unde Mercurius Cyllenius.

Catillus Tiburti.

Coras ibidem.

* Cinyrus Piceno.

Chimaera Lyciae.

Calpe Hispaniae.

Ciminus Etruriae.

Corycos Ciliciae, ubi optimum crocum nascitur.
*Castaliae in Delphis.
Dictaeus Cretae.
*Dodona Chaoniae Epeiri.
Dindyma Phrygiae.
Eryx Siciliae.
Erymanthus Arcadiae.
Esquilinus Romae, unus e septem montibus.
*Eridanus Dyrrachii.
Gargarus in Phrygia, Idae montis cacumen.
Gaurus Campaniae.
Helicon Aoniae Boeotiaeque, Musis sacer.
Hyperborei Thraciae, ultra plagam Aquiloniam.
*Haemus Thraciae, qui et Haemimons dicitur.
*Imaus Iberiae Ponticae.
Ismarus Thraciae, insignis oleo et vino.
Ida in Troade, alius in Creta.
Lycaeus Arcadiae, ubi Pan praecipue colitur.
*Libethris Aetoliae.
Maenalus Arcadiae, in Tegea.
Massicus Campaniae, in Falerno.
Marpessos in insula Paro.
*Monoechus Illyriae.
forsan Liguriae.
*Maxteria, iuxta oppidum Auronae Hispaniae.
*Mesulus, qui et Vesulus, *vel*, (*ut Simlerus legit*) Maevius; qui et Vesevus, Campaniae.
*Niphates Armeniae in Perside.
Neritos Ithacae, a quo et portus.
Nysa Indiae.
Nemeus Cleonensium.

Olympus Macedoniae altissimus, qui altitudine sua super pluvias et nubes excedit.

Ossa Thessaliae.

Oeta Thessaliae, ubi Hercules combustus est.

*Othris Thraciae. *legendum* Thessaliae.

*Oeniphile Dyrrachii.

Parnassus Phocidis, duobus verticibus surgens.

Pindus Thessaliae.

Parthenius Arcadiae.

Phanaeus Chii, vino insignis.

Palatinus Romae, ex VII. unus.

Pelios Thraciae, in quo Lapithae populi morati. *lege* Thessaliae.

Pangaeus Thraciae et Macedoniae.

*Pholoë Thraciae, ubi Centauri nati.

Pyrenaeus, Galliam ab Hispania dividens.

*Pylartes Dyrrachii.

Petrae Dyrrachii, castra Pompeii magni.

Quirinus Romae, ex VII. unus.

Rhodope Thraciae.

Riphaei Scythiae.

*Rhamnusius Scodrae.

Saturnius Romae, qui et Capitolinus, idem et Tarpeius.

Soractes Faliscorum.

*Sarnus Nuceriae.

Sipylus Lydiae.

*Stesiarus Molossiae.

Tarpeius Romae, ex VII. unus.

Taenarus Laconices.

Tmolus Lydiae, vino insignis.

Taburnus Samnitum, olivifer.

Taygeta Laconices.

Tetricus Sabinorum.

*Tenitrus Macedoniae, proximus Apolloniae, in conspectu Dyrrachii.

*Velinus Romae, ex VII. unus.

Vesulus Apuliae. *forsan* Liguriae.

GENTES.

Agathyrsi Scythae partis Europae.

Acarnanii Epeirotae Europae.

Apuli Italici partis Europae.

Aethiopes Indi Asiae.

Aegyptii partis Asiae.

Barcaei Mauri Libyae.

*Chalybes in Ponto Europae. *leg.* Asiae.

Cicones Thraciae.

Daci Scythae Europae.

*Dryopes Phocenses Europae.

Gaetuli Afri Libyae.

Germani Europae.

Getae Thraces Europae.

*Geloni Thraciae, picti corporis parte.

*Garamantes Mauri Libyae.

Gangaridae Indiae.

Hispani Europae.

Indi pars Asiae.

*Ityraei vel Itharaei, Syri, usu sagittae periti. *forsan* vel Ituraei.

Kares Asiae.

Lydi Asiae.

Lapithae Thessali Europae.

*Leleges Carii Europae.

Lucani Italici Europae.

Lycii Asiae.
Massyli Afri.
Mauri Libyae proximi.
*Magempuri Libyae.
Marsi Italici Europae.
Medi Parthiae proximi.
Morini Oceano iuncti Europae.
*Numidae Mauri Libyae.
Osci Samnites Italici Europae.
Parrhasii Arcades Europae.
*Pannonii Illyrici Europae.
*Philyridae Europae in Venetia.
*Rutuli, iidem Dauni, Italici Europae.
Seres Asiae sub Oriente.
Sabaei Arabes.
Sauromatae Europae.
Teutones Germani Europae.
Tusci Italici Europae.
Thraces Europae.
Thessali Macedones Europae.
Umbri Italici Europae.
Volsci Italici Europae.

APPENDICULA

e codice Revii.

Incipiunt VII. mira.

Aedes Dianae Epheso, quam constituit Amazon.

Mausoleum in Caria, altum pedum CLXXX. et in circuitu pedum CCCC. ibi est sepulcrum regis lapide lychnite.

Colossus Rhodi altus pedum CV.

Iovis Olympii factus a Phidia ex ebore et auro pedum C.

Domus regia in Ecbatanis, quam Memnon aedificavit lapidibus candidis et variis auro vinctis.

Murus Babylonis latere cocto, sulphure et ferro vinctus, latus cubitorum L. altus cubitorum CC. in circuitu stadiis DCCC. hunc regina Semiramis aedificavit. Pensiles etiam horti super arcem ipsius urbis, aequantes altitudinem muri, pro miraculo habentur.

Pyramides in Aegypto latae et altae pedum DC.

INDEX

IN

POMPONIUM MELAM.

INDEX

IN

POMPONIUM MELAM.

A.

B.

C.

D.

F.

G.

H.

I.

K.

L.

M.

N.

O.

Q.

S.

T.

V.

X.

Errata.

Pag. 72. cap. 5. lin. 9. *Terra angusta*, leg. *Terra augusta*.
Pag. 87. lin. 13. *Catoblebas*, leg. *Catoblepas*.

C. IULII SOLINI

POLYHISTOR

AD OPTIMAS EDITIONES

COLLATUS

PRAEMITTITUR NOTITIA LITERARIA

ACCEDIT INDEX

EDITIO ACCURATA

BIPONTI
Ex Typographia Societatis
CIƆIƆCCXCIV

C. JULII SOLINI
POLYHISTOR.

NOTITIA LITERARIA
DE
C. JULIO SOLINO
EX

Jo. Alb. Fabricii Bibliotheca Latina a Jo. Aug. Ernesti auctius edita Lib. II, cap. XIII. § IX-XI. T. II, p. 239-244.

C. *JULIUS SOLINUS* Grammaticus, patria ut videtur Romanus, post Plinium a nobis memoratur; quia fuerunt, qui Plinio [1] antiquiorem, ad Augustique tempora referendum existimarent, & quia plurima petiit ex Pliniano opere. Ceterum ducentis ferme annis Plinio junior, si audimus Salmasium p. 839. ad Solinum, ubi Alexandro Mammææ longe posteriorem fuisse contendit. Post Vespasianos vixisse ex cap. 29 est perspicuum, ad quem locum vide, quæ idem Salmasius notat p. 271 novæ edit. & in prolegomenis. Henricus quidem Valesius ad excerpta Peiresciana pag. 105 haud diversum esse putat a Julio Solino sive So-

1 Vide Jac. Thomas. §. 543. de plagio ad Vossium lib. 3. de hist. latinis p. 720, 721. ubi etiam inter alia docet, Solini Polyhistorem ante 600 annos a monacho carmine heroico redditum esse versibus heroicis, idque carmen superesse MS.

lone (nam Xiphilinus & Zonaras Ἰούλιον Σόλωνα appellant) Senatore Rom. quem interfecit Alex. Severus. Confer Tillemontium Tom. 3 Hist. Imperatorum p. 141 seq. & H. Dodwellum appendice ad diss. Cyprianic. §. 15, qui Censorino æqualem facit. E veteribus nemo Solinum laudat ante S. Hieronymum. Ab eo tempore Ammianum Marcellinum multa e Solino mutuatum, ejusque sententias ac locutiones frequenter scriptis suis inseruisse notavit Jacobus Gaddius T. 1 de scriptoribus non Ecclesiasticis p. 27. Memoratur & a Prisciano, qui ejus librum modo *memorabilia*, modo *collectanea* vocat, a Luitprando, Adamo Bremensi, Honorio Augustodunensi lib. 3 de imag. mundi, & IV, 24, aliisque junioribus: etiam ab Engelberto Abbate Admontensi lib. de ortu & fine Rom. Imperii cap. 13. Hugonis Etheriani locum, quem e Solino expressit, illustrat Adr. Junius lib. V animadvers. cap. 2. Licet vero Solini liber ipse compendium sit, tamen *Petrus Diaconus*, qui vixit temporibus Conradi Imp. Solinum de mundi mirabilibus abbreviasse legitur in continuatione Chron. Casinensis. Incertum auctorem in excerptis Solini allegat Salmasius p. 250 & alibi. Solinus de mirabilibus mundi moralizatus, forsan per Berchorium MSS. Angliæ T. 1. p. 105. num. 2019. Solinum *auctorem valde futilem* vocat Scaliger IV de emendatione temporum p. 214; *mirum nugatorem* Salmasius p. 304, *mirum misellionem* pag. 318, *omnia turbantem & confundentem simium* pag. 320. Sane Plinii, quem semper fere sequitur, verba sæpius perperam intellecta in

alienam detorquere ſententiam, Salmaſio & eidem Harduino innumeris locis annotatum · Plinianis etiam addere nonnulla ex ingenio ſuo ab eodem Salmaſio p. 236 obſervatum eſt.

Exſtitit autem, ut primus Salmaſius notavit & docuit, duplex libri editio: prima feſtinantius prolata ſub titulo: *Collectanea rerum memorabilium*; altera diligentius elaborati opuſculi, ſub *Polyhiſtoris* inſcriptione ad Adventum, (quem H. Dodwellus [1] in diſſ. de Iſidoro Characeno §. 10 veriſimiliter exiſtimat eundem eſſe, qui Conſul fuit a. C. 218.) in qua id diviſum fuit in cap. 57. Ab illius duplici editionis confuſione (nam & utriuſque titulus interdum in eodem exemplo ſcripto reperitur) etiam textus utriuſque confuſio & varia modo mutilatio, modo interpolatio nata eſt: unde forte & illa Camertis, quæ poſt memorabitur, querela. A Joanne Maſſono bene obſervatum fuit, [2] Artaxerxem, cujus bello ſubactam Jerichuntem tradit Solinus c. 38. (35) eum eſſe, qui regnum Perſicum reſtituit a. C. 225. Eodem capite Hieroſolymorum excidium memorat Solinus: & cap. 32. (29) belli cum Oeenſibus, Veſpaſiano Principe geſti, mentio; ſed hæc utraque nec Plinii ætatem latuerunt.

1 Tom. 2. Geographor. Græcorum minorum Viri Clariſſ. Joannis Hudſoni. Vid. etiam Jac. Cujacium XV, 3. obſervat. & Lud. Carrionem Antiquar. Lect. II, 8.

2 Hiſt. Critique de la Rep. des lettres Tom. XIV. pag. 37. ſeq. Neue Biblioth. LXX. pag. 796.

Solinus *Germanice*, per M. Joannem Heyden, Françof. 1600. fol. prodiit: *Italice* Ludovico Dominico interprete, Venet. 1603. 4.

Carmine quoque valuisse Solinum, patet ex *fragmento* [1] *Ponticon*, quod in Appendice Virgilii, & inter Poemata vetera vulgata a Petro Pithœo, & emendatius in Salmasii prolegomenis legitur. Exhibetur item a *Jano Ulitio* inter rei venaticæ Scriptores p. 18. Confer ejus notas p. 442.

1 In illo heroico carmine πόντια, *æquoreas catervas*, sive pisces & animalia maris descripserat Solinus, imitatus Halieutica Ovidii. Sed vix primi 22. versus supersunt, etsi Barthius p. 1990. Adversariorum illum neget unquam reliqua absolvisse.

INDEX EDITIONUM C. J. SOLINI POLYHISTORIS

AUCTIOR FABRICIO ERNESTIANO IN TRES ÆTATES DIGESTUS.

ÆTAS I 147.. — 1520

Parentes habet *BONINUM MOMBRITIUM*, quem editorem credimus principem, & Venetam I ſ. *Jenſonianam*. Criticam curam ei adhibuere *Phil. BEROALDUS*, *Bononienſis* curator, poſt quam *Alex. Gaboardus Turcellanus* varias Codd. lectiones editioni *Piſaurenſi* ſubjecit. Subſecuta tandem eſt *Aldina* a Franc. *Aſulano* curata.

14 . . Editio *Bonini Mombritii*: (ſ. l. & a.) Julii Solini de mirabilibus mundi. 4. Boninus Mombritius, Patricius Mediolanenſis, qui uti an. 1474 Virgilii editioni a Phil. de Lavagnia Mediolani excuſæ præfuit, itemque d. 14. Dec. 1474 Pauli Veneti Summulas exprimendas curavit, ita & ſine loco & anno Chronicas Euſebii cum ſuperadditis Hieronymi & Proſperi initio artis typographicæ opera Phil. de Lavagnia (quod ipſe in verſibus præfixis ſignificat; cf. Cat. Bibl. Uffenbach. T. II. Additament. n. CCCLXXII, p. 124) uſus edidit, hanc Solini editionem inſtituit eamque in verſibus ad Anton. Triulcium præmiſſis *ſui laboris primitias* appellat:

Accipe primitias noſtri vir ſumme laboris;
Et diſce parvo maxima ſæpe dari.
Quid noſtræ poſſint, his experire novales
Frugibus; expectes jam meliora velim.

Unde conjiciendum, non modo ante an. 1474, sed longe maturiorem esse hunc primum fetum *Bonini*, eique obstetricatum esse Philippum de Lavagnia, typographum Mediolanensem; cf. Saxii hist. liter. typogr. Mediolan. p. 609 coll. p. 147. sq.

1473 *Veneta* I, fol. Julii Solini de situ orbis terrarum & memorabilibus, quæ mundi ambitu continentur, liber. Impressus Venetiis per Nicolaum *Jenson* Gallicum MCCCCLXXIII. Textus divisus in LXX capita; quæ divisio in aliis etiam edd. antiquis obtinuit. Salmasius hac edit. usus eam valde laudat in Prolegom. — Ex prima hac Solini Veneta quædam scriptoris loca castigat & illustrat Jo. *Masson* in Hist. critic. reip. literar. Gallice edita T. XIV. p. 1 -- 40.

——— *Veneta*, 4: C. Solini Polyhistor. memoratur in Cat. Bibl. Thuanæ; eadem credo cum priori.

1480 *Parmæ*. 4. Solini rerum memorabilium collectanea per Andream *Portiliam*.

——— *Brixiensis* I, 4. Sol. de mirabilibus mundi. per Boninum *de Boninis* de Ragusia.

1491 *Veneta* II, 4. Sol. de memorabilibus mundi, Venetiis per Theodorum de *Regazonibus* de Asula an. Dom. MCCCCLXXXXI. die XXIII mensis Augusti regnante inclyto Domino Augustino Barbadico Duce Venetiarum.

1498 *Veneta* III, 4.

——— *Brixiensis* II, fol. Solinus de mirabilibus mundi per Jac. *Britannicum*. cf. Bibl. sel. Engel. p. 73.

1500 *Bononiæ*. edente Phil. *Beroaldo*, quam edit. laudat Meursius in Critico Arnobiano p. 67. 93. Saltem is primus critico labore utcunque emendatum textum dedisse videtur.

1503 *Paris*. I, 4. C. Jul. Solini Polyhistor s. memorabilia mundi. exstat in bibl. Francof. ad M.

1512 *Pisauri*. fol. Jul. Sol. de situ orbis terrarum, & de singulis mirabilibus, quæ in mundo habentur; Vibius Sequester de fluminibus, montibus, lacubus, & gentibus; Provinciarum totius orbis nomina, ad nostra tempora reducta. Impressum Pisauri ab Hieronymo *Soncino* MDXII. Vid. Cat. Bibl. Bunav. T. I. vol. I. p. 350. In fine hæc leguntur: Alexander *Gaboardus Turcellanus* Lectori: Hieronymus Soncinus,

dum Solinum formis excuderet, sciens exemplar Venetum imitatus est, quo impresso, conlatis quatuor exemplaribus antiquissimis, complura passim ab eo diversa leguntur, quæ nec probo, nec exibilo. Tu, quæ consonant, eligito; hæc enim in calce operis subjicientur &c.

——— *Spiræ.* 4. Solinus de memorabilibus mundi diligenter annotatus & indicio alphabetico prenotatus. Impress. Spire Impens. L. D. (al. L. H.) an. MDXII.

1518 *Aldina* 8. Solinus cum Mela & aliis * prodiit ap. *Aldum* & Franciscum *Asulanum.*

* Qui sunt Antonini Aug. Itinerarium, Vibius Sequester, P. Victor de regionibus urbis Romæ, Dionysius de situ orbis, interprete Prisciano.

ÆTAS II. 1520 — 1621.

Camertina, a Jo. CAMERTE, qui textum Beroaldinum cum adhibitis exemplaribus, tum suo judicio correctum dedit cum Commentt. quam ed. porro emendavit ex Cod. Gottwic. Jo. Alex. *Brassicanus* an. 1530, secutæ sunt Basilienses. Sim. *Colinæus* typogr. Paris. eum bis edidit 1533 & 1536, conjunctim cum Pomp. Mela, Petri Jo. Olivarii scholiis illustrato; H. *Stephanus* etiam cum aliis Geographis latinis an. 1577. Denuo autem collatis codd. antiquis emendavit Elias VINETUS an. 1554, tum ad MSS. Lipsii recensuit notisque illustravit M. Ant. *Delrio*, quam recensionem suam fecere Plantinus & H. Stephanus. Ultimam hac ætate recensionem ex MSS. & editis instituit Jo. Jac. GRASSERUS, Basiliensis, an. 1605, aliquoties dein repetitam.

1520 *Viennensis* I: *Camertina*, fol. *Julii Solini Polyhistor cum enarrationibus egregii S. Theologiæ Doctoris Joannis* Camertis *Minoritani*, anno Nativ. Domini MDXX. *Viennæ Austriæ per Joh.* Singrenium *impensis honesti Lucæ* Alantse *civis & Bibliopolæ Viennensis.* In fine Indicis Camertis hi leguntur versus:

Melchior Hedwigerus *Typicarum notarum compactor ad Lectorem:*

Germanis omnis debet ſtudioſa Juventus,
Scribere quod prælis ii docuere notas.
Scriptorum nobis debes ſtudioſè Camertis
Quod vigiles noſtras hæc habuere manus.

Jo. *Camers* in præf. dicit, ſæpe ſe deterritum eſſe ab exemplaribus Solini, quæ ita mutila & depravata repererit omnia, ut multis locis ſenſus obſcuriſſimus eſſet: habuiſſe autem exemplaria vetuſtiſſima, verum tanto mendoſiora, quanto antiquiora. Multis locis ab eo correctum textum Solini patet vel ex eo, quod neminem emunctæ naris lectorem, dicit, exiſtimaturum, eum a *Beroaldo* quondam ſuæ integritati reſtitutum fuiſſe, qui ſuas caſtigationes cum Beroaldinis contulerit: nec ſe dubitare, quin loca ſuperſint aliqua, quæ diligentiori lima indigeant.— Diligentiſſimum editorem hunc Camertem dicit *Salmaſius* ad Solinum p. 142, reprehenditque Delrionem, qui eum in ſua editione quaſi dedita opera ſæpe vituperet, ipſe nulla laude dignus, & ſæpe Camertem ſecutus. cf. p. 247.

—— *Colonienſis*, 4: C. Julii Solini Polyhiſtor, ſeu rerum orbis memorabilium collectanea. Adjectus præterea in libri calce eſt index, ſummam totius pæne operis inſinuans, ut ſtudioſo lectori facile inventu ſit quod quærit atque depromptu, mendis quibus antehac ſcatebat pro virili expurgatis emaculatiſque. In fine: Coloniæ apud Eucharium *Cervicornum*, & Heronem *Fuchs*. Anno Virginei partus MDXX, menſe Decemb.

1525 *Juntina*, Aldinæ filia 8. Mela, *Solinus*, itinerarium Antonini, Vibius Sequeſter. P. Victor de regionibus urbis Romæ, & Dionyſius de ſitu orbis ex Priſciani Metaphraſi, ap. *Juntam.*

1530 *Viennenſis* II: Solini Polyhiſtor cum Jo. *Camertis* enarrationibus, Viennæ Auſtriæ, fol. memoratur in Catal. Bibl. Uffenbach. T. I, p. 611, n. 43. Atque hæc editio curata videtur ab Jo. Alex. *Braſſicano*, qui teſte ven. Abbate Beſſelio (in Prodr. Chron. Gottwic. L. I, c. VI, p. 61) egregio codice Bibliothecæ Gottwicenſis ſec. XII uſus eſt: *Solini Polyhiſtor. De ſtatu terræ*, fol. min. f. 4 mai. Braſſicanus autem in principio hujus Codicis hæc adnotavit; *Solini Po-*

lyhistor liber in quibusdam locis emendatior, quam nullum adhuc exemplum in manus eruditorum venerit; pertinet ad insigne monasterium Gottwicense, ex quo ego Joannes Alexander Brassicanus multa loca feliciter emendavi anno 1530 mense Augusto: commodante mihi librum hunc optimo atque integerrimo præsule D. Matthia ibidem Abbate digniss. ac patrono meo colendiss. & superius eadem manu: *Solini Polyhistor. esse debet succincte penus eruditioni.* Itaque Codicem hunc, quem an. 1530 demum tractavit Brassicanus, nondum viderat Camers an. 1520.

1533 *Paris.* 8. C. J. Solini Polyhistor. ap. Sim. *Colinæum;* credimus cum Mela Olivarii scholiis illustrato; cf. ed. sq.

1536 *Parisina* II: ap. Sim. Colinæum. Solinus & Mela, *Olivarii & Hermolai Barbari* scholiis illustrati. Hæc scholia Hermolai videntur ex ejus castigg. Plinianis excerpta. Nam Jo. Camers in præf. suæ ed. quærit, Hermol. Barbarus quare in Solinum nil scripsisse videatur.

1537 *Gryphiana* f. Lugdunensis I, 8: C. Julii Polyhistor. Lugd. ap. Seb. Gryphium.

1538 *Basil.* I, fol. Jul. Solini Polyhistor, rerum toto orbe memorabilium thesaurus locupletissimus. Huic ob argumenti similitudinem Pomp. Melæ de situ orbis libros tres, fide diligentia summa recognitos adjunximus. Accesserunt his præter nova scholia, quæ loca auctoris utriusque obscuriora copiose passim illustrant, etiam tabulæ geographicæ permultæ. ap. Mich. *Isengrin & Henr. Petri.* — Hæc edit. est repet. Viennensis a. 1520.

1539 *Lugd.* II, 8. Julii Solini Polyhistor, sive rerum orbis memorabilium collectanea, partim ad vetustissimorum exemplarium fidem restituta, partim scholiis illustrata. — Auctoris vita per Joan. *Camertem* accurate collecta, initioque operi præfixa. Accessit his index omnium capitum. ap. hæred. Sim. *Vincentii*, exc. Matth. *Bonhome.* — Parisinæ II hæc putatur esse repetitio. cf. Hambergerum. Tom. 2. p. 556. 557.

1543 *Basil.* II: fol. C. Jul. Solini Polyhistor & Pomp. Mela de situ orbis. Repetitio ed. 1538.

1554 *Pictavii.* 4. — ex antiquis Burdegalensium Dominicanorum codicibus ita restitutus, ut nunc primum natus & editus videri possit. Accedunt indices tres, in quibus multa monuit de varia scriptura, nonnulla etiam explicuit, dum exemplaria conferret, *Elias Vinetus.* Enguilberto *Marnesio* excudebatur. vid. Cat. Bibl. Bunav. T. I. Vol. I. p. 350.

1557 *Basil.* III, fol. Solinus, Florus & Cebes c. Commentar. Jo. *Camertis*, ac Pomponio Mela aliisque accessionibus Joach *Vadiani.*

——— *Paris.* III, fol. cum Floro ac tabula Cebetis ab *Odaxio* versa.

1564 *Basil.* IV, 8. Solinus c. Mela. cui ed. præfatus est Christ. *Urstisius.*

1572 *Plantiniana.* 8. Antverp. ap. Christoph. Plantin. Ad MSS. Lipsii librum recensuit & edidit *Delrio*, tunc natus vix annos viginti, ut notavit Lud. El. *du Pin* Tom. 17. Bibl. script. Eccles. p. 40, quam editionem pessimam judicabat *Salmasius.* cf. Hamberger. T. 2. p. 557.

1577 *Paris.* IV, f. Stephaniana. Solinus c. *Delrionis* emendationibus, edente Henrico *Stephano*, subjectus *Dionysio Periegetæ*, Eustathianis scholiis, Pomp. *Melæ*, Jo. Olivarii annotationibus, & Cosmographo, qui sub *Æthici* nomine ambulat, Jos. Simleri notis illustrato.

1595 *Basil.* V, 8. Sol. cum Mela ex ed. 1564.

1603 *Francof.* 4. Solinus e Vtus a Georg *Draudio* · qui textum divisit in LXV capita.

1605 Aurel. Allobr. 8. Solinum ex Codd. MSS. & [illegible] is emendatum, & historiis similibus ac dissimilibus illustratum edidit Jo. Jac *Grasserus* Basileensis. Textum is divisit in LX capita. *

* Hanc ed. Gudius habuit Frid. *Lindenbrogii* manu collatam cum duobus MSS. Gottorpiensibus & ed. Spirensi atque Aldina, animadversionibusque variis illustratam: ejus denique exemplum Ernestius quoque habuit collatum a Cortio cum MS. Guelpherbytano antiquo.

1615 Basil. 8. cum Pomp. Mela de situ Orbis. ex ed. Basil. 1564.

1621 Paris. 12.

ÆTAS III. *SALMASIANA*

1629 — 1784.

a Claudio *Salmasio*, qui cum vastam eruditionem consummasset in Solino, Plinii simia, & illustrando, maxime Plinii collatione, & ope Codd. ac librorum editorum suique ingenii, forsan plus satis emendando, ita ut alius textus videretur, a Petro Scriverio, Belga, salutatus est *Sal & Sol Solini.* Superatis igitur Delrionis & Grasseri recensionibus Salmasiana obtinet, maxime ex quo an. 1689 emendatius repetita est. Solinum quoque in mille sectiones divisum edidit Andr. *Reyherus* an. 1665.

1629 *Salmasiana* I: Paris. ap. Drouart vel Claudium Morellium. fol. 2 voll. Claudii *Salmasii* Plinianæ exercitationes in Caji Julii Solini Polyhistora. Item Caji Solini Polyhistor ex veteribus libris emendatus. * Salmasius veterem elenchum capitum secutus in LVI capita divisit. primo capiti ed. Salmas. respondent integra VII in prioribus edd.

* Immensæ frugis opus vocat Grotius ad Matthæi Evang. XXVI, 7. Similes etiam in Plinium exercitationes dare voluit Salmasius, ut ipse p. 313 scribit: *Hæc ad Plinium pluribus.* Is autem præter excerpta ex VI Codd. usus est tribus Codd. Bibl. Heidelbergensis & duobus Bibl. regiis Galliæ. Laudat maxime ed. Jensonianam 1473 & Camertinam an. 1520, spreta Plantiniana *Delrionis* &c.

1632 Editio *Grasseri*, repetita Paris. 12.

1646 Lugd. Bat. 12. ex Delrionis castigatione additus Melæ Æthicoque c. n. Varr.

1660 Lugd. 8. Solini Polyhistor, vel rerum toto orbe memorabilium thesaurus, ex recensione *Grasseri.* Accedit Pomp. Mela.

1665 Gothæ, 8. in mille sectiones dispescuit Solini opusculum & utilissimo indice ornavit Andreas *Reyherus.*

1689 *Salmasiana* II: *Trajecti* ad Rhen. fol. II T. Repet.

edit. Parif. 1629, fed emendatius recufa nitidis typis. Accefferunt huic edit. de homonymis hyles iatricæ exercitationes antehac ineditæ, nec non de Manna & faccharo T. I. II. Trajecti ad Rhen. ap. Jo. van de Water. De hac ed. videfis *Hift. des Ouvrages des Savants* 1689 Febr. p. 545 & April. p. 185.

1690 Lugd. 8. Jul. Solini rerum memorabilium thefaurus. ex Cat. Bibl. S. J. Antverp. T. I. p. 324.

1708 Lipfiæ, 8. omiffo Solini nomine. Hæc eadem eft cum editione Gothana 1665, cujus exemplis quibufdam novus a librario præfixus eft titulus: Compendium rerum memoratu dignarum & fcitu jucundarum, in quo præter inclytos terrarum fitus, & infignes tractus maris, hominum & aliorum animalium, nec non arborum & lapidum exotericorum naturæ, cum extimarum gentium ritibus defcribuntur. ap. Jo. Herebord Klofium.

1777 Lipfiæ, 8. Caji Julii Solini Polyhiftor. ex edit. Claudii *Salmafii* accurante M. Andr. *Gœzio*. Editio mendofa.

CAJI JULII SOLINI

GRAMMATICI

POLYHISTOR

AB IPSO EDITUS ET RECOGNITUS.

C. JULIUS SOLINUS

ADVENTO SUO S. P. D.

QUONIAM quidam impatientius potius quam ſtudioſius opuſculum, quod moliebar, intercipere properarunt; idque etiam tum impolitum, prius in medium dederunt, quam inchoatæ rei ſumma manus imponeretur, & nunc, exemplaribus corruptis, quæ damnata ſunt, quaſi probata circumferunt, præteritis quæ ad incrementum cognitionis acceſſerunt cura longiore: ne forte rudis & imperfecta materia, velut ſpectatus a me liber, in manus tuas deferretur, corpuſculum ſententia mea digeſtum, ut noſceres, miſi. Primo, quod referendus ad induſtriam tuam fuit tenor diſpo-

ſitionis: deinde ut ſcabræ adhuc informitatis proditio editione vera exſtingueretur. Erit igitur operi iſti titulus POLYHISTOR. Nam quem in exordio deſignaveram, ſcilicet COLLECTANEA RERUM MEMORABILIUM, cum iis, quæ improbavimus, placuit obliterari. Collata igitur hac epiſtola cum ea, quæ auſpicium ſcriptionis facit, intelligis eodem te loco habitum, quo eum, cui laboris noſtri ſummam dedicavimus.

CAPITULA.

C. JULIUS SOLINUS

ADVENTO S.

Cum & aurium clementia & optimarum artium studiis præstare te ceteris sentiam, idque oppido expertus, de benevolentia tua nihil temere præceperim, reputavi examen opusculi istius tibi potissimum dare, cujus vel industria promtius suffragium, vel benignitas veniam spondeat faciliorem. Liber est ad compendium præparatus, quantumque ratio passa est, ita moderate repressus, ut nec prodiga sit in eo copia, nec damnosa concinnitas. Cui si animum propius intenderis, velut fermentum cognitionis magis ei inesse, quam bratteas eloquentiæ deprehendes. Exquisitis enim aliquot voluminibus studuisse me impendio fateor, ut & a notioribus referrem pedem, & remotis largius immorarer. Locorum commemoratio plurimum tenet, in quam partem ferme inclinatior est universa materies. Quorum commeminisse ita visum est, ut inclytos terrarum sinus, & insignes tractus maris, servata orbis distinctione, suo quæque ordine redderemus. Inseruimus & pleraque differenter congruentia, ut si nihil aliud, saltem varietas ipsa legentium fastidio mederetur. Inter hæc hominum & aliorum animalium naturas expressimus. Addita pauca de arboribus & lapidibus exoticis, de extimarum gentium formis, de ritu dissono abditarum nationum, nonnulla etiam digna memoratu, quæ prætermittere incuriosum videbatur, quorumque auctoritas, quod cum primis industriæ tuæ

insinuatum velim, de scriptoribus manat receptissimis. Quid enim proprium nostrum esse possit, cum nihil omiserit antiquitatis diligentia, quod intactum ad hoc usque ævi permaneret? Quapropter quæso ne de præsenti tempore editionis hujus fidem libres, quoniam quidem vestigia monetæ veteris persecuti opiniones eligere maluimus potius, quam innovare. Ita si qua ex istis secus quam opto in animum tuum venerint, des velim infantiæ meæ veniam. Constantia veritatis penes eos est, quos secuti sumus. Sicut ergo qui corporum formas æmulantur, ante omnia effigiant modum capitis, nec prius in alia membra lineas destinant, quam ab ipsa, ut ita dixerim, figurarum arce auspicium faciant inchoandi: nos quoque a capite orbis, id est, urbe Roma principium capessemus, quamvis nihil super ea doctissimi auctores reliquerint, quod in novum nostrum præconium possit suscitari, ac supervacuum pæne sit relegere tramitem decursum tot annalibus. Ne tamen prorsus dissimulata sit, originem ejus quanta valemus persequemur fide.

C. JULII SOLINI POLYHISTOR.

CAPUT I.

De origine urbis Romæ, & temporibus ejus, de diebus intercalaribus, de genitura hominis, & his, quæ memorabilia in hominibus fuere, de aleatorio lapide.

SUNT, qui videri velint, Romæ vocabulum ab 1
Evandro primum datum, cum oppidum ibi offendisset, quod exstructum antea Valentiam dixerat juventus Latina: servataque significatione impositi prius nominis, Romam Græce Valentiam nominatam: quam Arcades quoniam in excelsa habitassent parte montis, derivatum deinceps, ut tutissima urbium, arces vocarentur. Heraclidi pla- 2
cet, Troja capta quosdam ex Achivis in ea loca, ubi nunc Roma est, devenisse per Tiberim, deinde, suadente Rome, nobilissima captivarum, quæ his comes erat, incensis navibus, posuisse sedes, instruxisse mœnia, & oppidum ab ea Romen vocavisse. Agathocles scribit, Romen non capti- 3
vam fuisse, ut supra dictum est; sed ab Ascanio natam, Æneæ neptem, appellationis istius caussam fuisse. Traditur etiam proprium Romæ no- 4
men, & verum magis, quod nunquam in vulgum venit, sed vetitum publicari, quandoquidem

quo minus enuntiaretur, cærimoniarum arcana
sanxerunt, ut hoc pacto notitiam ejus aboleret fi-
5 des placitæ taciturnitatis. Valerium denique Sora-
num, quod contra interdictum id eloqui ausus fo-
6 ret, ob meritum profanæ vocis, neci datum. Inter
antiquissimas sane religiones sacellum colitur An-
geronæ, cui sacrificatur ante diem duodecimum
Kalendarum Januariarum: quæ diva præsul silen-
tii istius, prænexo obsignatoque ore simulacrum
7 habet. De temporibus Urbis conditæ ambiguita-
tum quæstiones excitavit, quod quædam ibi mul-
to ante Romulum culta sint. Quippe ante aram
Hercules, quam voverat, si amissas boves repe-
8 risset, punito Caco, patri inventori dicavit. Qui
Cacus habitavit locum, cui Salinæ nomen est: ubi
trigemina nunc porta. Hic, ut Gellius tradit, cum
a Tarchone Tyrrheno, ad quem legatus venerat
missu Marsyæ regis, socio Megale Phryge, custo-
diæ foret datus, frustratus vincula, & unde ve-
nerat redux, præsidiis amplioribus occupato circa
Vulturnum & Campaniam regno, dum attrectat
etiam ea, quæ concesserant in Arcadum jura, du-
ce Hercule, qui tunc forte aderat, oppressus est.
9 Megalen Sabini receperunt, disciplinam auguran-
10 di ab eo docti. Suo quoque Numini idem Hercu-
les instituit aram, quæ maxima apud pontifices ha-
betur, cum se ex Nicostrata, Evandri matre, quæ
a vaticinio Carmentis dicta est, immortalem com-
perisset fore: conseptum etiam, intra quod ritus
sacrorum, factis bovicidiis, docuit Potitios. Hoc
sacellum Herculi in Boario foro est, in quo argu-

menta & convivii & majeſtatis ipſius remanent.
Nam divinitus illo neque canibus, neque muſcis in- 11
greſſus eſt. Etenim cum viſcerationem ſacricolis da-
ret, Myiagrum deum dicitur imprecatus; clavam ve-
ro in aditu reliquiſſe, cujus olfactum refugerent ca-
nes: id uſque nunc durat. Ædem etiam, quæ Saturni 12
ærarium fertur, comites ejus condiderunt in hono-
rem Saturni, quem cultorem regionis illius cogno-
verant exſtitiſſe. Iidem & montem Capitolinum Sa-
turnium nominarunt. Caſtelli quoque, quod excita- 13
verunt, portam Saturniam appellaverunt, quæ poſt-
modum Pandana vocitata eſt. Pars infima Capitolini
montis habitaculum Carmenti fuit, ubi Carmentis
nunc fanum eſt, a qua Carmentali portæ nomen da-
tum eſt. Palatium nemo dubitaverit, quin Arcadas 14
habeat auctores, a quibus primum Pallanteum op-
pidum: quod aliquamdiu Aborigines habitatum;
propter incommodum vicinæ paludis, quam præ-
terfluens Tiberis fecerat, profecti Reate, poſtmo-
dum reliquerunt. Sunt, qui velint a balatibus ovium 15
mutata litera: vel a Pale paſtorali dea, aut, ut Si-
lenus probat, a Palantho Hyperborei filia, quam
Hercules ibi compreſſiſſe viſus eſt, nomen monti
adaptatum. Sed quanquam iſta ſic congruant, pa- 16
lam eſt, proſpero illi augurio deberi Romani no-
minis gloriam, maxime cum annorum ratio faciat
cardinem veritati: nam, ut affirmat Varro, auctor 17
diligentiſſimus, Romam condidit Romulus, Marte
genitus & Rhea Silvia; vel, ut nonnulli, Marte
& Ilia: dictaque eſt primum Roma quadrata, quod
ad æquilibrium foret poſita. Ea incipit a ſilva, 18

quæ eſt in area Apollinis, & ad ſupercilium ſcalarum Caci habet terminum, ubi tugurium fuit Fauſtuli. Ibi Romulus manſitavit, qui auſpicato fundamenta murorum jecit, duodeviginti natus annos, undecimo Kalendas Majas, hora poſt ſecundam ante tertiam plenam: ſicut Lucius Tarruntius prodidit, mathematicorum nobiliſſimus, Jove in piſcibus, Saturno, Venere, Marte, Mercurio in Scorpione, Sole in Tauro, Luna in Libra conſti-
19 tutis. Et obſervatum deinceps, ne qua hoſtia Parilibus cæderetur, ut dies iſte a ſanguine purus eſſet, cujus ſignificationem de partu Iliæ tractam volunt. Idem Romulus regnavit annos ſeptem & tri-
20 ginta. De Cæninenſibus egit primum triumphum, & Acroni regi eorum detraxit ſpolia, quæ Jovi Feretrio primus ſuſpendit, & opima dixit. Rurſum de Antemnatibus triumphavit, de Vejentibus tertio. Apud Capreæ paludem nonis Quinctilibus ap-
21 parere deſiit. Ceteri reges, quibus locis habitaverint, dicemus. Tatius in arce, ubi nunc eſt ædes Junonis Monetæ: qui anno quinto, poſtquam ingreſſus Urbem fuerat, a Laurentibus interemtus, ſeptima & viceſima Olympiade hominem exivit. Numa in colle primum Quirinali, deinde propter ædem Veſtæ in Regia, quæ adhuc ita appellatur: qui regnavit annis tribus & quadraginta, ſepultus
22 ſub Janiculo. Tullus Hoſtilius in Velia, ubi poſtea deûm Penatium ædes facta eſt: qui regnavit annos duos & triginta, obiit Olympiade quinta &
23 triceſima. Ancus Martius, in ſumma ſacra via, ubi ædes Larum eſt: qui regnavit annos quatuor &

viginti, obiit Olympiade prima & quadrageſimæ:
Tarquinius Priſcus ad Mugoniam portam ſupra 24
ſummam novam viam: qui regnavit annos ſeptem
& triginta. Servius Tullius Eſquiliis ſupra clivum 25
Urbium: qui regnavit annos duos & quadraginta.
Tarquinius Superbus, & ipſe Eſquiliis ſupra cli- 26
vum Pullium ad Fagutalem lacum: qui regnavit
annos quinque & viginti. Cincio Romam duode- 27
cima Olympiade placet conditam: Pictori octava:
Nepoti & Lutatio, opinionem Eratoſthenis & Apol-
lodori comprobantibus, Olympiadis ſeptimæ anno
ſecundo: Pomponio Attico & M. Tullio, Olym-
piadis ſextæ anno tertio. Collatis igitur noſtris
& Græcorum temporibus, invenimus, incipiente
Olympiade ſeptima Romam conditam, anno poſt
Ilium captum quadringenteſimo triceſimo tertio.
Quippe certamen Olympicum, quod Hercules in 28
honorem atavi materni Pelopis ediderat, inter-
miſſum Iphitus Eleus inſtauravit, poſt excidium
Trojæ, anno quadringenteſimo octavo. Ergo ab
Iphito numeratur Olympias prima. Ita ſex mediis
Olympiadibus interjectis, quibus ſingulis anni qua-
terni imputantur, cum ſeptima cœptante, Roma
condita ſit, inter exortum Urbis & Trojam cap-
tam, jure eſſe annos quadringentos & triginta tres
conſtat. Huic argumento illud accedit, quod cum 29
Cajus Pompejus Gallus & Quintus Verannius Ur-
bis conditæ anno octingenteſimo primo fuerint
conſules, conſulatu eorum Olympias ſeptima &
ducenteſima actis publicis annotata eſt. Quater er-
go multiplicatis ſex & ducentis Olympiadibus erunt

anni octingenti viginti quatuor, quibus de ſeptima Olympiade annectendus primus annus eſt, ut in ſolido colligantur octingenti viginti quinque. Ex qua ſumma, detractis viginti annis, & quatuor Olympiadum retro ſex, manifeſte anni octingenti
30 & unus reliqui fient. Quapropter cum octingenteſimo primo anno Urbis conditæ ducenteſima ſeptima Olympias computetur, par eſt Romam ſeptimæ Olympiadis anno primo credi conditam. In qua regnatum eſt annis ducentis quadraginta tribus. Decem-
31 viri creati anno trecenteſimo ſecundo. Primum Punicum bellum anno quadringenteſimo octogeſimo nono. Secundum quingenteſimo triceſimo quinto. Tertium ſexcenteſimo quarto. Sociale ſexcenteſimo
32 ſexageſimo ſecundo. Ad Hircium & Cajum Panſam conſules anni ſeptingenti & decem: quorum conſulatu Cæſar Auguſtus eſt conſul creatus, octavum decimum annum agens: qui principatum ita ingreſſus eſt, ut vigilantia illius non modo ſecurum,
33 verum etiam tutum imperium eſſet. Quod tempus ferme ſolum repertum eſt, quo plurimum & arma ceſſaverint, & ingenia floruerint, ſcilicet ne inerti juſtitio languerent virtutis opera, bellis quie-
34 ſcentibus. Tunc ergo primum curſus anni perſpecta ratio eſt, quæ a rerum origine profunda caligine tegebatur. Nam ante Auguſtum Cæſarem incerto modo annum computabant, qui apud Ægyptios quatuor menſibus terminabatur, apud Arcadas tribus, apud Arcananas ſex, in Italia apud Lavinios tredecim, quorum annus trecentis ſeptuaginta &
35 quatuor diebus ferebatur. Romani initio annum

decem menſibus computaverunt, a Martio auſpicantes, adeo ut ejus die prima de aris Veſtalibus ignes accenderent, mutarent veteribus virides laureas, ſenatus & populus comitia agerent, matronæ ſervis ſuis cœnas ponerent, ſicuti Saturnalibus domini: illæ, ut per honores promtius obſequium provocarent: hi quaſi gratiam repenſarent perfecti laboris: maximeque hunc menſem principem teſtatur fuiſſe, quod qui ab hoc quintus erat, Quinctilis dictus eſt, deinde numero decurrente, De- 36
cember ſolemnem circuitum finiebat intra diem trecenteſimum quartum: tunc enim iſte numerus explebat annum, ita ut ſex menſes tricenûm dierum eſſent, quatuor reliqui tricenis & ſingulis expedirentur. Sed cum ratio illa ante Numam a lunæ cur- 37
ſu diſcreparet, lunari computatione annum peræquarunt, quinquaginta & uno die auctis. Ut ergo 38
perficerent XII menſes, de ſex menſibus ſuperioribus detraxerunt dies ſingulos, eoſque quinquaginta iſtis & uno diebus adnexuerunt, factique quinquaginta VII diviſi ſunt in duos menſes, quorum alter XXIX, alter XXVIII dies detinebant. Sic annus habere quinque atque quinquaginta & trecentos dies cœpit. Poſtmodum, cum perſpicerent, te- 39
mere annum clauſum intra dies, quos ſupra diximus, quandoquidem appareret, ſolis meatum non ante trecenteſimum ſexageſimum quintum diem, abundante inſuper quadrantis particula, zodiacum conficere decurſum; quadrantem illum & decem dies addiderunt, ut ad liquidum annus trecentis diebus ſexaginta quinque & quadrante conſtaret,

hortante obſervatione imparis numeri, quem Py-
40 thagoras monuit præponi in omnibus oportere. Unde propter dies impares, Diis ſuperis & Januarius dicatur & Martius: propter pares Februarius, qua-
41 ſi ominoſus, Diis inferis deputatur. Cum itaque hæc definitio toto orbe placuiſſet, cuſtodiendi quadrantis gratia, a diverſis gentibus varie intercalabatur, nec unquam tamen ad liquidum fiebat tem-
42 porum peræquatio. Græci ergo ſingulis annis XI dies & quadrantem detrahebant, eoſque octies multiplicatos in annum nonum reſervabant, ut contractus nonagenarius numerus in tres menſes per tricenos dies ſcinderetur: qui anno nono reſtituti efficiebant dies quadringentos quadraginta quatuor, quos embolimos, vel hyperballontas nominabant.
43 Quod cum in initio Romani probaſſent, contemplatione parilis numeri offenſi neglectum brevi perdiderunt, translata in ſacerdotes intercalandi poteſtate: qui plerumque gratificantes rationibus publicanorum, pro libidine ſua ſubtrahebant tempo-
44 ra, vel augebant. Cum hæc ſic forent conſtituta, moduſque intercalandi interdum cumulatior, interdum fieret imminutior, vel omnino diſſimulatus præteriretur, nonnunquam accidebat, ut menſes, qui fuerant transacti hieme, modo æſtivum,
45 modo autumnale tempus inciderent. Itaque Cæſar univerſam hanc inconſtantiam, inciſa temporum turbatione, compoſuit, &, ut ſtatum certum præteritus error acciperet, dies XXI & quadrantem ſimul intercalavit: quo pacto regradati menſes, de cetero ſtatuta ordinis ſui tempora detinerent. Ille

ergo annus ſolus trecentos XLIV dies habuit: alii
deinceps trecentenos ſexagenos quinos & quadran-
tem, & tunc quoque vitium admiſſum eſt per ſa-
cerdotes. Nam cum præceptum eſſet, anno quar- 46
to ut intercalarent unum diem, & oporteret con-
fecto quarto anno id obſervari, ante, quam quin-
tus auſpicaretur, illi incipiente quarto intercala-
runt, non deſinente. Sic per annos ſex & XXX 47
cum novem dies tantummodo ſufficere debuiſſent,
XII ſunt intercalati. Quod reprehenſum Auguſtus
reformavit, juſſitque annos duodecim ſine inter-
calatione decurrere, ut tres illi dies, qui ultra no-
vem neceſſarios temere fuerant intercalati, hoc
modo poſſent repenſari. Ex qua diſciplina omnium
poſtea temporum fundata ratio eſt. Verum cum 48
hoc, & multa alia Auguſti temporibus debeantur,
qui pæne ſine exemplo rerum potitus eſt, tanta
& tot in vita ejus inveniuntur adverſa, ut non ſit
facile diſcernere, calamitoſior an beatior fuerit.
Primum, quod apud avunculum in petitione ma- 49
giſterii equitum prælatus eſt ei Lepidus tribunus,
cum quadam auſpicantium cœptorum nota: mox
triumviratus collegium præ gravi poteſtate Anto-
nii: Philippenſis inde proſcriptionis invidia: ab-
dicatio Poſthumi Agrippæ poſt adoptionem: dein-
de deſiderio ejus inſignis pœnitentia: naufragia Si-
cula: turpis ibi in ſpelunca occultatio: ſeditio-
nes militum plurimæ: Peruſina cura: detectum fi-
liæ adulterium, & voluntas parricidalis: nec mi-
nore dedecore neptis infamia: incuſatæ mortes fi-
liorum: & amiſſis liberis non ſolus orbitatis dolor:

Urbis peſtilentia, fames Italiæ, bellum Illyricum,
anguſtiæ rei militaris, corpus morbidum, contu-
melioſa diſſenſio privigni Neronis, uxoris etiam
& Tiberii cogitationes parum fidæ, atque in hunc
50 modum plura. Hujus tamen ſuprema quaſi lugeret
ſeculum, penuria inſecuta eſt frugum omnium: ac
ne fortuitum, quod acciderat, videretur, immi-
51 nentia mala non dubiis ſignis apparuerunt: nam
Fauſta quædam ex plebe, partu uno edidit qua-
tuor geminos, mares duos, totidemque feminas,
monſtruoſa fœcunditate portendens futuræ cala-
mitatis indicium: quamvis Trogus auctor affir-
met, in Ægypto ſeptenos uno utero ſimul gigni:
quod ibi minus mirum, cum fœtifero potu Nilus,
non tantum terrarum, ſed etiam hominum, ma-
52 terna fœcundet arva. Legimus, Cneum Pompejum
Eutychidem feminam Aſia exhibitam, quam con-
ſtabat tricies enixam, cum XX ejus liberis in thea-
tro ſuo publicaſſe. Unde competens hoc loco duco
53 ſuper hominis generatione tractare. Etenim cum
de animalibus, quæ digna dictu videbuntur, prout
patria cujuſque admonebit, ſimus notaturi, jure
ab eo potiſſimum ordiemur, quod rerum natura
ſenſus judicio, & rationis capacitate præpoſuit
54 omnibus. Itaque, ut Democritus phyſicus oſten-
dit, mulier ſolum animal menſtruale eſt, cujus pro-
fluvia non parvis ſpectata documentis, inter mon-
ſtrifica merito numerantur. Contactæ his fruges
non germinabunt, aceſcent muſta, morientur her-
bæ, amittent arbores fœtus, ferrum rubigo cor-
55 ripiet, nigreſcent æra: ſi quid canes inde ederint,

in rabiem efferabuntur nocituri morsibus, quibus lymphaticos faciunt. Parva hæc sunt: bitumen in Judæa Asphaltites gignit lacus, adeo lentum mollitie glutinosa, ut a se nequeat separari: enimvero 56
si abrumpere partem velis, universitas sequetur: scindique non potest, quoniam in quantum ducatur, extenditur: sed ubi admota fuerint cruore illo polluta fila, sponte dispergitur, & applicita tabe diducitur paulo ante corpus unum, fitque de tenacitate connexa contagione partitio repentina. Ha- 57
bet plane illud in se solum salutare, quod avertit sidus Helenæ perniciosissimum navigantibus. Ceterum ipsæ feminæ, quibus munus est necessitatis hujusmodi, quamdiu sunt in sua lege, non innocentibus oculis contuentur: aspectu specula vitiant, 58
ita ut hebetetur visu fulgor offensus, & solitam æmulationem vultus exstinctu splendor amittat, faciesque obtusi nitoris quadam caligine nubiletur. Mulierum aliæ in æternum steriles sunt: aliæ mutatis conjugiis exuunt sterilitatem: nonnullæ tantum semel pariunt: quædam aut feminas, aut mares semper: post annum quinquagesimum fœcun- 59
ditas omnium conquiescit: nam in annum octogesimum viri generant, sicuti Masinissa rex Mathumannum filium LXXX & sextum annum agens genuit. Cato octogesimo exacto, ex filia Saloni clientis sui avum Uticensis Catonis procreavit. Com- 60
pertum & illud est, quod inter duos conceptus cum intercessit paululum temporis, uterque residet, sicut in Hercule & Iphicle apparuit, fratre ejus, qui gestati eodem onere, intervallis tamen,

61 quibus concepti fuerant, nati videntur. Et de Pro-
conenſi ancilla, quæ e duplici adulterio geminos
edidit, utrumque patri ſuo ſimilem. Hic Iphicles
Jolaum creat, qui Sardiniam ingreſſus, palantes in-
colarum animos ad concordiam eblanditus, Ol-
biam, atque alia Græca oppida exſtruxit. Jolenſes
ab eo dicti, ſepulcro ejus templum addiderunt,
quod imitatus virtutem patrui, malis plurimis Sar-
62 diniam liberaſſet. Ante omnia ſobolem cogitanti-
bus ſternutatio poſt coitus cavenda, ne prius ſe-
men excutiat impulſus repentinus, quam penetra-
libus ſe matris inſinuet humor paternus. Quod ſi
naturalis materia hæſerit, decimus a conceptu dies
dolore gravidas admonebit.. Jam inde incipiet &
capitis inquietudo, & caligine viſus hebetabitur.
Ciborum quoque faſtidiis ſtomachi claudetur cu-
pido. Convenit inter omnes, corda primum ex
univerſa formari carne, eaque in diem quintum
& ſexageſimum creſcere, dein minui: ex oſſibus
ſpinas: ea propter capital eſt, ſi pars alterutra no-
63 ceatur. Plane ſi corpuſculum in marem figuretur,
melior eſt color gravidis, & pronior partitudo
uteri. Denique a quadrageſimo die motus. Alter
ſexus nonageſimo primum die palpitat. Et con-
cepta femina geſtantis vultum pallore inficit: cru-
64 ra quoque præpedit languida tarditate. In utro-
que ſexu cum capilli germinant, incommodum
majus eſt: fitque pleniluniis auctior ægritudo,
quod tempus etiam editis ſemper nocet. Cum ſal-
ſiores eſcas edit gravida, unguiculis caret partus.
65 At cum prope ad uterum liberandum venerint mo-

menta maturitatis, enitenti ſpiritum retinere plurimum congruit, quandoquidem letali mora oſcitatio ſuſpendit puerperia. Contra naturam eſt, in pedes procedere naſcentes: quapropter velut ægre parti appellantur Agrippæ. Ita editi minus proſpere vivunt, & de vita ævo brevi cedunt. Denique 66
in uno Marco Agrippa felicitatis exemplum eſt, nec tamen uſque eo inoffenſæ, ut non plura adverſa pertulerit, quam ſecunda: nam & miſera pedum valetudine, & aperto conjugis adulterio, & aliquot infelicitatis notis præpoſteri ortus omen luit. Feminis perinde eſt infauſta nativitas, ſi con- 67
cretum virginal fuerit, quo pacto genitalia fuere Corneliæ, quæ editis Gracchis oſtentum hoc piavit ſiniſtro exitu liberorum. Rurſum, necatis ma- 68
tribus, natus eſt auſpicatior, ſicut Scipio Africanus prior, qui, defuncta parente, quod exciſus utero in diem venerat, primus Romanorum Cæſar dictus eſt. E geminis; ſi remanente altero, alter abor- 69
tivo fluxu exciderit, alter, qui legitime natus eſt, Vopiſcus nominatur. Quidam & cum dentibus pro- 70
creantur, ut Cneus Papyrius Carbo, & M. Curius, Dentatus ob id cognominatus. Quidam vice dentium continui oſſis armantur ſoliditate, qualem filium Bithynorum rex Pruſias habuit. Ipſum den- 71
tium numerum diſcernit qualitas ſexus, cum in viris plures ſint, in feminis pauciores. Quos κυνόδοντας vocant, quibus gemini procedunt ab dextera parte, fortunæ blandimenta promittunt: quibus ab læva, verſa vice. Naſcentium vox prima 72
vagitus eſt: lætitiæ enim ſenſus differtur in qua-

dragesimum diem. Itaque unum novimus, eadem hora risisse, qua erat natus, scilicet Zoroastrem, mox optimarum artium peritissimum. At Crassus avus ejus, quem rapuerunt bella Parthica, quod
73 nunquam riserit, Agelastus cognominabatur. Inter alia Socratis magna, præclarum illud est, quod in eodem vultus tenore etiam adversis interpellantibus perstitit. Heraclitus & Diogenes Cynicus nihil unquam de rigore animi remiserunt, calcatisque turbinibus fortuitorum, adversum omnem dolorem vel misericordiam uniformi duravere pro-
74 posito. Pomponium poetam consularem virum nunquam ructasse, habetur inter exempla. Antoniam Drusi non spuisse, percelebre est. Nonnullos nasci accepimus concretis ossibus, eosque neque sudare, neque consuesse sitire, qualis Syracusanus Lygdamis fertur, qui tertia & tricesima Olympiade primus ex Olympico certamine pancratii coronam reportavit; cujusque ossa deprehensa sunt medul-
75 lam non habere. Maximam virium substantiam nervos facere certissimum est, quantoque fuerint densiores, tanto propensius augescere firmitatem. Varro in relatione prodigiosæ fortitudinis annotavit, Trittannum gladiatorem natura Samnitem fuisse, qui, & rectis & transversis nervis, non modo crate pectoris, sed & manibus cancellatis, & brachiis, omnes adversarios levi tactu, pæne securis con-
76 gressionibus vicerit. Ejus filium, militem Cnei Pompeji pari modo natum, ita sprevisse hostem provocantem, ut inermi eum dextra & superaret, & captum digito uno in castra imperatoris sui re-

portaret. Milonem quoque Crotonienſem egiſſe omnia, ſupra quam homo valet. Etiam hoc proditur, quod ictu nudæ manus taurum fecit victimam: eumque ſolidum, qua mactaverat die, abſumſit ſolus non gravatim. Super hoc nihil dubium: nam factum elogium exſtat. Victor ille omnium certami- 77
num quæ obivit, alectoria uſus traditur, qui lapis ſpecie cryſtallina, fabæ modo, in gallinaceorum ventriculis invenitur, aptus, ut dicunt, prœliantibus. Milon porro Tarquinii Priſci temporibus emicuit. Jam vero qui deflexum animum refe- 78
rat ad ſimilitudinum cauſas, quantum artificis naturæ ingenium deprehendet? Interdum enim ad genus ſpectant, & per ſobolem in familias tranſitus faciunt: ſicut plerumque parvuli modo nævos, modo cicatrices, modo qualeſcunque originis ſuæ notas ferunt: ut in Lepidis, quorum tres, intervulſa tamen ſerie, ex eadem domo, obducto membrana oculo, ſimiles geniti reperiuntur: vel in By- 79
zantino nobili pugile, qui, cum matrem haberet adulterio ex æthiope conceptam, quæ nihil patri comparandum reddidiſſet, ipſe æthiopem avum regeneravit. Sed hoc minus mirum, ſi reſpiciamus 80
ad ea, quæ ſpectata ſunt inter externos. Regem Antiochum Artemon quidam e plebe Syriatica ſic facie æmula mentiebatur, ut poſtmodum Laodice uxor regia, objecto populari iſto, tamdiu diſſimulaverit defunctum maritum, quoad ex arbitratu ejus regni ſucceſſor ordinaretur. Inter Cneum Pom- 81
pejum & Cn. Vibium, humili loco natum, tantus error exſtitit de paribus lineamentis, ut Romani

Vibium Pompeji nomine, Pompejum Vibii vocabulo cognominarent. Oratorem Lucium Plancum Rubrius hiſtrio ſic implevit, ut & ipſe Plancus a
82 populo vocaretur. Armentarius myrmillo, & Caſſius Severus orator, ita ſe mutuo reddiderunt, ut, ſi quando pariter viderentur, dignoſci non poſſent, niſi diſcrepantiam habitus indicaret. Marcus Meſſalla Cenſorius & Menogenes, e fæce vulgari, hoc fuerunt uterque, quod ſinguli, nec alium Meſſallam, quam Menogenem, nec Menogenem alium,
83 quam Meſſallam putaverunt. Piſcator ex Sicilia, proconſuli Syriæ præter alia etiam rictu oris comparabatur: ita in eadem vocis impedimenta, & tardatæ ſonum linguæ naturalibus offendiculis congruebant. Interdum non modo inter externos, ſed etiam inter conductos ex diverſiſſima parte orbis
84 miraculo indiſcreti vultus fuere. Denique cum Antonio jam triumviro Thoranius quidam eximios forma pueros, velut geminos, trecentis ſeſtertiis vendidiſſet, quorum alterum de Tranſalpina Gallia, alterum ex Aſia comparaverat, adeoque una res viderentur, ut ſolus ſermo fidem pan-
85 deret, atque ideo inriſum ſe Antonius gravaretur, non infacete Thoranius, id vel præcipue, quod emtor criminabatur, pretioſius probavit: neque enim mirum, ſi forent pares gemini: illud nullis poſſe taxationibus æſtimari, quod tantis ſpatiis diverſitas ſeparata, plus quam geminos attuliſſet.
86 Quo reſponſo adeo Antonius mitigatus eſt, ut deinceps nihil ſe habere carius in ſubſtantia jactita-
87 ret. Nunc ſi de ipſis hominum formis requira-

mus, liquido manifeſtabitur, nihil de ſe antiqui-
tatem mendaciter prædicaſſe, ſed corruptam dege-
neri ſucceſſione ſobolem noſtri temporis per naſ-
centium detrimenta decus veteris proceritudinis
perdidiſſe. Licet ergo plerique definiant, nullum 88
poſſe excedere longitudinem pedum ſeptem, quod
intra menſuram iſtam Hercules fuerit, deprehen-
ſum tamen eſt Romanis temporibus ſub divo
Auguſto, Puſionem & Secundillam denos pedes
& amplius habuiſſe proceritatis, quorum reliquiæ
adhuc in conditorio Salluſtianorum videntur: poſt- 89
modum divo Claudio principe Gabbaram nomi-
ne, ex Arabia advectum, novem pedum & to-
tidem unciarum. Sed ante Auguſtum annis mille
ferme non apparuit forma hujuſmodi, ſicut nec
poſt Claudium viſa eſt. Quis enim jam ævo iſto 90
non minor parentibus ſuis naſcitur? Priſcorum au-
tem teſtantur molem etiam Oreſtis ſuprema, cujus
oſſa Olympiade quinquageſima & octava Tegeæ
inventa a Spartanis oraculo monitis, diſcimus im-
pleſſe longitudinem cubitorum ſeptem. Scripta quo- 91
que, quæ ex antiquitate memorias accerſunt in fi-
dem veri, hoc etiam receperunt, quod bello Cre-
tico, cum elata flumina plus quam vi amnica ter-
ras rupiſſent, poſt diſceſſum fluctuum inter pluri-
ma humi diſcidia humanum corpus repertum ſit
cubitûm trium atque triginta: cujus inſpectandi cu-
pidine L. Flaccum legatum, Metellum etiam ipſum
impendio captos miraculo, quod auditu refutave-
rant, oculis potitos. Non omiſerim Salamine Eu- 92
thymenis filium creviſſe in triennio tria cubita

ſublimitatis, ſed inceſſu tardum, ſenſu hebetem;
robuſta voce, pubertate feſtina, ſtatimque obſeſ-
ſum morbis plurimis, immoderatis ægritudinum
ſuppliciis compenſaſſe præcipitem incrementi ce-
93 leritatem. Menſuræ ratio bifariam convenit: nam
quantus manibus expanſis inter digitos longiſſimus
modus eſt, tantum conſtat eſſe inter calces & ver-
ticem. Ideoque phyſici hominem minorem mun-
94 dum judicaverunt. Parti dexteræ habilior adſcri-
bitur modus, lævæ firmitas major: unde altera
geſticulationibus promtior eſt, altera oneri feren-
95 do accommodatior. Pudoris diſciplinam etiam in-
ter defuncta corpora natura diſcrevit: ac ſi quan-
do cadavera necatorum fluctibus evehuntur, vi-
96 rorum ſupina, prona fluitant feminarum. Verum
ut ad pernicitatis titulum tranſeamus, primam pal-
mam velocitatis Ladas quidam adeptus eſt, qui ita
ſupra cavum pulverem curſitavit, ut in arenis pen-
97 dentibus nulla indicia relinqueret veſtigiorum. Po-
lymneſtor Mileſius puer, cum a matre locatus eſ-
ſet ad caprarios paſtus, ludicro leporem conſecu-
tus eſt, & ob id ſtatim productus a gregis domi-
no, Olympiade ſexta & quadrageſima, ut Boc-
chus auctor eſt, victor in ſtadio meruit coronam.
98 Philippides biduo mille ducenta quadraginta ſta-
dia ab Athenis Lacedæmonem decucurrit. Anyſtis
Lacon, & Philonides, Alexandri Magni curſores,
Elin ab uſque Sicyone mille ducenta ſtadia uno die
99 tranſierunt. Fontejo Vipſanioque conſulibus, in
Italia novem annos puer natus, quinque & LXX
millia paſſuum a meridie tranſivit ad veſperum. Vi-

ſu deinde plurimum potuit Strabo nomine, quem perſpexiſſe per centum XXXV millia paſſuum, Varro ſignificat, ſolitumque exeunte e Carthagine claſſe Punica numerum navium manifeſtiſſime ex Lilybetana ſpecula notare. Cicero tradit Iliadam Ho- 100
meri ita ſubtiliter in membranis ſcriptam, ut teſta nucis clauderetur. Callicrates formicas ex ebore ſic ſcalpſit, ut portio earum a ceteris ſecerni nequiverit. Apollonides perhibet, in Scythia feminas 101
naſci, quæ Bityæ vocantur, eas in oculis pupillas geminas habere, & perimere viſu, ſi forte quem iratæ aſpexerint. Prævaluiſſe fortitudine apud Ro- 102
manos L. Sicinium Dentatum, titulorum numerus oſtendit. Tribunus hic plebi fuit non multo poſt exactos reges, Spurio Tarpejo, A. Haterio, conſulibus. Idem ex provocatione octies victor, quadraginta & quinque adverſas habuit cicatrices, in tergo nullam notam: & ſpolia ex hoſte tricies & quater cepit. In phaleris, haſtis puris, armillis, co- 103
ronis, trecenta duodecim dona meruit: novem imperatores, qui opera ejus vicerant, triumphantes proſecutus. Poſt hunc Marcus Sergius duobus ſti- 104
pendiis primis adverſo corpore ter & vicies vulneratus: ſecundo ſtipendio in prœlio dextram perdidit. Qua de cauſa poſtea ſibi manum ferream fecit: & cum neutra pæne idonea ad prœliandum valeret, una die quater pugnavit, & vicit ſiniſtra, duobus equis eo inſidente confoſſis. Ab Han- 105
nibale bis captus refugit, cum viginti menſibus, quibus captivitatis ſortem perferebat, nullo momento ſine compedibus fuerit & catenis. Omnibus

asperrimis prœliis, quæ tempestate illa Romani
experti sunt insignitus donis militaribus, a Thra-
symeno, Trebia, Ticinoque coronas civicas re-
tulit: Cannensi quoque prœlio, de quo refugisse
eximium opus virtutis fuit, solus accepit coronam.
Beatus profecto tot suffragiis gloriarum, nisi heres
in posteritatis ejus successione Catilina tantas ado-
106 reas odio damnati nominis obumbrasset. Quantum
inter milites Sicinius, aut Sergius, tantum inter du-
ces, immo, ut verius dicam, inter omnes homi-
nes, Cæsar dictator enituit. Hujus ductibus unde-
cies centum triginta & duo millia cæsa sunt ho-
stium: nam quantum bellis civilibus fuderit, no-
107 luit annotari. Signis collatis quinquagies & bis di-
micavit: M. Marcellum solus supergressus, qui no-
vies & tricies pari modo fuerat prœliatus. Ad hæc
nullus celerius scripsit: nemo velocius legit. Qua-
ternas etiam epistolas perhibetur simul dictasse. Be-
nignitate adeo præditus, ut quos armis subegerat,
108 clementia magis vicerit. Cyrus memoriæ bono in-
claruit, qui in exercitu, cui numerosissimo præ-
fuit, nominatim singulos alloquebatur. Fecit hoc
idem in populo Romano L. Scipio. Sed & Cyrum
109 & Scipionem consuetudine credamus profecisse. Ci-
neas Pyrrhi legatus postero die, quam ingressus
Romam fuerat, & equestrem ordinem & senatum
propriis nominibus salutavit. Rex Ponticus Mi-
thridates duabus & viginti gentibus, quibus impe-
ritabat, sine interprete jura dixit. Memoriam & arte
fieri palam factum est, sicut Metrodorus philoso-
phus, qui temporibus Diogenis Cynici fuit, in

tantum ſe meditatione aſſidua provexit, ut a mul-
tis ſimul dicta, non modo ſenſuum, ſed etiam ver-
borum ordinibus detineret. Nihil tamen in homine 110
aut metu, aut caſu, aut morbo facilius intercipi,
ſæpe perſpectum eſt. Qui lapide ictus fuerat, ac-
cepimus oblitum literarum. Meſſallam certe Corvi-
num poſt ægritudinem, quam pertulerat, percuſ-
ſum proprii nominis oblivione, quamlibet alias ei
ſenſus vigeret. Memoriam metus perimit: invicem 111
vocis interdum eſt incitamentum, quam non ſo-
lum acuit, ſed etiam, ſi nunquam fuerit, extor-
quet. Denique cum Olympiade octava & quinqua- 112
geſima victor Cyrus intraſſet Sardis Aſiæ oppidum,
ubi tunc Crœſus latebat; Atys filius regis, mutus ad
id locorum, in vocem erupit vi timoris: exclamaſ-
ſe enim dicitur, Parce patri meo, Cyre, & homi-
nem te eſſe vel caſibus diſce noſtris. Tractare de 113
moribus ſupereſt, quorum excellentia maxime in
duobus enituit. Cato princeps Porciæ gentis, ſenator
optimus, imperator optimus, optimus orator, cau-
ſam tamen quadragies & quater dixit, diverſis odio-
rum ſimultatibus appetitus, ſemper abſolutus. Un- 114
de Scipionis Æmiliani laus propenſior, qui præ-
ter bona, quibus Cato clarus fuit, etiam publico
amore præceſſit. Vir optimus Naſica Scipio judi- 115
catus eſt, non privato tantum teſtimonio, ſed to-
tius ſenatus ſacramento: quippe quod inventus
dignior non fuit, cui præcipuæ religionis credere-
tur miniſterium, cum oraculum moneret arceſſi ſa-
cra deûm matris Peſſinunte. Plurimi inter Roma- 116
nos eloquentia floruerunt; ſed hoc bonum here-

ditarium nunquam fuit, nisi in familia Curionum;
117 in qua tres serie continua oratores fuere. Magnum hoc habitum est sane eo seculo, quo facundiam præcipue & humana & divina mirata sunt: quippe tunc percussores Archilochi poetæ Apollo prodidit, & latronum facinus deo coarguente
118 detectum. Cumque Lysander Lacedæmonius Athenas obsideret, ubi Sophoclis tragici inhumatum corpus jacebat, identidem Liber pater ducem mo-
119 nuit per quietem, sepeliri delicias suas sineret: nec prius destitit, quam Lysander cognito qui obisset diem, & quid a numine posceretur, inducias bello daret, usque dum congruæ supremis talibus ex-
120 sequiæ ducerentur. Pindarum lyricum e convivii loco, cui imminebat ruina, ne cum ceteris interiret, forinsecus Castor & Pollux vocarunt, inspectantibus universis: quo effectum, ut solus impen-
121 dens periculum evaderet. Numerandus post Deos Cn. Pompejus Magnus, intraturus Posidonii domum, clarissimi tunc sapientiæ professoris, percuti ex more a lictore fores vetuit, submissisque fascibus, quàmlibet confectò Mithridatico bello, & orientis victor, sententia propria cessit januæ lite-
122 rarum. Africanus prior Quinti Ennii statuam imponi sepulcro suo jussit. Uticensis Cato unum ex tribunatu militum philosophum, alium ex Cypria legatione Romam advexit, professus, plurimum se eo facto senatui & populo còntulisse, quamlibet proavus ejus sæpissime censuisset Græcos Urbe
123 pellendos. Dionysius tyrannus vittatam navem Platoni obviam misit: ipse, cum albis quadrigis egre-

dientem in litore occurrens honoratus eſt. Per-
fectam prudentiam ſoli Socrati oraculum Delphi-
cum adjudicavit. Pietatis documentum nobilius qui- 124
dem in Metellorum domo refulſit, ſed eminentiſſi-
mum in plebeja puerpera reperitur. Humilis hæc,
atque ideo famæ obſcurioris, cum ad patrem, qui
ſupplicii cauſa clauſtris pœnalibus continebatur,
ægre obtinuiſſet ingreſſus, exquiſita ſæpius a jani-
toribus, ne forte parenti cibum ſubminiſtraret, ale-
re eum uberibus ſuis deprehenſa eſt: quæ res & 125
locum & factum conſecravit: nam qui morti de-
ſtinabatur, donatus filiæ, in memoriam tanti præ-
conii reſervatus eſt: locus dicatus ſuo numini,
Pietatis ſacellum eſt. Navis a Phrygia gerula ſa- 126
crorum, dum ſequitur vittas caſtitatis, contulit
Claudiæ principatum pudicitiæ. At Sulpitia Pater-
culi filia, M. Fulvii Flacci uxor, cenſura omnium
matronarum e centum probatiſſimis haud temere
dilecta eſt, quæ ſimulacrum Veneris, ut Sibyllini
libri monebant, dedicaret. Quod attinet ad titulum 127
felicitatis, necdum repertus eſt, qui felix cenſeri
jure debuerit: namque Cornelius Sulla dictus po-
tius eſt, quam fuit felix. Solum certe beatum cor-
tina Aglaum judicavit, qui in anguſtiſſimo Arcadiæ
angulo pauperis ſoli dominus, nunquam egreſſus
paterni ceſpitis terminos invenitur.

CAPUT II.

De Italia. In ea de boa angue, de lupis, de lyncibus, de lyngurio lapide, de lapide curalio, de gemma Syrtite, de Vejentana gemma, de mutis cicadis, de Diomedis avibus.

1 DE homine satis dictum habeo. Nunc, ut ad destinatum revertamur, ad locorum commemorationem stilus dirigendus est, atque adeo principaliter in Italiam, cujus decus jam in Urbe contigi-
2 mus. Sed Italia tanta cura omnibus dicta, præcipue M. Catoni, ut jam inveniri non possit, quod non veterum auctorum præsumserit diligentia, largiter in laudem excellentis terræ materia suppetente, dum scriptores præstantissimi reputant locorum salubritatem, cæli temperiem, ubertatem soli, aprica collium, opaca nemorum, innoxios saltus, vitium olearumque proventus, nobilia pecuaria, tot am-
3 nes, lacus tantos, bifera violaria, inter hæc Vesuvium flagrantis animæ spiritu vaporantem, tepentes fontibus Bajas, colonias tam frequentes, tam assiduam novarum urbium gratiam, tam clarum decus veterum oppidorum, quæ primum Aborigines, Aurunci, Pelasgi, Arcades, Siculi, totius postremo Græciæ advenæ, & in summa, victores
4 Romani condiderunt: ad hæc laterum portuosa, orasque patentibus gremiis commercio orbis accommodatas. Verum ne prorsus intacta videatur, in ea, quæ minus trita sunt, animum intendere haud

absurdum videtur, & parcius depavita levibus ve-
stigiis inviare: nam quis ignorat vel dicta, vel 5
condita, a Jano Janiculum, a Saturno Latium, at-
que Saturniam, a Danae Ardeam, a comitibus Her-
culis Polieon, ab ipso in Campania Pompejos, quia
victor ex Hispania pompam boum duxerat? In Li- 6
guria quoque lapidarios campos, quod ibi eo di-
micante creduntur pluvisse saxa: regionem Joni-
cam ab Jone Naulochi filia, quam procaciter insi-
dentem vias Hercules, ut ferunt, interemit: Ar-
chippen a Marsya rege Lydorum, quod hiatu ter-
ræ haustum, dissolutum est in lacum Fucinum:
ab Jasone templum Junonis Argivæ: a Pelopidis 7
Pisas: a Cleolao, Minois filio, Daunios: Japygas
a Japyge Dædali filio: Tyrrhenos a Tyrrheno Ly-
diæ rege: Coram a Dardanis: Agyllam a Pelasgis,
qui primi in Latium literas intulerunt: ab Haleso
Argivo Phaliscam: a Phalerio Argivo Phalerios:
Fescenninum quoque ab Argivis: portum Parthe- 8
nium a Phocensibus: Tibur, sicut Cato facit testi-
monium, a Catillo Arcade præfecto classis Evan-
dri; sicut Sextius, ab Argiva juventute. Catillus
enim Amphiarai filius, post prodigialem patris apud
Thebas interitum Œclei avi jussu, cum omni fœ-
tu ver sacrum missus tres liberos in Italia procrea-
vit, Tiburtum, Coram, Catillum, qui depulsis ex
oppido Siciliæ veteribus Sicanis, a nomine Tibur-
ti fratris natu maximi urbem vocaverunt. Mox in 9
Bruttiis ab Ulyxe exstructum templum Minervæ.
Insula Ligea appellata ab ejecto ibi corpore Sire-
nis ita nominatæ: Parthenope a Parthenopæ Si-

renis ſepulcro, quam Auguſtus poſtea Neapolin
eſſe maluit. Præneſte, ut Zenodotus, a Præneſte
Ulyxis nepote Latini filio: ut Præneſtini ſonant
libri, a Cæculo, quem juxta ignes fortuitos inve-
10 nerunt, ut fama eſt, Digitorum ſorores. Notum
eſt, a Philoctetа Petiliam conſtitutam: Arpos &
Beneventum a Diomede, Patavium ab Antenore,
Metapontum a Pyliis, Scyllaceum ab Athenienſi-
bus, Sybarim a Trœzeniis, & a Sagari Ajacis Lo-
cri filio, Salentinos a Lyctiis, Anconam a Siculis,
Gabios a Galato & Bio, Siculis fratribus; ab He-
raclidis Tarentum, inſulam Tenſam ab Jonibus,
Pæſtum a Dorenſibus: a Myſcello Achæo Croto-
nam, Regium a Chalcidenſibus, Cauloniam & Te-
rinam a Crotonienſibus, a Nariciis Locros, He-
retum a Græcis in honorem Heræ: ſic enim Ju-
nonem Græci vocant: Ariciam ab Archilocho Si-
culo, unde & nomen, ut Heminæ placet, tractum.
11 Hoc in loco Oreſtes oraculo monitus ſimulacrum
Scythicæ Dianæ, quod de Taurica extulerat, prius
quam Argos peteret, conſecravit. A Zanclenſibus
Metaurum locatum, a Locrenſibus Metapontum,
quod nunc Vibo dicitur. Bocchus abſolvit Gallo-
rum veterem propaginem Umbros eſſe: Marcus An-
tonius refert eoſdem, quod tempore aquoſæ cla-
dis imbribus ſuperfuerint, Umbrios Græce nomi-
12 natos. Liciniano placet, a Meſſappo Græco Meſ-
ſappiæ datam originem, verſam poſtmodum in
nomen Calabriæ, quam in exordio Œnotri frater
13 Peucetius Peucetiam nominarat. Par ſententia eſt
inter auctores, a gubernatore Æneæ appellatum Pa-

linurum, a tubicine Misenum, a consobrina Leucosiam insulam, a nutrice Cajetam, ab uxore Lavinium, quod post Trojæ excidium, sicut Cosconius perhibet, quarto anno exstructum est. Nec 14
omissum sit, Æneam æstate ab Ilio capto secunda, Italicis litoribus appulsum, ut Hemina tradit, sociis non amplius sexcentis, in agro Laurenti posuisse castra: ubi dum simulacrum, quod secum ex Sicilia advexerat, dedicat Veneri matri, quæ Frutis dicitur, a Diomede Palladium suscipit, tribusque mox annis cum Latino regnat socia potestate, quingentis jugeribus ab eo acceptis: quo de- 15
functo, summam biennio adeptus, apud Numicum parere desivit anno septimo, Patrisque Indigetis ei nomen datum. Deinde constituta ab Ascanio lon- 16
ga Alba, Fidenæ, Antium, Nola a Tyriis, ab Euboeensibus Cumæ: ibidem Sibyllæ sacellum est, sed ejus, quæ rebus Romanis quinquagesima Olympiade interfuit, cujusque librum ad Cornelium usque Sullam pontifices nostri consulebant: tunc 17
enim una cum Capitolio igni absumtus est: nam priores duo, Tarquinio Superbo parcius pretium offerente quam postulabatur, ipsa exusserat. Hujus sepulcrum in Sicilia adhuc manet. Delphicam 18
autem Sibyllam ante Trojana bella vaticinatam Bocchus autumat, cujus plurimos versus operi suo Homerum inseruisse manifestat. Hanc Herophile Erythrea annis aliquot intercedentibus consecuta est, Sibyllaque appellata est de scientiæ parilitate, quæ inter alia magnifica Lesbios amissuros imperium maris multo ante præmonuit, quam id

19 accideret. Ita Cumanam tertio fuisse post has loco,
ipsa ævi series probat. Ergo Italia, in qua Latium
antiquum antea a Tiberis ostiis ad usque Lirim am-
nem pertinebat, universa consurgit a jugis Alpium,
porrecta ad Rheginum verticem, & litora Bruttio-
rum, quo in maria meridiem versus protenditur.
20 Inde procedens paulatim, se Apennini montis dor-
so attollit, extenta inter Tuscum & Adriaticum,
id est, inter superum mare & inferum, similis quer-
neo folio, proceritate amplior, quam latitudine.
21 Ubi longius abiit, in cornua duo scinditur, quo-
rum alterum Jonium respectat æquor, alterum Si-
culum. Inter quas prominentias non uno margine
accessum insinuati freti recipit, sed linguis projec-
tis sæpius, ac procurrentibus, distinctum promon-
22 toriis pelagus accipit. Ibi, ut sparsim notemus, ar-
ces Tarentinæ, Scyllacea regio cum Scylleo op-
pido, & Cratæide flumine Scyllæ matre, ut ve-
tustas fabulata est, Regini saltus, Pæstanæ val-
les, Sirenum saxa, amœnissimus Campaniæ trac-
tus, Phlegræi campi, Circæ domus, Tarracina in-
sula ante circumflua immenso mari, nunc ævo
nectente addita continenti, diversamque fortunam
a Reginis experta, quos fretum medium a Siculis
23 vi abscidit: Formiæ etiam Læstrigonibus habitatæ,
multa præterea pollentissimis ingeniis edissertata,
quæ præterire, quam inferius exsequi, tutius duxi-
mus. Verum Italiæ longitudo, quæ ab Augusta præ-
toria per Urbem Capuamque porrigitur usque ad
oppidum Regium, decies centena & viginti millia
passuum colligit: latitudo ubi plurimum quadrin-

genta decem: ubi minimum, centum XXXVI: arc-
tissima est ad portum, quem Hannibalis castra di-
cunt: neque enim excedit quadraginta millia. Um-
bilicum, ut Varro tradit, in agro Reatino habet.
At in solidum spatium circuitus universi vicies qua-
dragies noviesque centena sunt. In quo ambitu ad- 24
versa Locrensium fronte ortus a Gadibus finitur
Europæ sinus primus: nam secundus a Lacinio au-
spicatus, in Acroceraunio metas habet. Ad hæc Ita- 25
lia Pado clara est, quem mons Vesulus superantis-
simus inter juga Alpium gremio suo fundit, visen-
do fonte in Ligurum finibus, unde se primum Padus
proruit, subversusque cuniculo rursus in agro Vi-
bonensi extollitur, nulli amnium inferior claritate,
a Græcis dictus Eridanus. Intumescit exortu canis
tabefactis nivibus, & liquentibus brumæ pruinis,
auctusque aquarum accessione, XXX flumina in
Adriaticum defert mare. E memorabilibus incly- 26
tum & insigniter per omnium vulgatum ora, quod
perpaucæ familiæ sunt in agro Faliscorum, quos
Hirpos vocant. Hi sacrificium annuum ad montem
Soractis Apollini faciunt: id operantes gesticula-
tionibus religiosis, impune insultrant ardentibus lig-
norum struibus, in honorem divinæ rei flammis
parcentibus. Cujus devotionis mysterium munifi-
centia senatus honorata, Hirpis perpetuo consulto
omnium munerum vacationem dedit. Gentem Mar- 27
sorum serpentibus illæsam esse, nihil mirum: a Cir-
cæ filio hi genus ducunt, & de avita potentia de-
beri sibi sciunt servitium venenorum: ideo vene-
na contemnunt. Cœlius Æetæ tres filias dicit, An- 28

gitiam, Medeam, & Circen: Circen Circejos inſe-
diſſe montes, carminum maleficiis varias imaginum
29 facies mentientem: Angitiam vicina Fucino occu-
paviſſe, ibique ſalubri ſcientia adverſus morbos re-
ſiſtentem, cum dediſſet hominem vivere, deam ha-
30 bitam: Medeam ab Jaſone Buthroti ſepultam, fi-
31 liumque ejus Marſis imperaſſe. Sed quamvis Italia
habeat hoc præſidium familiare, a ſerpentibus non
32 penitus libera eſt. Denique Amunclas, quas Amy-
clas ante Græci condiderant, ſerpentes fugavere.
Illic frequens vipera inſanabili morſu: brevior hæc
ceteris, quam in aliis advertimus orbis partibus,
ac propterea, dum deſpectui eſt, facilius nocet.
33 Calabria chelydris frequentiſſima, & boam gignit,
quem anguem ad immenſam molem ferunt conva-
leſcere. Captat primo greges bubulos, & quæ plu-
rimo lacte rigua bos eſt, ejus ſe uberibus innec-
tit, ſuctuque continuo ſaginata longo in ſeculo,
ita ſellebri ſatietate ultimo extuberatur, ut obſiſte-
re magnitudini ejus nulla vis queat: & poſtremo
depopulatis animantibus regiones, quas obſederit,
34 cogit ad vaſtitatem. Denique Divo Claudio prin-
cipe, ubi Vaticanus ager eſt, in alvo occiſæ boæ
35 ſpectatus eſt ſolidus infans. Italia lupos habet, &
quod cum ceteris ſimile non ſit, homo, quem prius
viderint, conticeſcit, & anticipatus obtutu nocen-
tis aſpectus, licet clamandi voluntatem habeat,
36 non habet vocis miniſterium. Sciens de lupis mul-
ta prætereo. Spectatiſſimum illud eſt: caudæ ani-
malis hujus villus amatorius ineſt perexiguus, quem
ſpontivo damno amittit, cum capi metuit: nec ha-

bet potentiam, niſi viventi detrahatur. Coeunt lupi toto anno non amplius dies XII. Veſcuntur in fame terram. At hi, quos cervarios dicimus, quam- 37
vis poſt longa jejunia repertas ægre carnes mandere cœperint, ubi quid caſu reſpiciunt, obliviſcuntur, & immemores præſentis copiæ eunt quæſitum quam reliquerant ſatietatem. In hoc ani- 38
malium genere nominantur & lynces, quarum urinas coire in duritiem pretioſi calculi fatentur, qui naturas lapidum exquiſitius ſunt perſecuti. Iſtud etiam ipſas lynces perſentiſcere hoc documento probatur, quod egeſtum liquorem illico arenarum tumulis, quantum valent, contegunt, invidæ ſcilicet, ne talis egeries tranſeat in noſtrum uſum, ut Theophraſtus perhibet. Lapidi iſti ad ſuccinum co- 39
lor eſt, pariter ſpiritu attrahit propinquantia, dolores renum placat, medetur regio morbo, Græce lyngurium dicitur. Cicadæ apud Rheginos mutæ, 40
nec uſquam alibi: quod ſilentium miraculo eſt, nec immerito, cum vicinæ quæ ſunt Locrenſium, ultra ceteras ſonent. Cauſas Granius tradit, cum obmurmurarent illic Herculi quieſcenti, deum juſſiſſe, ne ſtreperent: itaque ex eo coeptum ſilentium permanere. Liguſticum mare frutices procreat, 41
qui quantiſper fuerint in aquarum profundis fluxi ſunt, tactu prope carnulento: deinde, ubi in ſupera attolluntur, natalibus ſaxis derogati, lapides fiunt: nec qualitas illis tantum ſed & color vertitur: nam puniceo protinus rubeſcunt. Ramuli ſunt, quales arboris viſimus, ad ſemipedem frequentius longi. Rarum eſt pedaneos deprehendi. 42

Excuduntur ex illis multa geſtamina. Habet enim,
ut Zoroaſtres ait, materia hæc quandam poteſta-
tem, ac propterea, quidquid inde fit, ducitur in-
43 ter ſalutaria. Curalium alias dicunt: nam Metro-
dorus Gorgian nominat. Idem quod reſiſtat ty-
phonibus & fulminibus affirmat. Eruitur gemma
in parte Lucaniæ, facie adeo jucunda, ut languen-
tes intrinſecus ſtellas, & ſubnubilo renidentes,
croceo colore perfundat. Ea quoniam in litore
Syrtium inventa primum eſt, Syrtites vocatur.
44 Eſt & Vejetana a loco dicta, cui nigricolor facies
propria, quam ad gratiam varietatis albi limites
45 interſecant notis candicantibus. Inſula, quæ Apu-
liæ oram videt, tumulo ac delubro Diomedis in-
ſignis eſt, & Diomedeas aves ſola nutrit: nam
hoc genus alitis præterquam ibi nuſquam gentium
eſt, idque ſolum poterat memorabile judicari, niſi
accederent non omittenda. Forma illis pæne quæ
fulicis, color candidus, ignei oculi, ora dentata:
46 congreges volitant, nec ſine ratione pergendi: du-
ces duo ſunt, qui regant curſum; alter agmen an-
teit, alter inſequitur: ille ut ductu certum iter di-
rigat, hic ut inſtantia urgeat tarditatem. Hæc in
47 meantibus diſciplina eſt. Cum fœtificum adeſt tem-
pus, roſtro ſcrobes excavant: deinde ſurculis in-
verſum ſuperpoſitis, imitantur texta cratium: ſic
contegunt ſubtercavata, & ne operimenta deſint,
ſi forte lignorum caſſa venti auferunt, hanc ſtrui-
cem comprimunt terra, quam egeſſerant, cum pu-
48 teos excitaſſent. Sic nidos moliuntur bifori acceſ-
ſu, nec fortuitu: adeo ut ad plagas cæli meten-

tur exitus, vel ingressus: aditus, qui mittit ad pa-
stus, in ortum destinatur: qui excipit reverten-
tes, versus occasui est: ut lux & morantes ex-
citet, & receptui non denegetur. Levaturæ alvum
adversis flatibus subvolant, quibus proluvies lon-
gius auferatur. Judicant inter advenas: qui Græ- 49
cus est, propius accedunt, & quantum intelligi da-
tur, ut civem blandius adulantur: si quis erit gen-
tis alterius, involant & impugnant. Ædem sacram
omni die celebrant studio ejusmodi: aquis imbuunt
plumas, alisque impendio madefactis confluunt ro-
rulentæ: ita ædem excusso humore purificant: tunc
pinnulis superplaudunt: inde disceditur quasi per-
acta religione. Ob hoc credunt Diomedis socios 50
aves factos. Sane ante adventum Ætoli ducis no-
men Diomediæ non habebant, inde sic dictæ. Ita- 51
licus excursus per Liburnos, quæ gens Asiatica
est, procedit in Dalmatiæ pedem, Dalmatia in li-
mitem Illyricum, in quo sinu Dardani sedes ha-
bent, homines ex Trojana prosapia in mores bar-
baros efferati. At ex altera parte per Ligurum oram 52
in Narbonensem provinciam pergit, in qua Pho-
censes quondam fugati Persarum adventu, Mas-
siliam urbem Olympiade quadragesima quinta con-
diderunt. Et C. Marius bello Cimbrico factis ma- 53
nu fossis invitavit mare, perniciosamque ferventis
Rhodani navigationem temperavit: qui amnis præ-
cipitatus Alpibus primo per Helvetios ruit, oc-
cursantium aquarum agmina secum trahens, auc-
tuque magno, ipso quod invadit freto turbulen-
tior; nisi quod fretum ventis excitatur, Rhoda-

nus sævit & cum serenum est: atque ideo inter tres Europæ maximos fluvios & hunc computant.
54 Aquæ quoque Sextiliæ eo loco claruerunt, quondam hiberna consulis, postea excultæ mœnibus: quarum calor olim acrior, exhalatus per tempora evaporavit, nec jam par est famæ priori. Si Græcias cogitemus, præstat respicere litus Tarentinum: unde a promontorio, quod Acran Japygian vocant, Achajam destinantibus citissima navigatio est.

CAPUT III.

Corsica. In ea de catochite lapide.

1 FLECTENDUS hinc stilus est: terrarum vocant aliæ, & longum est, ut memoratim insularum omnium oras legamus, quascunque promontoria Italica prospectant: quamvis sparsæ recessibus amœnissimis, & quodam naturæ quasi spectaculo ex-
2 positæ, non erant omittendæ: sed quantum residendum est, si dilatis, quæ præcipua sunt, per quandam desidiam, aut Pandatariam, aut Prochytam dicamus, aut Iluam ferri feracem, aut Caprariam, quam Græci Αἴγιλον dicunt, aut Planasiam de facie supinitatis sic vocatam, vel Columbariam avium hoc nominis matrem, vel Ithacesiam Ulyxis, ut proditur, speculam, vel Enariam, Inarimen ab Homero nominatam, aliasque lætas non secus, inter quas Corsicam plurimi in dicendo latius circumvecti, plenissima narrandi absolverunt diligen-

tia, nihilque omiſſum, quod retractanti non ſit
ſupervacuum: ut exordium incolis Ligures dede- 3
rint, ut oppida ſtructa ſint, ut colonias ibi dedu-
xerint Marius & Sulla, ut ipſam Liguſtici ſinus
æquor alluat. Sed hæc faceſſant. Verum ager Cor- 4
ſicanus, quod in eo agro unicum eſt, ſolus edit,
quem κατοχίτην vocant, lapidem ſatu digniſſimum.
Major eſt ceteris, qui ad ornatum deſtinantur,
nec tam gemma, quam cautes. Idem impoſitas ma-
nus detinet, ita ſe junctis corporibus annectens, ut
cum ipſo hæreant, quibus tangitur; ſic ei ineſt
velut de glutino lentiore neſcio quid, parque gum-
mi. Accipimus Democritum Abderiten oſtentatio- 5
ne ſcrupuli hujus frequenter uſum, ad probandam
occultam naturæ potentiam in certaminibus, quæ
contra Magos habuit.

CAPUT IV.

Sardinia. In ea de ſolifuga, & herba, quæ Sardonia di-
citur. De admirandis aquarum viribus.

SARDINIA quoque, quam apud Timaeum Σαν- 1
δαλιῶτιν legimus, Ἰχνοῦσαν apud Criſpum, in quo
mari ſita ſit, quos incolarum auctores habeat, ſa-
tis celebre eſt. Nihil ergo attinet dicere, ut Sardus
Hercule, Norax Mercurio procreati, cum alter a Li-
bya, alter ab uſque Tarteſſo Hiſpaniæ, in hoſce
fines permeaviſſent, a Sardo terræ, a Norace No- 2
ræ oppido nomen datum. Mox Ariſtæum regnan-
do his proximum in urbe Caralis, quam condide-

rat ipſe, conjuncto populo utriuſque ſanguinis;
ſejuges uſque ad ſe gentes ad unum morem con-
jugaſſe, imperium ex inſolentia nihil aſpernatas.
Sed ut hæc & Jolaum, qui ad id locorum agros
3 ibi inſedit, præterea & Ilienſes, & Locrenſes trans-
eamus, Sardinia eſt quidem abſque ſerpentibus,
ſed quod aliis locis ſerpens, hoc ſoliſuga Sardis
agris. Animal perexiguum, qua aranei forma, ſo-
liſuga dicta, quod ſolem fugiat. In metallis argen-
tariis plurima eſt; nam ſolum illud argenti dives
eſt: occultim reptat, & per imprudentiam ſuper-
4 ſedentibus peſtem facit. Huic incommodo accedit
& herba Sardonia, quæ in defluviis fontaneis pro-
venit juſto largius. Ea ſi edulio fuerit neſcienti-
bus, nervos contrahit, rictu diducit ora, ut, qui
5 mortem oppetunt, facie ridentium intereant. Con-
tra quidquid aquarum eſt, varie commodis ſer-
vit. Stagna piſculentiſſima, hibernæ pluviæ in æſti-
vam penuriam reſervantur: nam homo Sardus
opem plurimam de imbrido cælo habet. Hoc col-
lectaneum depaſcitur, ut ſufficiat uſui, ubi defe-
6 cerint ſcaturigines. Fontes calidi & ſalubres ali-
quot locis effervеſcunt, qui medelas afferunt, aut
ſolidant oſſa fracta, aut abolent a ſoliſugis inſer-
tum venenum, aut etiam ocularias diſſipant ægri-
7 tudines: ſed qui oculis medentur, & coarguen-
dis valent furibus: nam quiſquis ſacramento rap-
tum negat, lumina aquis attrectat: ubi perjurium
non eſt, cernit clarius: ſi perfidia abnuit, detegi-
tur facinus cæcitate, & captus oculis admiſſum
tenebris fatetur.

CAPUT V.

Sicilia. In ea memorabilia ſoli, & aquarum. Item de achate lapide.

SI reſpiciamus ad ordinem temporum, vel lo- 1
corum, poſt Sardiniam res vocant Siculæ. Primo, quod utraque inſula in Romanum arbitratum redacta, iiſdem temporibus facta eſt provincia: cum eodem anno Sardiniam M. Valerius, alteram C. Flaminius prætor ſortiti ſunt. Adde, quod freto Siculo excipitur nomen Sardi maris. Ergo Sici- 2
lia, quod cum primis aſſignandum eſt, diffuſis prominentibus triquetra ſpecie figuratur. Pachynus adſpectus in Peloponneſum, & meridianam plagam dirigit: Pelorias adverſa veſpero Italiam videt: Lilybæum in Africam extenditur. Inter quæ Pelorias præſtat, laudata unico ſoli temperamento, quod neque humido in lutum madefiat, neque fatiſcat in pulverem ſiccitate. Ea ubi introrſum re- 3
cedit, & in latitudinem panditur, tres lacus obtinet: quorum unus quod piſcium copioſus eſt, non equidem ad miraculum duxerim, ſed quod ei proximans condenſus arbuſtis inter virgultorum opaca feras nutriat, & admiſſis venantibus per terrenos tramites, quibus pedeſtris acceſſus excipit, duplicem piſcandi venandique præbeat voluptatem, numeratur inter eximia. Tertium ara ſa- 4
crum approbat, quæ in media ſita, brevia divi-

dit a profundis. Qua ad eam pergitur, aqua cru-
rum tenus pervenit: quod ultra est, nec explorari
licet, nec attingi: & si fiat, qui id ausus sit, ma-
lo plectitur, quantamque sui partem gurgiti inti-
maverit, tantam it perditum. Ferunt quendam in
hæc alta quam longissime jecisse lineam, eam ut
recuperaret dum demerso brachio nisum adju-
5 vat, cadaver manum factam. Peloritana ora ha-
bitatur colonia Taurominia, quam prisci Naxum
vocabant: oppido Messana: Rhegio Italiæ op-
posito, quod Rhegium a dehiscendi argumento
6 Ῥήγιον Græci dictitabant. Pachyno multa thyn-
norum inest copia, echinis & omnibus mari nan-
tibus pisculentissimum, ac propterea semper cap-
7 tura larga. Lilybitano Lilybæum oppidum decus
est, & Sibyllæ sepulcrum. Sicaniæ diu ante Tro-
jana bella Sicanus rex nomen dedit, advectus cum
amplissima Iberorum manu: post Siculus Neptuni
filius. In hanc plurimi Corinthiorum, Argivorum,
Iliensium, Dorensium, Cretensium confluxerunt.
8 Inter quos & Dædalus fabræ artis magister. Prin-
cipem urbium Syracusas habet: in qua etiam cum
hiberno conduntur serena, nullo non die sol est.
9 Adde quod Arethusa fons in hac urbe est. Emi-
net montibus Ætna & Eryce. Vulcano Ætna sacer
est, Eryx Veneri. In Ætnæ vertice hiatus duo sunt,
crateres nominati, per quos eructatus erumpit va-
por, præmisso prius fremitu, qui per æstuantes
cavernarum latebras longo mugitu intra terræ vis-
cera diu volvitur, nec ante se flammarum globi
10 attollunt, quam interni strepitus antecedant. Mi-

rum hoc eſt: nec illud minus, quod in illa fer-
ventis naturæ pervicacia mixtas ignibus nives præ-
fert, & licet vaſtis exundet incendiis, apicis canitie
perpetua brumalem detinet faciem. Itaque invicta in 11
utroque violentia, nec calor frigore mitigatur, nec
frigus calore diſſolvitur. Laudant alios montes duos,
Nebroden & Neptunium. E Neptunio ſpecula eſt in 12
pelagus Tuſcum, & Adriaticum: Nebroden damæ
& hinnuli gregatim pervagantur: inde Nebrodes.
Quidquid Sicilia gignit, ſive ſoli, ſive hominis 13
ingenio, proximum eſt his, quæ optima judican-
tur, niſi quod fœtus terræ Centuripino croco vinci-
tur. Hic primum inventa comœdia. Hinc & cavil-
latio mimica in ſcena ſtetit. Hinc domo Archi-
medes, qui juxta ſiderum diſciplinam machinarius
commentator fuit. Hinc Lais illa, quæ eligere pa- 14
triam maluit, quam fateri. Gentem Cyclopum te-
ſtantur vaſti ſpecus. Læſtrygonum ſedes adhuc ſic
vocantur. Ceres inde magiſtra ſationis frumentariæ.
Hic ibidem campus Ennenſis in floribus ſemper, &
in omni vernus die. Quem propter eſt demerſum 15
foramen, quo Ditem patrem ad raptus Liberæ ex-
euntem fama eſt lucem hauſum. Inter Catinam &
Syracuſas certamen eſt de illuſtrium fratrum me-
moria, quorum nomina ſibi diverſæ partes adop-
tant. Si Catinenſes audiamus, Anapis fuit, & Am-
phinomus: ſi quod malunt Syracuſæ; Emantiam
putabimus, & Critonem. Catinenſis tamen regio
cauſam dedit facto, in quam ſe cum Ætnæ incen-
dia protuliſſent, juvenes duo ſublatos parentes eve-
xerunt in flammas illæſi ignibus. Horum memo-

riam ita posteritas munerata est, ut sepulcri locus
16 nominaretur campus piorum. De Arethusa, & Alpheo verum est hactenus, quod conveniunt fons & amnis. Fluminum miracula abunde varia sunt. Dianam, qui ad Camerinam fluit, si habitus impudice hauserit, non coibunt in corpus unum latex vinctus & latex aquæ. Apud Segestanos Helbe-
17 sius in medio flumine subita exæstuatione fervet. Acidem, quamvis demissum Ætna, nullus frigore antevertit. Himeræum cæleſtes mutant plagæ: amarus denique est, dum in aquilonem fluit, dulcis
18 ubi ad meridiem flectitur. Quanta in aquis, tanta novitas in salinis, Salem Agrigentinum si igni junxeris, dissolvitur ustione: cui si liquor aquæ proximaverit, crepitat, veluti torreatur. Purpureum Enna mittit: in Pachyno translucidus invenitur.
19 Cetera salinarum metalla, quæ sunt aut Agrigento, aut Centuripiis proximantia, funguntur cautium ministerio: nam illinc excuduntur signa ad facies hominum, vel deorum. Thermitanis locis insula est arundinum ferax, quæ accommodatissimæ sunt in omnem sonum tibiarum: seu præcentorias facias, quarum locus est ad pulvinaria præcinendi: seu vascas, quæ foraminum numeris præcentorias antecedunt: seu puellatorias, quibus a sono clariore vocamen datur: sive gingrinas, quæ breviores licet, subtilioribus tamen modis insonant: aut milvinas, quæ in accentus exeunt acutissimos: aut Lydias, quas & turarias dicunt: vel Corinthias, vel Ægyptias, aliasve a musicis per diversas officiorum & nominum species separatas.

In Halesina regione fons alias quietus & tran- 20
quillus cum siletur, si insonent tibiæ exsulta-
bundus ad cantus elevatur, & quasi miretur vo-
cis dulcedinem, ultra margines intumescit. Gelo- 21
nium stagnum tetro odore abigit proximantes. Ibi
& fontes duo: alter, de quo si sterilis sumserit,
fœcunda fiet: alter, quem si fœcunda hauserit,
vertitur in sterilitatem. Stagnum Petrensium ser- 22
pentibus noxium est, homini salutare. In lacu Agri-
gentino oleum supernatat: hoc pingue hæret arun-
dinum comis de assiduo volutabro, e quarum ca-
pillamentis legitur unguentum medicum contra ar-
mentarios morbos. Nec longe inde collis Vulca- 23
nius, in quo, qui divinæ rei operantur, ligna vi-
tea super aras struunt, nec ignis apponitur in hanc
congeriem: cum proficias intulerunt, si adest Deus,
si sacrum probatur, sarmenta licet viridia sponte
concipiunt, & nullo inflagrante halitu, ab ipso
Numine fit accendium. Ibi epulantes alludit flam- 24
ma, quæ flexuosis excessibus vagabunda, quem
contigerit, non adurit: nec aliud est, quam ima-
go nuntia perfecti rite voti. Idem ager Agrigen-
tinus eructat limosas scaturigines, & ut venæ fon-
tium sufficiunt ripis subministrandis, ita in hac Si-
ciliæ parte, solo nunquam deficiente, æterna re-
jectatione terram terra evomit. Achatem lapidem Si- 25
cilia primum dedit in Achatæ fluminis ripis reper-
tum, non vilem, cum ibi tantum inveniretur: quip-
pe interscribentes eum venæ naturalibus sic no-
tant formis, ut, cum optimus est, varias præferat
rerum imagines. Unde anulus Pyrrhi regis, qui

adverſus Romanos bella geſſit, non ignobilis famæ fuit, cujus gemma achates erat, in quo novem Muſæ cum inſignibus ſuis ſingulæ, & Apollo tenens citharam videbatur, non impreſſis figu-
26 ris, ſed ingenitis. Nunc diverſis locis apparet. Dat Creta, quem curaliachatem vocant, curalio ſimilem, ſed illitum guttis auro micantibus, & ſcorpionum ictibus reſiſtentem. Dat India reddentem nunc nemorum, nunc animalium facies, quem vidiſſe oculis favet, quique intra os receptus ſedat
27 ſitim. Sunt & qui uſti redolent myrrhæ odorem, hæmachates ſanguineis maculis irrubeſcit: ſed qui maxime probantur, vitream habent perſpicuitatem, ut Cyprius: nam, qui ſunt facie cerea, abundantes trivialiter, negliguntur. Omnis ambitus hujus inſulæ clauditur ſtadiorum tribus millibus.

CAPUT VI.

Volcaniæ inſulæ.

1 IN freto Siculo Hæphæſtiæ inſulæ XXV millibus paſſuum ab Italia abſunt. Itali Vulcanias vocant: nam & ipſæ natura ſoli ignea per occulta commercia, aut mutuantur Ætnæ incendia, aut ſub-
2 miniſtrant. Hic dicta ſedes Deo ignium. Numero ſunt ſeptem. Liparæ nomen rex dedit Liparus, qui eam ante Æolum rexit. Alteram Hieram vocaverunt: ea præcipue Vulcano ſacrata eſt, & plurimum colle eminentiſſimo nocte ardet. Strongyle tertia, Æoli domus, vergitur ad exortus ſolis, mi-

nime angulosa, quæ flammis liquidioribus differt a ceteris. Hæc causa efficit, quod ex ejus fumo potissimum incolæ præsentiscunt, quinam flatus in triduo pertendant. Quo factum, ut Æolus rex ventorum crederetur. Ceteras Didymen, Ericusam, Phœnicusam, Euonymon, quoniam similes sunt, dictas habe.

CAPUT VII.

Europæ sinus tertius. In eo de Græciæ locorum admirabilibus, de fluminibus, de fontibus, de merulis, de perdicibus, de lapide galactite, de lapide asbesto, de Arione.

TERTIUS Europæ sinus incipit a Cerauniis 1
montibus, desinit in Hellespontum. In eo apud
Molossos, ubi Dodonæi Jovis templum, Tomarus
mons est, circa radices nobilis centum fontibus,
ut Theopompo placet. In Epiro fons est sacer, fri- 2
gidus ultra omnes aquas, & spectatæ diversitatis,
nam si ardentem in eum mergas facem, exstinguit:
si procul ac sine igne admoveas, suopte
ingenio inflammat. Dodone Tmaro celsa est. Del- 3
phi Cephiso flumine, Castalio fonte, Parnassi jugis
celebres. Acarnania Aracyntho eminet. Hanc
ab Ætolia Pindus dividit, qui Acheloum parit, cum
primis Græciæ amnibus præditum veteri claritate.
Nec injuria, cum inter calculos, quibus ripæ ejus 4
micant, inveniatur galactites, qui scrupulus ipse
ater si teratur, reddit succum album ad lactis sa-

porem. Feminis nutrientibus illigatus fœcundat
ubera, ſubnexus parvulis largiuſculos hauſtus fa-
cit ſalivarum. Intra os receptus liqueſcit: cum
ſolvitur tamen, memoriæ bonum perimit: quem
5 poſt Nilum Achelous dat, nec alter alius. Propter
oppidum Patras Scioeſſa locus novem collium opa-
citate umbroſus, & radiis ſolis ferme inviſus, nec
6 aliam ob cauſam memorabilis. In Laconica ſpira-
culum eſt Tænaron. Eſt & Tænaron promonto-
rium adverſum Africæ, in quo fanum eſt Me-
thymnæi Arionis, quem delphine eo advectum
imago teſtis eſt, ad effigiem caſus & veri operis
expreſſa ære: præterea tempus ſignatum: Olym-
piade enim undetrigeſima, qua in certamine Sicu-
lo idem Arion victor ſcribitur, id ipſum geſtum
7 probatur. Eſt & oppidum Tænaron nobili vetuſta-
te: præterea aliquot urbes, inter quas Leuctræ,
non obſcuræ jam pridem Lacedæmoniorum fœdo
8 exitu. Amiclæ ſilentio ſuo quondam peſſundatæ.
Sparta inſignis cum Pollucis & Caſtoris templo,
tum etiam Othryadis illuſtris viri titulis. Thera-
pnæ, unde primum cultus Dianæ. Pitane, quam
Archeſilas Stoicus inde ortus prudentiæ ſuæ me-
9 rito in lucem extulit. Anthia & Cardamyle, ubi
quondam fuere Thyræ, nunc locus dicitur, in quo
anno ſeptimo decimo regni Romuli inter Laconas
& Argivos memorabile bellum fuit. Jam Taygeta
mons, & flumen Eurotas notiora ſunt, quam ut
10 ſtilo egeant. Inachus Achajæ amnis Argolicum ſe-
cat tractum, quem rex Inachus a ſe nominavit, qui
exordium Argivæ nobilitati primus dedit. Epidau-

ro decus eſt Æſculapii ſacellum, cui incubantes
ægritudinem remedia capeſſunt de monitis ſomnio-
rum. Pallanteum Arcadiæ, quod palatio noſtro per 11
Evandrum Arcada appellationem dederit, ſat eſt
admonere: in qua montes Cyllene & Lycæus Mæ-
nalus etiam Diis alumnis inclaruerunt: inter quos
nec Erymanthus in obſcuro eſt. Inter flumina, Ery-
manthus Erymantho monte demiſſus, & Ladon,
ille Herculis pugna, hic Pane clara ſunt. Varro 12
perhibet fontem in Arcadia eſſe, cujus interimat
hauſtus. In eadem parte de avibus hoc ſolum non
indignum relatu, quod cum aliis locis merula fur-
va ſit, circa Cyllenem candidiſſima eſt. Nec lapi- 13
dem ſpreverimus, quem Arcadia mittit: Asbeſto
nomen eſt, ferri colore: qui accenſus ſemel, ex-
ſtingui nequitur. In Megarenſium ſinum Iſthmos 14
exit, ludis quinquennalibus & delubro Neptuni
inclytus: quos ludos eapropter inſtitutos ferunt:
quod ſinibus quinque Peloponneſi oræ alluuntur:
a ſeptemtrione, Jonio: ab occidente, Siculo: a bru-
mali oriente, Ægæo: a ſolſtitiali oriente, Myrtoo:
a meridie Cretico. Hoc ſpectaculum per Cypſe-
lum tyrannum intermiſſum, Corinthii, Olympiade
quadrageſima nona ſolennitati priſtinæ reddide-
runt. Ceterum Peloponneſon Pelopi regnatam, no- 15
men indicio eſt. Ea ut platani folium receſſibus
& prominentibus figurata, divortium facit inter
Jonium & Ægæum mare, quatuor non amplius mil-
libus diſpeſcens utrumque litus, excurſu tenui,
quem Iſthmon dicunt, ob anguſtias. Hinc Hellas 16
incipit, quam proprie veram habent Græciam.

Quæ nunc Attice, Acte prius dicta. Ibi Athenæ;
cui urbi ſaxa Scironia propinqua ſunt, porrecta
ſex millibus paſſuum, ob honorem ultoris The-
17 ſei, & memoriam nobilis pœnæ, ſic nominata. Ex
iſtis rupibus Ino ſe cum Palæmone filio in pro-
18 funda præcipitem jaculata auxit maris Numina. Nec
Atticos montes in partem tacebimus. Eſt Icarius,
eſt Brileſſus, eſt Lycabethus & Ægialus: ſed Hy-
metto meritiſſime ac jure attribuitur principatus,
quod apprime florulentus, eximio mellis ſapore
& externos omnes & ſuos vincit. Callirhoen ſtu-
pent fontem, nec ideo Cruneſon fontem alterum
19 nullæ rei numerant. Athenienſibus judicii locus
Arios pagos. Marathon campus factus memorabi-
20 lis opinione prœlii cruentiſſimi. Multæ quidem in-
ſulæ objacent Atticæ continenti, ſed ſuburbanæ
ferme ſunt, Salamis, Sunium, Ceos, Coos, quæ,
ut Varro teſtis eſt, ſubtilioris veſtis amicula arte
lanificæ ſcientiæ prima in ornatum feminarum de-
21 dit. Bœotia Thebis enitet. Thebas condidit Am-
phion, non quod lyra ſaxa duxerit, neque enim
par eſt ita geſtum videri; ſed quod affatus ſua-
vitate homines rupium incolas, & incultis mo-
ribus rudes, ad obſequii civilis pellexerit diſci-
22 plinam. Urbs iſta Numinibus apud ſe ortis gloria-
tur, ut perhibent qui ſacris carminibus Hercu-
lem & Liberum celebrant. Apud Thebas Helicon
lucus eſt, Cithæron ſaltus, amnis Iſmenus: fontes
23 Arethuſa, Œdipodia, Pſamate, Dirce: ſed ante
alios Aganippe, & Hipocrene: quos Cadmus li-
terarum primus repertor, quoniam equeſtri ex-

ploratione deprehendiſſet, dum rimatur, quænam inſideret loca, incenſa eſt licentia poetarum, ut utrumque pariter diſſeminaretur, & quod aperta foret alitis equi ungula, & quod poti inſpirationem facerent literariam. Eubœa inſula laterum ob- 24
jectu efficit Aulidis portum, ſeculis traditum Grajæ conjurationis memoria. Bœoti idem ſunt, qui 25
Leleges fuerunt: per quos defluens Cephiſos amnis in maria conditur. In hac continentia Opuntius 26
ſinus, Lariſſa oppidum, Delphi, Rhamne quoque, in qua Amphiarai fanum, & Phidiacæ ſignum Dianæ. Varro opinatur, duo in Bœotia eſſe flumina, 27
natura licet ſepari, miraculo tamen non diſcrepante: quorum alterum, ſi ovillum pecus debibat, pullum fieri coloris quod induerit: alterius hauſtu, quæcunque vellerum fuſca ſunt, in candidum verti. Addit videri ibi puteum peſtilentem, cujus 28
liquor mors eſt haurientibus. Perdices ſane, cum ubique liberæ ſint, ut aves univerſæ, in Bœotia non ſunt; nec cum volant ſui juris, ſed in ipſo aere, quas tranſire non audeant, metas habent: inde ultra notatos jam terminos nunquam exeunt, nec in Atticum ſolum tranſmeant. Hoc Bœotiis 29
proprium: nam quæ communia ſunt omnibus, generatim perſequemur. Concinnantur a perdicibus nidi munitione ſolerti: ſpineis enim fruticibus ac ſurculis receptus ſuos veſtiunt, ut animalia, quæ infeſtant, arceantur aſperis ſurculorum. Ovis ſtragulum pulvis eſt, ad quæ clanculo revertuntur, ne indicium loci converſatio frequens faciat. Plerumque fœminæ tranſvehunt partus, ut ma- 30

res fallant, qui eos affligunt impatientius sæpissime adulantes. Dimicatur circa connubium, victosque credunt feminarum vice venerem sustinere: ipsas libido sic agitat, ut si ventus a masculis flaverit, fiant prægnantes odore.
31 Tunc si quis hominum, ubi incubant, propinquabit, egressæ matres venientibus sese sponte offerunt, & simulata debilitate vel pedum, vel alarum, quasi statim capi possint, gressus fingunt tardiores. Hoc mendacio sollicitant obvios, & eludunt, quoad profecti longius a nidis avocentur.
32 Nec in pullis studium segnius ad cavendum: cum enim visos se persentiscunt, resupinati glebulas pedibus attollunt, quarum obtentu tam callide proteguntur, ut lateant etiam deprehensi.

CAPUT VIII.

De Thessalia & Magnesia. Philippus oculum damnatus.

1 THESSALIA eadem est & Hæmonia, quam Homerus Argos Pelasgicon nominat: ubi genitus Hellen, a quo rege Hellenes nominati. Hujus a tergo Pieria ad Macedoniam protenditur, quæ devicta sub Macedonum venit jugum.
2 Multa ibi oppida, multa flumina. De oppidis egregia sunt Phthia, Larissa Thessala, & Thebæ. De amnibus Peneus, qui præter Ossam Olympumque decurrens colle dextra lævaque molliter curvo, nemorosis convallibus Thessalica facit Tempe, undisque apertior Macedoniam ac Magnesiam interluens,

in Thermæum ſinum decidit. Theſſaliæ ſunt Phar- 3
ſalici campi, in quibus civilium bellorum detonue-
runt procellæ. Ac ne in montes notos eamus, Pin-
dum & Othryn agitent, qui Lapitharum originem
proſequuntur: Oſſam, quos Centaurorum ſtabulis
immorari juvat. Pelion autem nuptiale convivium 4
Thetidis atque Pelei in tantum notitiæ obtulit,
ut taceri de eo magis mirum ſit. In regione Mag- 5
neſia Mothona oppidum ſitum eſt, quod cum ob-
ſideret Philippus Macedonis Magni pater, damna-
tus eſt oculum jactu ſagittæ, quam jecerat Aſter
oppidanus inſcriptam ſuo nomine, loco vulne-
neris, nomine quem petebat. Populum iſtum cal-
lere arte ſagittaria credere poſſumus vel de Phi-
loctetа, quoniam Melibœa in hoc pede computa-
tatur. Sed ne tranſeamus præſidium poetarum, fons
Libethrius & ipſe Magneſiæ eſt.

CAPUT IX.

De Macedonia cum regibus, & natura Olympi montis, & lapide pæanite.

QUI Edonii olim populi, quæque Mygdonia 1
erat terra, aut Pierium ſolum, vel Emathium, nunc
omne uniformi vocabulo Macedonica res eſt; &
partitiones, quæ ſpecialiter antea ſejugabantur, Ma-
cedonum nomini contributæ, factæ ſunt corpus
unum. Igitur Macedoniam præcingit Thracius li- 2
mes: meridiana Theſſali & Epirotæ tenent: a ve-
ſperali plaga Dardani ſunt & Illyrii: qua ſeptem-

trione tunditur, Pœonia ac Pelagonia protegitur:
a Triballis, montanis exceſſibus aquilonio frigori
3 objecta. Inter ipſam & Thraciam Strymon amnis
facit terminum, qui ab Hæmi jugis irrigat. Verum
ut ſileam aut Rhodopen Mygdonium montem, aut
Athon claſſibus Perſicis navigatum, continentique
abſciſſum mille quingentorum paſſuum longitudi-
ne, ſimul de auri venis & argenti, quæ optimæ
in agris Macedonum & plurimæ eruuntur, Ore-
4 ſtidem dicam. Populi ſunt, qui ut Oreſtæ dice-
rentur, inde coeptum. A Mycenis profugus ma-
tricida, cum abſceſſus longius deſtinaſſet, natum
ſibi in Emathia parvulum de Hermiona, quam in
omnes caſus ſociam adſciverat, hic mandaverat oc-
5 culendum. Adolevit puer in ſpiritum regii ſangui-
nis, nomen patris ſui referens; occupatoque quid-
quid eſſet, quod procedit in Macedonicum ſinum,
& Adriaticum ſalum, terram, cui imperitaverat,
6 Oreſtidem dixit. Admonet Phlegra, ubi, antequam
oppidum fieret, rumor eſt, militia mundi dimica-
tum cum gigantibus, ut penitus perſequamur, quan-
tis probationibus ibidem imperii indicia divinæ ex-
7 peditionis in hoc ſeculo perſeveraverint. Illic ſi
quando, ut accidit, nimbis torrentes excitantur,
& aucta aquarum pondera ruptis obicibus va-
lentius ſe in campos ruunt, eluvione oſſa etiam
nunc ferunt detegi, ad inſtar quæ ſunt e corpori-
bus humanis, ſed modo grandiora, quæ ob enor-
mem magnitudinem monſtroſi exercitus jactitant
exſtitiſſe, idque adjuvatur argumento ſaxorum im-
manium, quibus oppugnandum impetitum cælum

crediderunt. Pergam ad reſidua, quæ in Theſſa- 8
liam & Athamaniam contendunt. Sunt enim ar-
rectiora, quam uſquam proceritas montana attolli
valet: nec eſt in terris omnibus, quod merito ad
iſtas eminentias comparetur: quippe quas ſolas di-
luvialis irruptio, cum univerſa obduceret humido
ſitu, inacceſſas reliquit. Durant veſtigia non lan- 9
guidæ fidei, cuibus apparet, hos locos ſuperſtites
undoſæ tempeſtati fuiſſe: nam in latebroſis rupium
cavaminibus, quæ fluctuum confligiis tunc adeſa
ſunt, reduviæ conchyliorum reſiderunt, & alia
multa, quæ affatim mari incito exſpuuntur: ita
ut, ſint licet facie mediterranea, appareant tamen
ſpecie litorali. Nam Olympum ab Homero non per 10
audaciam celebratum docent, quæ in eo viſitan-
tur. Primum excellenti vertice tantus attollitur, ut
ſumma ejus cælum accolæ vocent. Ara eſt in ca- 11
cumine, Jovi dicata, cujus altaribus ſi qua de ex-
tis inferuntur, nec difflantur ventoſis ſpiritibus,
nec humentibus pluviis diluuntur: ſed volvente
anno cujuſmodi relicta fuerint, ejuſmodi repe-
riuntur: & omnibus tempeſtatibus a corruptelis au-
rarum vindicatur, quidquid ibi ſemel eſt Deo con-
ſecratum. Literæ in cinere ſcriptæ ad uſque alte-
ram anni cærimoniam permanent. Nunc de inco- 12
lis reddam. Emathius, qui primus in Emathia ac-
cepit principatum, ſeu quia indago originis ejus
ævo diſperiit, ſeu quia ita res eſt, genuinus ter-
ræ habetur. Poſt hunc in Macedonis exortum Ema- 13
thiæ nomen perſtitit: ſed Macedo Deucalionis ma-
ternus nepos, qui ſolus cum domus ſuæ familia

morti publicæ ſuperfuerat, vertit vocamen, Ma-
14 cedoniamque a ſe dixit. Macedonem Caranus in-
ſequitur dux Peloponneſiæ multitudinis, qui juxta
reſponſum dictum Deo, ubi caprarium pecus reſe-
diſſe adverterat, urbem condidit, quam dixit Ægeas,
in qua ſepeliri reges mos erat: nec alter excellen-
tium virorum buſtis apud Macedones priſcos dabatur
15 locus. Succedit Carano Perdicca, II & XX Olym-
piade, primus in Macedonia rex nominatus, cui
Alexander Amyntæ filius dives habitus, nec im-
merito: ita enim affluenter ſucceſſus ejus amplian-
dis opibus proficiebant, ut ante omnes Apollini
Delphos, Jovi Eliden ſtatuas aureas dono miſerit.
16 Voluptati aurium indulgentiſſime deditus: ſicut plu-
rimos qui fidibus ſciebant, dum vivit, in uſum
oblectamenti donis tenuit liberalibus, inter quos
17 & Pindarum lyricum. Ab hoc Archelaus regnum
excepit, prudens rei bellicæ, navalium etiam com-
mentor prœliorum. Hic Archelaus in tantum lite-
rarum mire amator fuit, ut Euripidi tragico con-
ſiliorum ſummam concrederet: cujus ſuprema non
contentus proſequi ſumtu funeris, crines tonſus
eſt, & mœrorem, quem animo conceperat, vultu
18 publicavit. Idem Archelaus Pythias & Olympicas
palmas quadrigis adeptus, Græco potius animo,
19 quam regali, gloriam illam præ ſe tulit. Poſt
Archelaum Macedonica res diſſenſione jactata in
Amyntæ regno ſtetit, cui tres filii: ſed Alexander
patri ſuccedit: quo exemto, Perdiccæ primum da-
ta copia ampliſſimæ poteſtatis indipiſcundæ: qui
obiens hereditarium regnum fratri Philippo reli-

quit, quem captum oculo dextro apud Mothonam
ſupra diximus; cujuſque debilitatis omen præceſ-
ſerat: nam cum nuptias ageret, acciti tibicines car-
men Cyclopium quaſi de conludio concinuiſſe tra-
duntur. Philippus Magnum procreat, quamlibet 20
Olympias, Alexandri mater, nobiliorem ei patrem
acquirere affectaverit, cum ſe coitu draconis con-
ſatam affirmaret. Ita tamen ipſe egit, ut Deo ge-
nitus crederetur. Peragravit orbem, rectoribus Ari- 21
ſtotele & Calliſthene uſus, ſubegit Aſiam, Arme-
niam, Iberiam, Albaniam, Cappadociam, Syriam,
Ægyptum, Taurum, Caucaſumque tranſgreſſus eſt:
Bactros domuit: Medis & Perſis imperavit: cepit
Indiam, emenſus omnia. Liber & Hercules acceſ-
ſerant. Forma ſupra hominem auguſtiore, cervice 22
celſa, lætis oculis & illuſtribus, malis ad gratiam
rubeſcentibus, reliquis corporis non ſine majeſta-
te quadam decoris. Victor omnium, vino & ira
victus: ſicut morbo vinolentiæ apud Babylonem
humilore, quam vixerat, fortuna exemtus eſt. Poſt 23
quem qui fuerunt, magis ſegetem Romanæ gloriæ,
quam ad hereditatem tanti nominis, ortos inve-
nimus. Macedonia lapidem gignit, quem pæanitem 24
vocant. Hunc eundem & concipere & parere &
parturientibus opitulari, fama prodiga eſt. Circa
Tireſiæ ſepulcrum plurimus invenitur.

CAPUT X.

Thracia cum moribus gentium. In ea de gruibus, de hirundinibus, de Iſthmo.

1 NUNC in Thraciam locus pergere, & ad validiſſimas Europæ gentes vela vertere: quas qui ſedulo experiri velint, non difficulter deprehendent, Thracibus barbaris ineſſe contemtum vitæ ex qua-
2 dam naturalis ſapientiæ diſciplina. Concordant omnes ad interitum voluntarium, dum nonnulli eorum putant, obeuntium animas reverti: alii non exſtingui, ſed beatas magis fieri. Apud plurimos luctuoſa ſunt puerperia: denique recens natum fle-
3 tu parens excipit: contraverſum læta ſunt funera, adeo ut exemtos gaudiis proſequantur. Uxorum numero ſe viri jactitant, & honoris loco judicatur multiplex matrimonium. Quæ feminæ tenaces ſunt pudicitiæ, inſiliunt defunctorum rogos conjugum, &, quod maximum inſigne ducunt caſtitatis, præ-
4 cipites in flammas eunt. Nupturæ non parentum arbitrio tranſeunt ad maritos, ſed quæ præ aliis ſpecie valent, ſubhaſtari volunt, & licentia taxationis admiſſa, non moribus nubunt, ſed præmiis: quas formæ premit dedecus, dotibus emunt quibus con-
5 jungantur. Uterque ſexus epulantes focos ambiunt, herbarum, quas habent, ſemine ignibus ſuperjacto: cujus nidore perculſi, pro lætitia habent imitari
6 ebrietatem ſenſibus ſauciatis. De ritu iſta ſunt: de locis & populis, quæ ſequuntur. Strymonem acco-

sunt dextro latere Denselatæ: Bessorum quoque
multa nomina ad usque Nestum amnem, qui ra-
dices Pangæi circumfluit. Hebrum Odrysarum so- 7
lum fundit, qui fluvius excurrit inter Priantas, Do-
loncos, Thynos, Corpilos, aliosque barbaros tan-
git, & Ciconas. Deinde Hæmus sex millibus pas-
suum arduus, cujus aversa Mœsi, Getæ, Sarma-
tæ, Scythæ, & plurimæ insidunt nationes. Pon- 8
ticum litus Sithonia gens obtinet, quæ nato ibi
Orpheo vate inter principes judicatur: quem sive
sacrorum, sive cantuum, secreta in Sperchivo pro-
montorio agitasse tradunt. Deinde stagnum Bisto- 9
nium. Nec longe regio Maronea, in qua Tirida
oppidum fuit, equorum Diomedis stabulum: sed
cessit ævo, solumque turris vestigium adhuc du-
rat. Inde non procul urbs Abdera, quam Diome- 10
dis soror & condidit, & a se sic vocavit. Mox De-
mocriti domus physici: ac, si verum rimere, ideo
nobilior. Hanc Abderam, Olympiade prima & tri-
cesima senio collapsam, Clazomenii ex Asia ad ma-
jorem faciem restitutam, obliteratis quæ præces-
serant, nomini suo vindicaverunt. Locum Doris- 11
con illustrem reddidit Xerxis adventus: quod ibi re-
coluit militis sui numerum. Polydori tumulum osten-
dit Ænus in parte, quam aratores Scythæ celebrant.
Quondam urbem Geraniam, Cathizon barbari vo-
cant: unde a gruibus Pygmæos ferunt pulsos. Ma- 12
nifestum sane est, in septemtrionalem plagam hie-
me grues frequentissimas convolare. Nec piguerit
meminisse, quatenus expeditiones suas dirigant.
Sub quodam militiæ eunt signo, & ne pergentibus

ad deſtinata vis flatuum renitatur, arenas devorant,
ſublatiſque lapillulis ad moderatam gravitatem ſa-
13 burrantur. Tunc contendunt in altiſſima, ut de ex-
celſiori ſpecula metentur, quas petant terras. Fi-
dens meatu præit catervas: volatus deſidiam ca-
ſtigat voce, quæ cogit agmen: ea ubi obraucata
14 eſt, ſuccedit alia. Pontum tranſituræ anguſtias cap-
tant: & quidem eas, nam promtum eſt oculis de-
prehendere, quæ inter Tauricam ſunt & Paphla-
goniam, id eſt, inter Carambim, & Κριοῦ μέτωπον.
Cum contra medium alveum adventaſſe ſe ſciunt,
15 ſcrupulorum ſarcina pedes liberant. Ita nautæ pro-
diderunt, compluti ſæpe ex illo caſu imbre ſaxa-
tili. Arenas non prius revomunt, quam ſecuræ ſe-
dis ſuæ fuerint. Concors cura omnium pro fatiga-
tis adeo, ut ſi quæ defecerint, congruant univer-
ſæ, laſſataſque ſuſtollant, uſque dum vires otio
16 reciperentur. Nec in terra cura ſegnior. Excubias
nocte dividunt, ut exſomnis ſit decima quæque.
Vigiles ponduſcula digitis amplectuntur, quæ, ſi
forte exciderint, ſomnum coarguant. Quod caven-
dum erit, clangore indicant. Ætatem in illis pro-
17 dit color: nigreſcunt ſenectute. Veniamus ad pro-
montorium Ceras Chryſeon Byzantio oppido no-
bile, antea Lygos dictum: quod a Dyrrhachio abeſt
ſeptingentis undecim millibus paſſuum: tantum
enim patet inter Adriaticum mare, & Propontidem.
18 In Cenienſi regione non longe a Flaviopoli colo-
nia Bizye oppidum, quondam arx Terei regis, in-
viſum hirundinibus, & deinceps alitibus illis inac-
ceſſum: quanquam & Thebas, quod illa mœnia ſæ-

pius capta ſint, negentur ſubire. Nam inter cetera 19
habere illas quiddam præſcium, inde noſcitur, quod
lapſura non petunt culmina, & aſpernantur peri-
tura quoquo modo tecta. Minime certe a diris avi-
bus impetuntur, nec unquam præda ſunt, ut ſa-
cræ. Cibos non ſumunt reſiſtentes, ſed in aere ca-
piunt eſcas, & hauriunt. Alter iſthmos in Thracia 20
eſt ſimilibus anguſtiis, & pari latitudine arcti ma-
ris, cujus litora urbes utrinque ſecus oſtentant. Pro-
pontidis oram inſignit Pactye, Melanem ſinum Car-
dia: quod in cordis faciem ſita ſit, dicta Cardia
eſt. Omnis Helleſpontus ſtringitur in ſtadia ſep- 21
tem, quibus ab Europa Aſiaticam plagam vindicat.
Hic quoque urbes duæ, Abydos Aſiæ eſt, Seſtos
Europæ. Deinde contraria inter ſe promontoria: 22
Maſtuſia Cherroneſi, ubi finitur Europæ ſinus
tertius, Sigeum Aſiæ, in quo tumulus eſt Cynoſſe-
ma dictus, Hecubæ ſepulcrum, & turris Proteſilai
delubro data. Finibus Thraciæ a ſeptemtrione Iſter 23
obtenditur, ab oriente Pontus ac Propontis, a me-
ridie Ægæum mare.

CAPUT XI.

Claræ inſulæ, & in inſulis clara. In Creta herba alimos;
animal phalangium, lapis Idæus dactylus. In Caryſto
aves Caryſtiæ, item carbaſum. In Delo tempora dilu-
viorum, & aves coturnices. Eubœa, Paros & lapis ſar-
da. Naxos. Icaros. Melos. Carpathus. Rhodos. Lemnos.

INTER Tenedum & Chium, qua Ægæus ſinus 1
panditur, ab dextera Antandrum navigantibus ſa-
xum eſt: hoc enim verius quam inſula meruit

2 cognominari. Id quoniam visentibus procul capræ simile creditur, quam Græce αἶγα nuncupant, Ægæus sinus dictus est. A Phalario Corcyræ promontorio ad navis effigiem scopulus eminet, in quem transfiguratam Ulyxis navem crediderunt. Cytheræ, quæ a Malea abest quinque millibus passuum,
3 Porphyris antea nomen fuit. Pronius est Cretam dicere, quam absolvere in quo mari jaceat. Ita enim circumflui illius nomina Græci permiscuerunt, ut dum aliis alia inferunt, pæne oblimaverint universa. Quantam potest tamen in designando operam locabimus, ne quid hæreat sub ancipiti.
4 Inter ortum porrigitur & occasum tractu longissimo, hinc Græcia, inde Cyrenis objacentibus: a septemtrione Ægæis & suis, id est, Creticis æstibus verberatur: ab austro Libycis undis perfunditur & Ægyptiis, non stipata centum urbibus, sicut perhibent qui prodige lingua largiti sunt, sed magnis & ambitiosis oppidis: quorum principatus est penes Gortynam, Cydoneam, Gnoson, Therapnas, Cylisson. Dosiades eam a Crete Nympha Hesperidos filia, Anaximander a Crete rege Curetum, Crates Aeriam prius dictam, mox Curetin,
5 nonnulli etiam a temperie cæli Μακάρων νῆσον appellatam prodiderunt. Prima mari potuit remis & sagittis. Prima literis jura junxit. Pyrrho repertore equestres turmas prima docuit lascivas vertigines implicare: ex qua disciplina bellicæ rei ratio con-
6 valuit. Studium musicum inde cœptum, cum Idæi Dactyli modulos crepitu ac tinnitu æris deprehensos in versificum ordinem transtulissent. Albet

jugis montium Dictynnæi & Cadiſti, qui ita excan-
deſcunt, ut eminus navigantes magis putent nubi-
la. Præter ceteros Ida eſt, qui ante ſolis ortum ſo- 7
lem videt. Varro in opere, quod de litoralibus eſt,
etiam ſuis temporibus affirmat ſepulcrum Jovis ibi
viſitatum. Cretes Dianam religioſiſſime venerantur, 8
Britomarten gentiliter nominantes, quod ſermone
noſtro ſonat virginem dulcem. Ædem Numinis præ-
terquam nudus veſtigia nullus licito ingreditur. Ea
ædes oſtentat manus Dædali. Gortynam amnis Le- 9
thæus præterfluit, quo Europam tauri dorſo Gor-
tyni ferunt vectitatam. Idem Gortyni & Atymnum
colunt, Europæ fratrem: ita enim memorant. Vi-
detur hic, & occurrit, ſed die jam veſperato au-
guſtiori ſe facie viſendum offerens. Gnoſii Miner- 10
vam civem Deam numerant, primumque apud ſe
fruges ſatas audacter cum Atticis contendunt. Ager 11
Creticus ſilveſtrium caprarum copioſus eſt, cervo
eget. Lupos, vulpes, aliaque quadrupedum noxia
nuſquam educat. Serpens nulla, larga vitis, mira 12
ſoli indulgentia, arborarii proventus abundan-
tes: nam in hujus tantum inſulæ parte repullulant
cæſæ cupreſſi. Herba ἄλιμος dicitur: ea admorſa
diurnam famem prohibet: proinde & hæc Cretica
eſt. Sphalangion, aranei genus eſt: ſi niſum quæ- 13
ras, nulla vis eſt: ſi poteſtatem, ictum hominem
veneno interficit. Lapis quoque Idæus dactylus di- 14
citur inſulæ iſti familiaris, coloris ferrei, humano
pollici ſimilis. Avem noctuam Creta non habet:
& ſi invehatur, emoritur. Caryſtos aquas calen- 15
tes habet, Hellopias vocant: & Caryſtias aves, quæ

flammas impune involant: carbaſa etiam, quæ in-
ter ignes valent. Calchis eadem habita eſt apud priſ-
cos, ut Callidemus auctor eſt, ære ibi primum re-
perto. Titanas in ea antiquiſſime regnaſſe oſtendunt
16 ritus religionum. Briareo enim rem divinam Cary-
ſtii faciunt, ſicut Ægæoni Calchidenſes: nam om-
17 nis ferme Eubœa Titanum fuit regnum. Cycladas
autumant inde dictas, quod licet ſpatiis longioribus
a Delo projectæ, in orbem tamen circa Delum ſitæ
ſunt, & orbem κύκλον Graji loquuntur. Jos Homeri
18 tumulo ceteras antecedit. Meminiſſe hoc loco par
eſt, poſt primum diluvium Ogygi temporibus no-
tatum, cum novem & amplius menſibus diem con-
tinua nox inumbraſſet, Delon ante omnes terras
radiis ſolis illuminatam, ſortitamque ex eo nomen,
quod prima reddita foret viſibus. Inter Ogygum
ſane & Deucalionem medium ævum ſexcentis an-
19 nis datur. Eadem eſt Ortygia, quæ clariſſima in
Cycladum numero multifarie traditur: nunc Aſte-
ria a cultura Apollinis: nunc a venatibus Lagia,
vel Cynetho: Pyrpile etiam, quoniam & ignita-
bula ibi & ignis inventa ſunt. In hac primum vi-
ſæ coturnices aves, quas ortygas Græci vocant. Has
20 eaſdem in Latonæ tutela æſtimant conſtitutas. Nec
ſemper apparent. Adveniendi habent tempora, æſta-
te depulſa. Cum maria tranant, impetus differunt,
& metu ſpatii longioris, vires ſuas nutriunt tardi-
21 tate. Ubi terram perſentiſcunt, coeunt catervatim,
deinde globatæ vehementius properant: quæ feſti-
natio plerumque exitium portat navigantibus: ac-
cidit enim in noctibus, ut vela incidant, & præ-

ponderatis finibus alveos vertant. Austro nunquam
exeunt: nam metuunt vim flatus tumidioris. Plu-
rimum se aquilonibus credunt, ut corpora pingui-
uscula atque eo tarda, facilius provehat siccior &
vehementior spiritus. Ortygometra dicitur, quæ gre- 22
gem ductitat: eam terræ proximantem accipiter spe-
culatus rapit: ac propterea opera est universis, ut sol-
licitent ducem generis externi, per quem frustrentur
prima discrimina. Cibos gratissimos habent semina 23
venenorum: quam ob causam eam damnavere pru-
dentium mensæ. Solum hoc animal præter hominem
morbum patitur comitialem. Eubœa tam modico 24
æstu dividua est a Bœotiæ continente, ut dubitan-
dum sit, an numerari inter insulas debeat: nam
latæ quam vocant terræ ponte jungitur, & per fa-
bricam brevissimæ machinæ aditur pede. Cenæo
promontorio vadit in septemtrionem, duobus aliis
in meridiem extenditur: quorum Geræstos spectat
Atticam, Caphereus prominet in Hellespontum, 25
ubi post Ilii excidium Argivam classem vel Mi-
nervæ ira, vel quod certior prodit memoria, si-
dus Arcturi gravibus affecit casibus. Marmore Pa- 26
ros nobilis, Abdelo oppido frequentissima: prius
tamen Minoja, quam Paros dicta: nam subacta a
Minoe, quoad in Creticis mansit legibus, Minojam
loquebantur. Præter marmor dat & Sardam lapi- 27
dem, qui marmore quidem præstat, inter gemmas
vero vilissimus ducitur. Naxon a Delo duodevi- 28
ginti millia passuum separant, in qua Strongyle op-
pidum: sed Naxos Dionysia prius, quam Naxos
dicta, vel quod hospita Libero patri, vel quod fer-

29 tilitate vitium vincat ceteras. Sunt præterea Cycla-
des plurimæ, ſed in ſupra dictis præcipuum eſt,
30 quod memoriæ debeatur. De Sporadibus eſt Ica-
ros, quæ Icario mari nomen dedit. Hæc inter Sa-
mum & Myconum procurrentibus ſaxis inhoſpi-
ta, ac nullis ſinibus portuoſa, ob inhumana litorum
infamis eſt. Vult ergo Varro, Icarum Cretem ibi
naufragio interiiſſe, & de exitu hominis impoſitum
31 nomen loco. Nam in Samo nobilius nihil quam
Pythagoras civis, qui mox offenſus faſtu tyranni-
co, relicta domo patria Bruto conſule, qui reges
urbe exegit, Italiam advectus eſt. Melos, quam Cal-
limachus Memallidam dixit, omnium inſularum ro-
32 tundiſſima eſt, juxta Æoliam. Nam Carpathus, a
qua Carpathium ſinum dicimus. Nunquam ita cæ-
lum nubilum eſt, ut in ſole Rhodos non ſit. Lemnii
Vulcanum colunt, ideo in Lemno metropolis He-
33 phæſtia. Præterea oppidum Myrina, in cujus forum
mons Athos e Macedonia umbram jacit. Quod non
fruſtra inter miracula notaverunt, cum Athos a
Lemno ſex & octoginta millibus paſſuum ſeparetur.
Eſt ſane Athos ſublimis adeo, ut æſtimetur altior,
quam unde imbres cadunt. Quæ opinio eo fidem
concepit, quod in aris, quas cacumine ſuſtinet, nun-
quam cineres eluantur, nec quidquam ex aggeribus
ſuis perdant, ſed in quo relicti cumulo permaneant.
34 In ſummo eo oppidum Acrothon fuit, in quo di-
midio longior, quam in aliis terris incolentium ætas
prorogabatur: ideo inde homines, Macrobios Græ-
ci, noſtri appellavere longævos.

CAPUT XII.

Hellespontus. Propontis. Bosporos. In his de delphinis, de thynnis.

QUARTUS Europæ sinus Hellesponto incipit, 1
Mæotidis ostio terminatur. Atque omnis hæc latitudo, quæ Europam Asiamque dividit, in septem
stadiorum angustias stringitur. Hic est Hellespon- 2
tus: hac Xerxes ponte navibus facto permeavit. Tenuis deinde Euripus porrigitur ad Asiæ urbem Priapum, qua Magnus Alexander potiundi orbis amore transcendit, & potitus est. Inde diffusus æquore patentissimo rursus stringitur in Propontidem: mox in quingentos passus coarctatur, fitque Bospo-
rus Thracius, qua Darius copias transportavit. Hæc 3
profunda delphinas plurimos habent, in quibus causæ miraculi multiformes. Ante omnia nihil velocius habent maria, sic ut plerumque salientes transvolent vela navium. Quoquo eant, conjuges evagantur. Catulos edunt. Decimus mensis maturum facit partum: Lucinam æstivus dies solvit. Uberibus fœtus
alunt. Teneros in faucibus receptant. Invalidos ali- 4
quantisper prosequuntur. In tricesimum annum vivunt, quod exploratum est in experimentum caudis amputatis. Ora non quo ceteræ belluæ loco habent, sed ferme in ventribus. Contra naturam aquatilium soli linguas movent. Aculeatæ sunt pinnæ
dorsuales: cum ira subjacet, inhorrescunt: cum ani- 5
mi conquieverunt, quibusdam receptaculis operiun-

tur. Spirare eos in aquis negant, & vitales auras;
non niſi in aere ſupero, reciperare. Pro voce ge-
mitus eſt ſimilis humano. Certum habent vocabu-
6 lum, quo accepto vocantes ſequuntur: nam pro-
prie Simones nominantur. Voces hominum aquilo-
nis flatu celerius hauriunt: contra auſtro ſpirante
auditus obſtruuntur. Mulcentur muſica: gaudent
cantibus tibiarum: ubicunque ſymphonia eſt, gre-
7 gibus adventant. Divo Auguſto principe in Cam-
pania delphinem puer fragmentis panis primo il-
lexit, & in tantum conſuetudo valuit, ut alendum
ſe etiam manui ipſius crederet. Mox, cum proluſiſ-
ſet puerilis audacia, intra ſpatia eum Lucrini lacus
vectitavit: unde effectum, ut a Bajano litore equi-
8 tantem puerum Puteolos uſque veheret. Hoc per
annos plurimos tamdiu geſtum, donec aſſiduo ſpec-
taculo deſineret miraculum eſſe, quod gerebatur.
Sed ubi obiit puer, ſub oculis publicis deſiderio
ejus & mœrore delphin interiit. Pigeret hoc aſſeve-
rare, ni Mæcenatis & Fabiani, multorumque præ-
9 terea eſſet literis comprehenſum. In Africano mox
litore apud Hipponem Diarrhyton delphin ab Hip-
ponenſibus paſtus eſt, tractandumque ſe præbuit,
impoſitos quoque frequenter geſtitavit. Nec popu-
li tantum manibus acta res eſt: nam & proconſul
Africæ Flavianus ipſe eum contigit, unguentis etiam
delibuit: qua odoris novitate obſopitus, aliquan-
tiſper pro exanimi jactitatus eſt, multiſque menſi-
10 bus deſcivit a ſolita converſatione. Apud Jaſum
urbem Babylonem puerum delphinus adamavit,
quem dum poſt aſſueta conludia recedentem impa-

tientius sequitur, arenis invectus hæsit. Alexander Magnus amorem illum Numinis fuisse interpretatus, præfecit puerum Neptuni sacerdotio. Juxta ean- 11
dem urbem, ut Hegesidemus auctor est, alium puerum Hermian nomine, per maria similiter insidentem, cum undosior fluctus necavisset, delphin ad terram revexit: &, velut fateretur reatum, pœnitentiam suam morte multavit, nec reverti voluit amplius in profunda. Suppetunt & alia exempla, ut 12
Arionem transeamus, cujus exitum annalium comprobavit fides. Ad hæc si quando lasciviunt novi fœtus, a majoribus datur adultior gregi custos, quo magistro discant eludere impetus incursantium belluarum: quanquam ibi præter phocas rara bellua est. Plurimus thynnus in Ponto, nec alibi pæne fœ- 13
tificant: nusquam enim citius adolescunt, scilicet ob aquas dulciores. Ingrediuntur veris tempore: intrant dextero, lævo exeunt. Hoc inde accidere credunt, quod dexteris oculis acutius cernant, quam sinistris.

CAPUT XIII.

Flumen Histrum. Fiber Ponticus. Gemma Pontica.

HISTER Germanicis jugis oritur, effusus mon- 1
te, qui Rauracos Galliæ adspectat. Sexaginta amnes in se recipit, ferme omnes navigabiles. Septem ostiis Pontum influit: quorum primum Peuce, secundum Naracustoma, tertium Calonstoma, quartum Pseudostoma: nam Borionstoma, ac deinde Stenonsto-

ma, languidiora ſunt ceteris. Septimum vero pigrum, ac paluſtri ſpecie, non habet quod amni comparetur. Priora quatuor ita magna ſunt, ut per longitudinem quadraginta millium paſſuum non miſceantur æquori, dulcemque hauſtum incorrupto
2 detineant ſapore. Per univerſum Pontum fiber plurimus, quem alio vocabulo dicunt caſtorem. Lytris ſimilis eſt, animal morſu potentiſſimum, adeo ut cum hominem invadit, conventum dentium non prius laxet, quam concrepuiſſe perſenſerit fracta oſſa. Teſticuli ejus appetuntur in uſum medelarum: idcirco cum urgeri ſe intelligit, ne captus proſit,
3 ipſe geminos ſuos devorat. Mittit Pontus & gemmas, quas a patria Ponticas dicimus, genere diverſo: quippe aliæ aureas, aliæ ſanguineas habent ſtellas, & eæ quidem inter ſacras habentur: nam quæ oſtentationi potius, quam uſui deliguntur, non guttis aſperſæ ſunt, ſed longis colorum ductibus liniantur.

CAPUT XIV.

Amnis Hypanis, & fons Exampeus.

1 HYPANIS oritur inter Auchetas, Scythicorum amnium princeps, purus & hauſtu ſaluberrimus, uſque dum Callipidum terminis inferatur, ubi fons Exampeus infamis eſt amara ſcaturigine: qui Exampeus liquido admixtus fluori, amnem vitio ſuo vertit, adeo ut diſſimilis ſibi in ma-
2 ria condatur. Ita inter gentium opiniones fama de

Hypane discordat: qui in principiis eum norunt, prædicant: qui in fine experti sunt, non injuria execrantur.

CAPUT XV.

De flumine Borysthene, & in eo piscibus. Scythicarum gentium varia miracula. In his de natura canum, de smaragdo lapide, de cyaneo lapide, de crystallo.

APUD Neuros nascitur Borysthenes flumen, in 1
quo pisces egregii saporis, & quibus ossa nulla sunt,
nec aliud quam cartilagines tenerrimæ. Verum Neu- 2
ri, ut accepimus, statis temporibus, in lupos transfigurantur: deinde exacto spatio, quod huic sorti
attributum est, in pristinam faciem revertuntur. Po- 3
pulis istis deus Mars est: pro simulacris enses colunt. Homines victimas habent. Ossibus adolent ignes focorum. Geloni ad hos proximant. De hostium cutibus & sibi indumenta faciunt, & equis suis tegmina. Gelonis Agathyrsi collimitantur, cærulo picti colore, fucatis in cærulum crinibus. Nec hoc sine differentia: nam quanto quis anteit, tanto propensiore nota tingitur, ut sit indicium humilitatis minus pingi. Post Anthropophagi, quibus execrandi 4
cibi sunt humana viscera: quem morem impiæ gentis adjacentium terrarum prodit tristissima solitudo, quas ob nefarium ritum finitimæ nationes metu profugæ reliquerunt. Et ea causa est, ut usque ad mare, quod Tabin vocant, per longitudinem ejus oræ, quæ æstivo orienti objacet, sine homine terra sit,

& immensa deserta, quoad perveniatur ad Seras.
5 Chalybes & Dahæ in parte Asiaticæ Scythiæ crudelitate ab immanissimis nihil discrepant. At Albani in ora agentes, qui posteros se Jasonis credi volunt, albo crine nascuntur, canitiem habent auspicium capillorum; ergo capitis color genti nomen dedit: glauca oculis inest pupula: ideo nocte plus, quam
6 die cernunt. Apud hos populos nati canes feris anteponuntur, frangunt tauros, leones premunt, detinent quidquid objectum est: ex quibus causis me-
7 ruerunt etiam annalibus tradi. Legimus petenti Indiam Alexandro, a rege Albaniæ dono duos missos, quorum alter sues sibi & ursos oblatos usque eo sprevit, ut offensus degeneri præda, ignavo similis diu accubaret: quem per ignorantiam velut inertem Alexander exstingui imperavit: alter vero monitu eorum, qui donum prosecuti fuerant, leonem missum necavit: mox, viso elephanto, *notabiliter exsultans, belluam primum astu fatigavit, deinde cum summo spectantium horrore terræ afflixit. Hoc genus canes crescunt ad formam amplissimam, terrificis latratibus ultra rugitus insonantes.
8 Hæc sunt de canibus Albanis: reliqua communia universis. Dominos æqualiter omnes canes diligunt, sicut exemplis patet. In Epiro denique domini percussorem in cœtu agnitum latratu canis prodidit. Jaso Lycio interfecto, canis ipsius aspernatus cibum inedia obiit. Lysimachi regis canis flammis se injecit, accenso rogo domini, & pariter igni absumtus
9 est. Garamantum regem ducenti canes ab exsilio reduxerunt prœliati adversum resistentes. Colopho-

nii & Caſtabalenſes, canibus in bella productis,
primas acies inſtruebant. Appio Junio, P. Sicinio 10
conſulibus, damnatum dominum canis, cum abigi
non poſſet, comitatus in carcerem, mox percuſ-
ſum ululatu proſecutus eſt: cumque ex miſeratio-
ne populi Romani poteſtas ei cibi fieret, ad os de-
functi eſcam tulit: ultimo dejectum in Tiberim ca-
daver adnatans ſuſtentare conatus eſt. Canes ſoli 11
nomina ſua recognoſcunt: itinerum meminerunt.
Indi coitus tempore in ſaltibus religant canes femi-
nas, ut cum his tigrides coeant, quarum ex primis
conceptibus ob nimiam feritatem inutiles partus ju-
dicant, itidem ſecundos, tertios educant. Ægyptii 12
canes e Nilo nunquam niſi currentes lambitant, dum
a crocodilis inſidias cavent. Inter Anthropophagos 13
in Aſiatica parte numerantur Eſſedones, qui & ipſi
nefandis funeſtantur inter ſe cibis. Eſſedonum mos
eſt, parentum funera proſequi cantibus, & proxi-
morum corrogatis cœtibus, cadavera ipſa dentibus
lancinare, ac pecudum mixta carnibus dapes facere:
capitum etiam oſſa auro incincta in poculorum
tradere miniſterium. Scythotauri pro hoſtiis cædunt 14
advenas. Nomades pabula ſequuntur. Georgi in
Europa ſiti, agros exercent. Axiacæ perinde in Eu-
ropa ſiti, neque mirantur aliena, neque ſua dili-
gunt. Satarchæ uſu auri argentique damnato, in
æternum ſe a publica avaritia vindicarunt. Scytha- 15
rum interius habitantium aſperior ritus eſt: ſpecus
incolunt: pocula non ut Eſſedones, ſed de inimi-
corum capitibus moliuntur: amant prœlia: interem-
torum cruorem e vulneribus ipſis bibunt: numero

cædium honor creſcit, quarum expertem eſſe apud
16 eos probrum eſt: hauſtu mutui ſanguinis fœdus ſan-
ciunt, non ſuo tantum more, ſed Medorum quoque
uſurpata diſciplina. Bello denique, quod geſtum eſt
Olympiade nona & quadrageſima, anno poſt Ilium
captum ſexcenteſimo quarto, inter Alyattem Ly-
dum & Aſtyagem Mediæ regem, hoc pacto firma-
17 ta ſunt jura pacis. Colchorum urbem Dioſcoriadem
Amphitus & Cercius aurigæ Caſtoris & Pollucis
condiderunt, a quibus Heniochorum gens exorta
18 eſt. Ultra Sauromatas in Aſia ſitos, qui Mithridati
latebram, & quibus originem Medi dederunt, con-
fines ſunt Thalli, his nationibus quas ab oriente
contingunt. Caſpii maris fauces: quæ fauces mirum
in modum maciantur imbribus, creſcunt æſtibus.
19 Heniochorum montes Araxem: Moſchorum, Pha-
ſidem fundunt. Sed Araxes brevibus intervallis ab
Euphratis ortu caput tollit, ac deinde in Caſpium
20 fertur mare. Arimaſpi circa Geſclithron poſiti, uno-
cula gens eſt. Ultra hos & Rhiphæum jugum regio
eſt aſſiduis obſeſſa nivibus: Pterophoron dicunt,
quippe caſus continuantium pruinarum quiddam ibi
21 exprimit ſimile pinnarum. Damnata pars mundi, &
a rerum natura in nubem æternæ caliginis merſa,
ipſiſque prorſus aquilonis conceptaculis rigentiſſi-
ma. Sola terrarum non novit vices temporum, nec
de cælo aliud accipit, quam hiemem ſempiternam.
22 In Aſiatica Scythia terræ ſunt locupletes, inhabita-
biles tamen: nam cum auro & gemmis affluant,
grypes tenent univerſa, alites ferociſſimæ, & ultra
omnem rabiem ſævientes: quarum immanitate obſi-

ſtente ad venas divites acceſſus difficilis ac rarus eſt:
quippe viſos diſcerpunt, velut geniti ad plectendam
avaritiæ temeritatem. Arimaſpi cum his dimicant, 23
ut intercipiant lapides, quorum non aſpernabimur
perſequi qualitatem. Smaragdis hic locus patria eſt,
quibus tertiam inter lapides dignitatem Theophra-
ſtus dedit: nam licet ſint & Ægyptii, & Chalcedo-
nii, & Medici, & Laconici, præcipuus eſt honor
Scythicis. Nihil his jucundius, nihil utilius vident
oculi. In primis virent ultra aquaticum gramen, ul- 24
tra amnicas herbas: deinde obtutus fatigatos coloris
reficiunt lenitate: nam viſus, quos alterius gemmæ
fulgor retuderit, ſmaragdi recreant, & exacuunt.
Nec aliam ob cauſam placuit, ut non ſculperentur,
ne offenſum decus, imaginum lacunis corrumpere-
tur: quanquam qui verus eſt, difficulter vulnere-
tur. Probantur hoc pacto, ſi adſpectus tranſmittant: 25
ſi cum globoſi ſunt, proxima ſibi inficiant aere re-
percuſſo: aut cum concavi ſunt, inſpectantium fa-
cies æmulentur: ſi neque umbra, neque lucernis,
neque ſole mutentur, optimos tamen ſortiuntur ſi-
tus, quibus planities reſupina eſt, & extenta. In- 26
veniuntur eteſiis flantibus: tunc enim detecto ſo-
lo facillime internitent: nam eteſiæ plurimum are-
nas movent. Alii minus nobiles in commiſſuris ſaxo-
rum, vel in metallis ærariis apparent, quos chal-
coſmaragdos nuncupant. Vitioſi eorum intrinſecus 27
quaſdam ſordes habent, vel plumbo, vel capilla-
mentis, vel etiam ſali ſimiles. Laudantur auſteri. Me-
ro & viridi proficiunt oleo, quamvis natura im-
buuntur. Et cyaneus e Scythia eſt optimus, ſi cæ- 28

rulo coruscabit: cujus gnari in marem & feminam genus dividunt. Feminis nitor purus est: mares punctillis ad gratiam interlucentibus auratilis pulviculus
29 variat. Istic & crystallus, quem licet pars major Europæ & particula Asiæ subministret, pretiosissimum tamen Scythia edit. Multus ad pocula destinatur, quamlibet nihil aliud quam frigidum pati pos-
30 sit. Sexangulus invenitur. Qui eligunt, purissimum captant, ne quid rufum, ne nubilum, vel spumis obsitum arceat perspicuitatem: tum ne duritia justo propensior obnoxium fragilitati magis faciat.
31 Putant glaciem coire, & in crystallum corporari: sed frustra: nam si ita foret, nec Alabanda Asiæ, nec Cypros insula hanc materiam procrearent, quibus regionibus incitatissimus calor. Livia Augusti ad magnitudinem CL librarum inter Capitolina donaria crystallum dicavit.

CAPUT XVI.

De Hyperboreis, & Hyperboreæ regionis situ.

1 FABULA erat de Hyperboreis, & rumor irritus, si quæ illinc ad nos usque fluxerunt, temere forent credita. Sed cum probissimi auctores, & satis vero idonei sententias pares faciant, nullus falsum reformidet. De Hyperboreis rem loquemur. Incolunt pone Pterophoron, quam ultra aquilonem accepimus
2 jacere. Gens beatissima. Eam Asiæ quidam magis, quam Europæ dederunt. Alii statuunt mediam inter utrumque solem, antipodum occidentem, & no-

ſtrum renaſcentem: quod aſpernatur ratio, tam va-
ſto mari duos orbes interfluente. Sunt igitur in 3
Europa, apud quos mundi cardines eſſe credunt,
& extimos ſiderum ambitus, ſemeſtrem lucem, aver-
ſum uno tantum die ſolem: quanquam exſiſtant, qui
putant non quotidie ibi ſolem, ut nobis, ſed ver-
nali æquinoctio exoriri, autumnali occidere: ita
ſex menſibus infinitum diem, ſex aliis continuam
eſſe noctem. De cælo magna clementia: auræ ſpi-
rant ſalubriter: nihil noxii flatus habent. Domus
ſunt nemora, vel luci. In diem victum arbores ſub- 4
miniſtrant. Diſcordiam neſciunt. Ægritudine non
inquietantur. Ad innocentiam omnibus æquale vo-
tum. Mortem accerſunt, & voluntario interitu ca-
ſtigant obeundi tarditatem: quos ſatietas tenet vi- 5
tæ, epulati delibutique, de rupe nota præcipitem
caſum in maria deſtinant. Hoc ſepulturæ genus op-
timum arbitrantur. Ajunt etiam ſolitos per virgi-
nes probatiſſimas primitiva frugum Apollini Delio
miſſitare. Verum hæ quoniam perfidia hoſpitum 6
non illibatæ reveniſſent, devotionis, quam pere-
gre proſequebantur, pontificium mox intra fines
ſuos receperunt.

CAPUT XVII.

De Arimphæis, & aliis Scytharum gentibus, de tigribus, de pantheris, de pardis.

ALTERA in Aſia gens ad initium orientis æſti- 1
vi, ubi deficiunt Riphæorum montium juga. Hy-

perboreis similes dicunt Arimphæos. Et ipsi fron-
dibus arbustorum gaudent: baccas edunt. Juxta vi-
ros ac feminas tædet crinium. Ita uterque sexus co-
2 mas tondet. Amant quietem, non amant lædere.
Sacri habentur, attrectarique eos, etiam a ferocis-
simis nationibus nefas ducitur. Quicunque pericu-
lum a suis metuit, si ad Arimphæos transfugerit,
3 tutus est, velut asylo tegatur. Ultra hos Cimmerii
& gens Amazonum porrecta ad Caspium mare, quod
delapsum per Asiaticæ plagæ terga Scythicum ir-
4 rumpit Oceanum. Sed magnis deinde spatiis inter-
cedentibus, ostia Oxi fluminis Hyrcani habent,
gens silvis aspera, copiosa immanibus feris, fœta
5 tigribus: quod bestiarum genus insignes maculis no-
tæ, & pernicitas memorabile reddiderunt. Fulvo
nitent: hoc fulvum nigrantibus segmentis interun-
datum, varietate apprime decet. Pedum motum
nescio velocitas, an pervicacia magis adjuvet. Ni-
hil tam longum est, quod non brevi penetrent: ni-
6 hil adeo antecedit, ut non illico assequantur. Ac
maxime potentia earum probatur, cum maternis
curis incitantur. Cum catulorum insistunt raptori-
bus, succedant sibi equites licet, & fuga quantali-
bet, astu quantolibet, amoliri prædam velint, ni in
7 præsidio maria fuerint, frustra est ausum omne. No-
tantur frequentissime, si quando latrones suos aspor
tatis catulis renavigantes vident, in litore irrita
rabie cernuari, velut propriam tarditatem volun-
taria castigantes ruina: quanquam de fœtu univer-
8 so vix unus queat subtrahi. Pantheræ quoque nu-
merosæ sunt in Hyrcania, minutis orbiculis super-

pictæ, ita ut oculatis ex fulvo circulis, vel cærula, vel alba diſtinguatur tergi ſupellex. Tradunt odore earum & contemplatione armenta mire afſici, atque ubi eas perſentiſcant, properato convenire, nec terreri niſi ſola oris torvitate: quam ob 9
cauſam pantheræ abſconditis capitibus, quæ corporis reliqua ſunt, ſpectanda præbent, ut pecuarios greges ſtupidos in obtutum populentur ſecura vaſtatione. Sed Hyrcani, ut hominibus intentatum nihil eſt, frequentius eas veneno, quam ferro, necant. Aconito carnes illinunt, atque ita per com- 10
pita ſpargunt ſemitarum: quas ubi eſæ ſunt, fauces earum angina obſidentur. Ideo gramen pardalianchen appellaverunt. Sed pantheræ adverſus hoc virus excrementa humana devorant, & ſuopte ingenio peſti reſiſtunt. Lenta illis vivacitas, adeo ut ejectis interaneis mortem diu differant. In his ſil- 11
veſtribus & pardi ſunt, ſecundum a pantheris genus, noti ſatis, nec latius exſequendi: quorum adulterinis coitibus degenerantur partus leænarum, & leones quidem procreantur, ſed ignobiles.

CAPUT XVIII.

Unde Mediterranea maria oriantur.

QUONIAM in Ponticis rebus ſumus, non erit 1
omittendum, unde Mediterranea maria caput attollant. Exiſtimant enim quidam ſinus iſtos a Gaditano freto naſci, nec aliam eſſe originem, quam eliquia irrumpentis oceani: cujus ſpiritu pervadente apud

aliquot mediterranea litora, ſicut in Italiæ parte,
a fieri acceſſus, vel receſſus. Qui contrarium ſentiunt, omnem illum fluorem ajunt a Ponticis faucibus inundare, idque fulciunt argumento non inani, quod æſtus e Ponto profluus nunquam reciprocetur.

CAPUT XIX.

De inſulis Scythicis, de Oceano ſeptemtrionali, de ſpatiis inter Scythas & Indos, de formis hominum, de cervis, de tragelaphis.

1 INSULA Apollinitarum LXXX millibus paſſuum abeſt a Boſporo Thracio citra Iſtrum ſita, ex qua Marcus Lucullus Apollinem Capitolinum nobis extulit. Ante Boruſthenem Achillis inſula eſt, cum æde ſacra, quam ædem nulla ingreditur ales: & quæ forte advolaverit, raptim fugam properat.
2 Oceanum ſeptemtrionalem ex parte, qua a Paropaniſo amne Scythiæ alluitur, Hecatæus Amalchium appellat, quod gentis illius lingua ſignificat congelatum. Philemon a Cimbris ad promontorium Rubeas Morimaruſam dicit vocari: hoc eſt, mortuum mare. Ultra Rubeas id quidquid eſt, Cronium no-
3 minant. Mare autem Caſpium ex altero Ponti latere ultra Maſſagetas & Apalæos Scythas, eſſe in Aſiatica plaga dulce hauſtu Alexandro Magno probatum eſt, mox Pompejo Magno, qui bello Mithridatico, ſicut commilito ejus Varro tradit, ipſis hauſtibus
4 periclitari fidem voluit. Id evenire produnt e numero

fluminum, quorum tanta copia ibi confluit, ut na-
turam maris vertant. Non omiſerim, quod per idem
tempus eidem Magno licuit ex India diebus octo ad
Bactros uſque Dalerum flumen, quod influit Oxum
amnem, pervenire: deinde in mare Caſpium: inde
per Caſpium ad Cyri amnis penetrare fluentum, qui
& Iberiæ Armeniæ fines interluit. Itaque a Cyro, die- 5
bus non amplius quinque itinere terreno ſubvectis
navibus, ad alveum Phaſidis pertendit: per cujus
excurſus in Pontum uſque Indos advehi liquido
probatum eſt. Auctor eſt Xenophon Lampſacenus, 6
a litore Scytharum in inſulam Abalciam triduo na-
vigari: ejus magnitudinem immenſam, & pæne ſi-
milem continenti: nec longe Oæones ſeparari; quas
qui habitent, vivant ovis avium marinarum, &
avenis vulgo naſcentibus: perinde alias propter 7
conſtitutas æque inſulas, quarum Hippopodes in-
digenæ humana uſque ad veſtigium forma in equi-
nos pedes deſinunt: eſſe & Phanneſiorum, quorum 8
aures adeo in effuſam magnitudinem dilatentur, ut
viſcerum reliqua illis contegant, nec amiculum aliud
ſit, quam ut membra membranis aurium veſtiant.
Antequam digredimur ab Scythia, religio eſt præ- 9
terire, quænam ibi ſint feræ peculiares. Cervi plu-
rimi in hac terra. Igitur cervos perſequamur. Ma-
res generis hujuſce cum ſtatum tempus Venerem in-
citavit, ſæviunt rabie libidinis efferati. Feminæ, li- 10
cet prius conſerantur, non concipiunt ante Arcturi
ſidus. Nec qualibet partus ſuos educant. Teneros
ſtudioſe occulunt, & abſconditos inter profunda
fruticum, vel herbarum, pedum verbere caſtigant

F 3

11 ad latendum. Cum maturuit ad fugam robur, exer-
citio docent cursus, & assuescunt salire per abrup-
ta. Acceptis canum latratibus, secundo vento vias
dirigunt, ut odor cum ipsis recedat. Mirantur sibi-
lum fistularum. Rectis auribus acutissime audiunt,
submissis nihil. Stupent omnia: propterea facilius
12 obvios se præbent sagittantibus. Si maria tranant,
non aspectu petunt litora, sed olfactu: infirmos po-
nunt in ultimo, & lassorum capita clunibus per vi-
ces sustinent. E cornibus quod dextrum fuerit, ef-
13 ficacius est ad medelam: si fugare angues gestias,
utrum velis, uras: quæ ustrina præterea nidore vi-
tium aperit ac detegit, si cui inest morbus comi-
tialis. Pro ætate ramulos augent. Id incrementum
in sexennes perseverat: deinceps numerosiora non
14 possunt fieri cornua, possunt crassiora: quæ qui-
dem castratis nunquam crescunt, nec tamen deci-
15 dunt. Dentes monstrant senectutem, cum aut pauci
inveniuntur, aut nulli. Serpentes hauriunt, & spi-
ritu narium extrahunt de latebris cavernarum. Dic-
tamnum ipsi prodiderunt, dum ex eo pasti excutiunt
16 accepta tela. Herbam quoque, quam cynaren vo-
cant, contra noxia edunt gramina. Adversum ve-
nena mirificum est hinnulei coagulum, occisi in
matris utero. Patuit nunquam eos febrescere: quam
ob causam confecta ex medullis eorum unguina se-
17 dant calores hominum languentium. Legimus plu-
rimos matutinis diebus cervinam carnem degustare
solitos, sine febribus longævos fuisse: quod de-
18 mum proderit, si uno vulnere fuerint interfecti. Ad
dignoscendam vivacitatem Alexander Magnus tor-

ques plurimis cervis innexuit, qui poſt annum centeſimum capti, necdum ſenii judicium præferebant. Eadem pæne ſpecie ſunt, quos tragelaphos dicunt, 19
ſed non alibi, quam circa Phaſidem apparent: tantum quod illi villoſos habent armos, & menta promiſſis hirta barbis.

CAPUT XX.

Germania. In ea de avibus Hercyniis, de biſontibus, de uris, de alce: item de alce Gangaviæ inſulæ, de ſuccino, de callaïco lapide, de ceraunio albo.

MONS Sevo ipſo ingens, nec Riphæis minor 1
collibus, initium Germaniæ facit. Inguæones tenent, a quibus primis poſt Scythas nomen Germanicum conſurgit. Dives virorum terra, frequens 2
populis numeroſis, & immanibus. Extenditur inter Hercynium ſaltum & rupes Sarmatarum. Ubi incipit, Danubio: ubi deſinit, Rheno perfunditur. De internis ejus partibus, Albis, Guthalus, Viſtula, amnes latiſſimi præcipitant in oceanum. Saltus Her- 3
cynius aves gignit, quarum pinnæ per obſcurum emicant & interlucent, quamvis denſa nox denſet tenebras. Inde homines plerumque nocturnos excurſus ſic deſtinant, ut illis utantur ad præſidium itineris dirigendi, præjactiſque per opaca callium rationem viæ moderentur indicio plumarum refulgentium. In hoc tractu ſane, & in omni ſeptem- 4
trionali plaga biſontes frequentiſſimi, qui bovis feri ſimiles, ſetoſi colla, jubas horridi, ultra tau-

ros pernicitate, capti assuescere manu nesciunt.
5 Sunt & uri, quos imperitum vulgus vocat bubalos:
cum bubali pæne ad cervinam faciem in Africa pro-
creentur. Istis porro, quos uros dicimus, taurina
cornua in tantum modum protenduntur, ut demta
ob insignem capacitatem inter regias mensas po-
6 tuum gerula fiant. Est & alces mulis comparanda,
adeo propenso labro superiore, ut nisi recedens in
7 posteriora vestigia pasci non queat. Gangavia in-
sula a regione Germaniæ emittit animal, quale al-
ces, sed cujus suffragines, ut elephantis, flecti ne-
queunt: propterea non cubat, cum dormiendum
est, tamen somnulentam arbor sustinet, quæ ad
prope casuram secatur, ut fera, dum assuetis fulmen-
tis innititur, faciat ruinam. Ita capitur: alioqui dif-
ficile est eam mancipari: nam in illo rigore po-
8 plitum incomprehensibili fuga pollet. De Germani-
cis insulis Gangavia maxima est, sed nihil in ea mag-
num, præter ipsam. Nam Glesaria dat crystallum,
dat & succinum, quod succinum Germani gentili-
9 ter vocant glæsum. Qualitas materiæ istius summa-
tim antea, Germanico autem Cæsare, omnes Ger-
maniæ oras scrutante, comperta arbor est pinei ge-
neris, cujus mediale auctumni tempore succino la-
crimat. Succum esse arboris, de nominis significa-
tione capessas: verum unde profluit, si usseris, odor
indicabit. Pretium operæ est ire longius, ne Pada-
10 næ silvæ credantur lapidem flevisse. Hanc speciem
in Illyricum barbari intulerunt: quæ cum per Pan-
nonica commercia usu ad Transpadanos homines
foret devoluta, quod ibi primum nostri viderant,

ibi etiam natam putaverunt. Munere Neronis prin- 11
cipis apparatus omnis ſuccino inornatus eſt: nec dif-
ficulter, cum per idem tempus tredecim millia li-
brarum rex Germaniæ donum ei miſerit. Rude pri- 12
mum naſcitur & corticoſum, deinde incoctum adi-
pe lactentis ſuis expolitur ad quem videmus nito-
rem. Pro facie habet nomina: melleum dicitur &
Falernum: utrumque de ſimilitudine aut vini, aut
utique mellis. In aperto eſt, quod rapiat folia, quod 13
trahat paleas: quod vero medeatur multis vitalium
incommodis, medentium docuit diſciplina. Et In-
dia habet ſuccinum, ſed Germania plurimum opti-
mumque. Quoniam ad inſulam Glæſariam venera-
mus, a ſuccino cœptum. Nam in Germaniæ conti-
nentibus Callaïca reperitur, quam gemmam Arabi-
cis anteponunt: vincit enim gratia. Arabes quidem
dicunt non alibi eam deprehendi, quam in nidis
avium, quas melancoryphos vocant: quod nullus re-
cepit, cum apud Germaniæ populos, quamvis rara,
in ſaxis tamen pareat. Honore & pretio ad ſmarag-
dos, viret pallidum: nihil jucundius aurum decet.
Cerauniorum porro genera diverſa ſunt. Germa- 14
nicum candidum eſt: ſplendet tamen cærulo, & ſi
ſub divo habeas, fulgorem rapit ſiderum.

CAPUT XXI.

De Gallia, & ex ea itinerarium. Item de oleo Medico.

GALLIÆ inter Rhenum & Pyrenæum, item in- 1
ter Oceanum & montes Cebennam ac Juram por-

riguntur, felices præpinguibus glebis, accommodæ proventibus fructuariis: pleræque conſitæ vitibus & arbuſtis, omni ad uſum animantium fœtu beatiſſimæ: riguæ aquis fluminum, & fontium: ſed fontaneis interdum ſacris, ac vaporantibus. Infamantur ritu incolarum, qui, ut ajunt, veri enim periculum non ad me recipio, deteſtabili ſacrorum ritu, injuria religionis, humanis litant hoſtiis. Ex iſto ſinu quoquo orbis velis, exeas: in Hiſpanias, & in Italiam terra marique: in Africam mari tan-
2 tum: ſi Thracia ſit petenda, excipit ager Rhæticus opimus, & ferax: inde Noricus, qua ſubducitur
3 a jugis Alpium, admodum lætus: dehinc Pannonia ſolo plano uberique, Dravo Savoque inclytis amnibus circumflua: mox Mœſiæ, quas majores no-
4 ſtri jure Cereris horreum nominabant, in quarum parte, quæ Pontica eſt, apparet herba, qua inficitur oleum, quod vocant Medicum. Hoc ad incendium excitatum ſi obruere aqua geſtias, ardet magis, nec alio ſopitur, quam jactu pulveris.

CAPUT XXII.

Britannia. In ea de lapide Gagate, & gentibus barbaris inſuliſque circa eam claris.

1 FINIS erat orbis ora Gallici litoris, niſi Britannia inſula non qualibet amplitudine nomen pæne orbis alterius mereretur: octingenta & amplius millia paſſuum longa detinet: ita ut eam in Calidonicum uſque angulum metiamur: in quo receſſu Ulу-

xem Calidoniæ appulſum manifeſtat ara Græcis li-
teris ſcripta Votum. Multis inſulis nec ignobili- 2
bus circumdatur: quarum Hibernia ei proximat
magnitudine, inhumana incolarum ritu aſpero: alio-
quin ita pabuloſa, ut pecua ibi niſi interdum a paſ-
cuis arceantur, in periculum agat ſatias. Illic nul- 3
lus anguis, avis rara, gens inhoſpita, & bellicoſa.
Sanguine interemtorum hauſto prius victores vul-
tus ſuos oblinunt. Fas ac nefas eodem loco ducunt.
Puerpera, ſi quando marem edidit, primos cibos 4
gladio imponit mariti, inque os parvuli ſummo mu-
crone auſpicium alimentorum leviter inſercit, &
gentilibus votis optat, non aliter quam in bello
& inter arma mortem oppetat. Qui ſtudent cultui, 5
dentibus mari nantium belluarum inſigniunt en-
ſium capulos: candicant enim ad eburnam clarita-
tem: nam præcipua viris gloria eſt in armorum ni-
tela. Interea apes non habent: advecto inde ſeu pul- 6
vere, ſeu lapillo, ſi quid ſparſeris inter alvearia,
examina favos deſerunt. Mare quod Hiberniam & 7
Britanniam interluit, undoſum inquietumque toto
in anno, nonniſi pauculis diebus eſt navigabile.
Navigant autem vimineis alveis, quos circumdant
ambitione tergorum bubulorum: quantocunque
tempore curſus tenebit, navigantes eſcis abſtinent.
Freti latitudinem in centum viginti millia paſſuum 8
diffundi, qui fidem ad verum ratiocinati ſunt, æſti-
marunt. Siluram quoque inſulam ab ora, quam gens 9
Britanna Dumnonii tenent, turbidum fretum diſtin-
guit: cujus homines etiamnum cuſtodiunt morem
vetuſtum: nummum refutant: dant res, & acci-

piunt: mutationibus neceſſaria potius quam pre-
tiis parant: Deos percolunt: ſcientiam futurorum
10 pariter viri ac feminæ oſtentant. Adtanatos inſu-
la adſpiratur freto Gallico, a Britanniæ continente
æſtuario tenui ſeparata, frumentariis campis felix
& gleba uberi, nec tantum ſibi, verum & aliis ſa-
lubris locis: nam cum ipſa nullo ſerpatur angue,
aſportata inde terra quoquo gentium invecta ſit, an-
11 gues necat. Multæ & aliæ circum Britanniam inſu-
læ, e quibus Thyle ultima, in qua æſtivo ſolſti-
tio ſole de cancri ſidere faciente tranſitum nox pæ-
ne nulla: brumali ſolſtitio dies adeo conductus,
12 ut ortus junctus ſit occaſui. A Calidoniæ promon-
torio Thylen petentibus bidui navigatione perfecta
13 excipiunt Hebudes inſulæ, quinque numero, qua-
rum incolæ neſciunt fruges, piſcibus tantum & lac-
14 te vivunt. Rex unus eſt univerſis: nam quotquot
ſunt, omnes anguſta interluvie dividuntur. Rex ni-
hil ſuum habet, omnia univerſorum: ad æquita-
tem certis legibus ſtringitur; ac ne avaritia dever-
tat a vero, diſcit paupertate juſtitiam, utpote cui
15 nihil ſit rei familiaris: verum alitur e publico. Nul-
la illi datur femina propria, ſed per viciſſitudines,
in quamcunque commotus fuerit, uſurariam ſumit.
Unde ei nec votum, nec ſpes conceditur liberorum.
16 Secundam a continenti ſtationem Orchades præbent:
ſed Orchades ab Hebudibus porro ſunt ſeptem die-
rum, totidemque noctium curſu, numero tres. Va-
cant homine: non habent ſilvas, tantum junceis
17 herbis inhorreſcunt. Cetera earum nudæ arenæ. Ab
Orchadibus Thylen uſque quinque dierum ac noc-

tium navigatio eſt. Sed Thyle larga & diutina po-
mona copioſa eſt. Qui illic habitant, principio veris
inter pecudes pabulis vivunt, deinde lacte. In hie-
mem compercunt arborum fructus. Utuntur feminis
vulgo, certum matrimonium nulli. Ultra Thylen 18
pigrum & concretum mare. Circuitus Britanniæ qua-
dragies octies ſeptuaginta quinque millia paſſuum
ſunt. In quo ſpatio magna & multa flumina, fontes
calidi opiparo exculti apparatu ad uſus mortalium:
quibus fontibus præſul eſt Minervæ numen, in cu-
jus æde perpetui ignes nunquam caneſcunt in favil-
las, ſed ubi ignis tabuit, vertit in globos ſaxeos.
Præterea, ut taceam metallorum largam variamque 19
copiam, quibus Britanniæ ſolum undique generum
pollet venis locupletibus, Gagates hic plurimus
optimuſque eſt lapis: ſi decorem requiras, nigro
gemmeus; ſi naturam, aqua ardet, oleo reſtingui-
tur: ſi poteſtatem, attritu calefactus applicita detinet,
atque ſuccinum. Regionem partim tenent barbari, 20
quibus per artifices plagarum figuras, jam inde a
pueris variæ animalium effigies incorporantur, in-
ſcriptiſque viſceribus hominis incremento pigmenti
notæ creſcunt: nec quidquam mage patientiæ loco
nationes feræ ducunt, quam ut per memores cica-
trices plurimum fuci artus bibant.

CAPUT XXIII.

Hiſpania. In ea de ceraunio rubro, de Gaditano freto & mediterraneo mari, de Oceano.

1 REVERSOS ad continentem res Hiſpanienſes vocant. Terrarum plaga comparanda optimis, nulli poſthabenda frugum copia & ſoli ubere, ſive vinearum proventus reſpicere, ſive arborarios velis.
2 Omni materia affluit, quæcunque aut pretio ambitioſa eſt, aut uſu neceſſaria. Argentum vel aurum requiras, habet: ferrariis nunquam deficit: nec ce-
3 dit vitibus, vincit olea. Dividua eſt provinciis tribus, ſecundo Punico bello noſtra facta. Nihil in ea otioſum, nihil ſterile. Quidquid cujuſcunque modi negat meſſem, viget pabulis: etiam quæ arida ſunt ab ſterilitate, rudentum materias nauticis ſubmini-
4 ſtrant. Non coquunt ibi ſales, ſed effodiunt. Depurgant in minium nitelas pulveris. Fucant vellera,
5 ut ad ruborem merum deputent cocci venenum. In Luſitania promontorium eſt, quod Artabrum alii, Oliſipponenſe dicunt. Hoc cælum, terras, maria diſtinguit: terris, Hiſpaniæ latus finit: cælum, & maria hoc modo dividit, quod a circuitu ejus incipiunt Oceanus Gallicus, & fons ſeptemtriona-
6 lis, Oceano Atlantico & occaſu terminatis. Ibi oppidum Oliſippone Ulyxi conditum: ibi Tagus flumen. Tagum ob arenas auriferas ceteris ibi amni-
7 bus prætulerunt. In proximis Oliſipponis equæ laſciviunt mira fœcunditate: nam aſpirante favonio

vento concipiunt, & ſitientes viros aurarum ſpiritu maritantur. Iberus amnis toti Hiſpaniæ nomen 8
dedit, Bætis provinciæ: uterque nobilis. Carthaginem apud Iberos, quæ mox colonia facta eſt, Pœni condiderunt: Tarraconem Scipiones: ideo eſt caput provinciæ Tarraconenſis. Luſitanum litus flo- 9
ret gemma ceraunio plurimum, quam etiam Indicis præferunt: hujus ceraunii color eſt e pyropo: qualitas igni probatur: quem ſi ſine detrimento ſui perferat, adverſum vim fulgurum creditur optulari. Caſſiterides inſulæ ſpectant adverſum Celtiberiæ 10
latus: plumbi fertiles, & tres Fortunatæ, e qui- 11
bus ſolum vocabulum ſignandum fuit. Ebuſus e Balearibus, quæ a Dianio abeſt ſeptingenta ſtadia, ſerpentem non habet: utpote cujus terra ſerpentes fuget. Colubraria Sucronem verſus, fœta eſt anguibus. Bocchoris regnum Baleares fuerunt, uſque ad 12
everſionem frugum cuniculis animalibus quondam copioſæ. In capite Bæticæ, ubi extremus eſt noti orbis terminus, inſula a continenti ſeptingentis paſſibus ſeparatur: quam Tyrii a rubro profecti mari, Erythæam: Pœni lingua ſua Gardir, id eſt, ſæpem, nominarunt. In hac Geryonem ævum agitaviſſe plurimis monumentis probatur, tametſi quidam putent, Herculem boves ex alia inſula abduxiſſe, quæ Luſitaniam contuetur. Sed Gaditanum fretum a Gadi- 13
bus dictum, Atlanticus æſtus in noſtrum mare diſcidio orbis immittit. Nam Oceanus, quem Graji ſic nominant de celeritate, ab occaſu ſolis irrumpens, lævo latere Europam radit; Africam dextro, ſciſſiſque Calpe & Abinna montibus, quas dicunt colum-

14 nas Herculis, inter Mauros funditur, & Hiſpaniam: ac freto iſti, cujus quindecim millia paſſuum efficit longitudo, latitudo vix ſeptem, quodam oſtio aperit limen interni æquoris mixtus mediterraneis finibus, quos ad uſque orientem propellit. Horum qui Hiſpanias perfundit, Ibericus fertur, & Balcaricus: qui Narbonenſem provinciam, Gallicus: mox Liguſticus: ab eo ad Siciliam Tuſcus, quem Græci Jonium, vel Tyrrhenum, Itali inferum vocant: a
15 Sicilia Cretam uſque Siculus: inde Creticus, qui in Pamphyliam & Ægyptum pertendit: quæ aquarum moles torto in ſeptemtrionem prius latere, anfractibus magnis juxta Græcias & Illyricum per Helleſpontum in anguſtias ſtringitur Propontidis: quæ Propontis Europam Aſiamque diſcriminans,
16 ad Mæotidem pervenit. Cauſas nominum non uniformis dedit ratio: Aſiaticum & Phœnicium a provinciis dictum: ab inſulis Carpathium, Ægæum, Icarium, Balearicum, Cyprium: a gentibus Auſonium, Dalmaticum, Liguſticum, Tuſcum: ab oppidis Adriaticum, Argolicum, Corinthium, Tyrium: a caſibus hominum Myrtoum, Helleſpontus: a memoria regis Jonium: a bovis tranſitu, vel anguſtis etiam meatibus boum perviis, Boſporus: a moribus accolarum, Euxinus, Axinus ante appellatus: ab or-
17 dine fluenti, Propontis. Ægyptium pelagus Aſiæ datur: Gallicum, Europæ: Africum, Libyæ: his ut quæque proxima ſunt, venerunt in partes partium. Hæc in gremiis terrarum. Oras autem extimas Oceanus amplectitur, qui a litoribus ſuis Arabicus, Perſicus, Indicus, Eous, Sericus, Hyrcanus,

Caſpius, Scythicus, Germanicus, Gallicus, Atlan-
ticus, Libycus, Æthiopicus dicitur: cujus acceſ- 18
ſus incrementa circa litora Indiæ vehementiſſime
proruunt, maximoſque ibi exitus faciunt: ſive quod
ſuſpenſus altius ſuſtollatur vi caloris, ſeu quod in
ea parte orbis & fontium & fluminum copia ſit ef-
fuſior. Dubitatur etiamnum quibus ex cauſis intu- 19
meſcat Oceanus, vel quatenus, cum ſuperfluus ſibi
fuerit, rurſus in ſe reſidat. Nec in obſcuro eſt, plu-
ra pro ingeniis differentium, potius quam pro ve-
ritatis fide expreſſa. Sed omiſſo ancipiti concurren-
tium quæſtionum, has opiniones probatiſſimas in-
venimus. Phyſici ajunt, mundum animal eſſe, eum- 20
que ex variis elementorum corporibus congloba-
tum, moveri ſpiritu, regi mente: quæ utraque dif-
fuſa per membra omnia, æternæ molis vigorem
exerceant. Sicut ergo in corporibus noſtris com- 21
mercia ſunt ſpiritalia, ita in profundis Oceani na-
res quaſdam mundi conſtitutas, per quas emiſſi an-
helitus, vel reducti, modo inflent maria, modo re-
vocent. At hi, qui ſiderum ſequuntur diſciplinam, 22
contendunt meatus iſtos commoveri lunæ curſi-
bus: adeo ut viciſſitudines inter maciem aquarum
& plenitudinem, reſpiciant adauctus ejus, vel eli-
quia: neque eodem ſemper tempore, ſed prout il-
la aut minuatur, aut creſcat, variari alternantes
recurſus.

CAPUT XXIV.

Libya. Horti Heſperidum. Mons Atlas.

1 DE Hiſpania eſt excurſus in Libyam: nam Be-
lone progreſſos, quod Bæticæ oppidum eſt, ultra
interjacens fretum trium & triginta millium paſ-
ſuum Tingi excipit, Mauritaniæ nunc colonia, ſed
2 cujus primus auctor Antæus fuit. Porro, quod in
illo ambitu Ægyptium finitur pelagus, & Libycum
incipit, placuit, ut Africam Libyam diceremus.
Quidam tamen Libyam a Libye Epaphi filia, Afri-
cam autem ab Afro, Libyis Herculis filio, potius
3 dictam receperunt. Lix quoque colonia in eodem
tractu conſtituta eſt, ubi Antæi regia, qui impli-
candis explicandiſque nexibus humi melius ſciens,
velut genitus matre terra, ibidem Herculi victus eſt.
4 Nam de hortis Heſperidum, & pervigili dracone,
ne famæ licentia vulneretur fides, ratio hæc eſt.
Flexuoſo meatu æſtuarium e mari fertur, adeo ſi-
nuoſis lateribus tortuoſum, ut viſentibus procul
lapſus angueos fracta vertigine mentiatur: idque
5 quod hortos appellavere, circumdat: unde pomo-
rum cuſtodem interpretantes, ſtruxerunt iter ad
mendacium fabulandi. Sed hæc inſula inſinuata ſi-
nibus alvei recurrentis, & in quibuſdam æquoris
ſpiris ſita, præter arbores oleaſtri ſimiles, & aram
ſacram Herculi, aliud nihil præfert, quo propa-
6 get vetuſtatis memoriam. Verum ultra frutices au-

reos & metalla frondentia, illud magis mirum,
quod solum inferiore licet libra depressius, nunquam
tamen accessu freti superlabitur; sed obstaculo na-
turalis repaguli in ipsis marginibus hæret unda, &
intimis orarum superciliis sponte fluctus ingrui re-
sistuntur: spectandum nimirum ingenium loci, pla-
nities manet sicca, quamvis prona superveniant
æquora. Sala oppidum imminet Salæ flumini. Ab 7
hoc per Autololum gentem iter est in Atlanticas so-
litudines. Atlas mons e media arenarum consurgit
vastitate, & eductus in viciniam lunaris circuli,
ultra nubila caput condit: qua ad Oceanum exten- 8
ditur, cui a se nomen dedit, manat fontibus, ne-
moribus inhorrescit, rupibus asperatur, squalet je-
junio, humo nuda, nec herbida: qua Africæ con-
traversus est, felix nascentibus sponte frugibus,
arboribus proceris opacissimus, quarum odor gra-
vis, comæ cupressi similes vestiuntur lanugine,
sericis velleribus nihil viliore. In eo latere & her- 9
ba Euphorbia copiosa, cujus succus ad ocularium
proficit claritatem, nec mediocriter percellit vim
venenorum. Vertex semper nivalis. Saltus ejus qua- 10
drupedes, ac serpentes & feræ, & cum his elephan-
ti occupaverunt. Silet per diem universus, nec si-
ne horrore secretus est; lucet nocturnis ignibus:
choris Ægipanum undique personatur: audiuntur
& cantus tibiarum, & tinnitus cymbalorum per
oram maritimam. A Lixo abest quinque & ducen- 11
tis millibus passuum: Lix a Gaditano freto centum
duodecim millibus. Habitatus ante, ut indicat loci
facies, quondam cultu exercita, in qua usque ad-

12 huc vitis & palmæ exſtat veſtigium: Apex Perſeo & Herculi pervius, ceteris inacceſſus: ita fidem ararum inſcriptio palam facit. Qua ſpectat occaſum, inter ipſum & flumen Anatim per quadringenta nonaginta ſex millia paſſuum infames beſtiis ſilvæ
13 obſident. Amnes circa eum non tacendi: qui licet ſeparentur intervallis amplioribus, tranſierunt tamen in quoddam Atlantici nominis miniſterium.
14 Aſana marino hauſtu, Bambothum crocodilis & hippopotamis refertum. Ultra adhuc amnis, qui atro colore exit per intimas & exuſtas ſolitudines, quæ torrente perpetuo, & ſole nimio, plus quam igni-
15 to, nunquam ab æſtu vindicantur. Hæc de Atlante, quem Mauri Adderim nominant, & Hannonis Punici libri, & noſtri annales prodiderunt: Juba etiam Ptolemæi filius, qui utriuſque Mauritaniæ regno potitus eſt: Suetonius quoque Paulinus ſummam huic cognitioni impoſuit manum, qui ultra Atlantem primus, & pæne ſolus Romana ſigna circumtulit.

CAPUT XXV.

Mauritania. In ea de elephantis, de pugna eorum & draconum. Unde cinnabari.

1 E provinciis Mauritanis Tingitana, qua ſolſtitiali plagæ obvia eſt, quaque porrigitur ad internum mare, exſurgit montibus ſeptem: qui a ſimili-
2 tudine fratres appellati, freto imminent. Hi montes elephantis frequentiſſimi, ſubmonent a principio

hoc animantium genus dicere. Igitur elephanti juxta
ſenſum humanum intellectus habent, memoria pol-
lent, ſiderum ſervant diſciplinam. Luna niteſcente
gregatim amnes petunt, mox exſperſi liquore, ſolis
exortum motibus, quibus poſſunt, ſalutant: dein-
de in ſaltus revertuntur. Duo eorum genera ſunt: 3
nobiliores indicat magnitudo, minores nothos di-
cunt. Candore dentium intelligitur juventas: quo-
rum alter ſemper in miniſterio eſt, alteri parcitur,
ne habetatus aſſiduo repercuſſu, minus vigeat, ſi
ſuerit dimicandum. Cum venatu premuntur, pari- 4
ter affligunt utroſque, ut ebore damnato non requi-
rantur: hanc enim ſibi cauſam ineſſe periculi ſen-
tiunt. Oberrant agminatim. Natu maximus ducit
agmen, ætate proximus cogit ſequentes. Flumen 5
tranſituri, minimos antemittunt, ne majorum in-
greſſu alveum atterant, & profundos gurgites de-
preſſis vadis faciant. Venerem ante annos decem ſe-
minæ, ante quinque mares neſciunt. Biennio coeunt,
quinis nec amplius in anno diebus, non prius ad
gregarium numerum reverſuri, quam vivis aquis
abluantur. Propter feminas nunquam dimicant: nul- 6
la enim noverunt adulteria. Ineſt illis clementiæ bo-
num: quippe ſi per deſerta vagabundum hominem
forte viderint, ductus uſque ad notas vias præbent:
vel, ſi confertis pecoribus occurſitent, itinera ſibi
blanda & placida manu faciunt, ne quod obvium
animal interimant. At conflictu fortuito ſi quando 7
pugnatur, non mediocrem habent curam ſocio-
rum: nam feſſos vulneratoſque in medium recep-
tant. Cum captivitate venerint in manus hominum,

8 manſueſcunt hauſto hordei ſucco. Maria tranſmeaturi, in naves non prius ſubeunt, quam de reditu illis ſacramentum luatur. Indicos elephantos Mauri timent, & parvitatis ſuæ conſcii aſpernantur ab his videri. Non annis decem ut vulgus, ſed biennio, ut Ariſtoteles definit, utero graveſcunt, nec amplius quam ſemel gignunt, nec plures quam ſingulos.
9 Vivunt annos trecentos. Impatientiſſimi frigoris. Truncos edunt, lapides hauriunt, gratiſſimas in cibatu habent palmas. Odorem muris vel maxime fugiunt: pabula etiam, quæ muſculis contacta ſunt,
10 recuſant. Si quis caſu chamæleontem devoraverit, vermem elephantis veneficum, oleaſtro ſumto peſti medetur. Duriſſimum dorſo tergus eſt, ventri mollius. Setarum hirſutiæ nullæ. Inter hos & dra-
11 cones jugis diſcordia. Denique inſidiæ hoc aſtu præparantur: ſerpentes propter ſemitas deliteſcunt, per quas elephanti aſſuetis callibus evagantur: atque ita, prætermiſſis prioribus, poſtremos adoriuntur, ne qui anteceſſerint, queant opitulari: ac primum pedes nodis illigant, ut laqueatis cruribus impediant
12 gradiendi facultatem: nam elephanti, niſi præventi hac ſpirarum mora, vel arboribus ſe, vel ſaxis applicant, ut pondere nitibundo attritos necent an-
13 gues. Dimicationis præcipua cauſa eſt, quod elephantis, ut ajunt, frigidior ineſt ſanguis: & ob id a draconibus avidiſſime torrente captantur æſtu. Denique nunquam invadunt, niſi potu gravatos, ut venis propenſius irrigatis majorem ſumant de op-
14 preſſis ſatietatem. Nec aliud magis, quam oculos petunt, quos ſolos expugnabiles ſciunt, vel inte-

riora aurium, quod is tantum locus defendi non
poteſt promuſcide. Itaque cum ebiberunt ſangui-
nem, dum ruunt belluæ, dracones obruuntur. Sic
utrinque fuſus cruor terram imbuit, fitque pigmen-
tum quidquid ſoli tinxerit, quod cinnabari vocant.
Elephantes Italia anno U. C. quadringenteſimo ſep- 15
tuageſimo ſecundo in Lucanis primum bello Epi-
rotico vidit, & boves Lucas inde dixit. Cæſari- 16
enſi colonia Cæſaria ineſt, a divo Claudio deduc-
ta, Bocchi prius regia, poſtmodum Jubæ indulgen-
tia populi Romani dono data. Ineſt & oppidum 17
Siga, quod habitatum Siphaci fuit. Nec ab Icoſio
taciti recedamus. Hercule enim illa tranſeunte, vi-
ginti, qui a comitatu ejus deſciverant, locum de-
ligunt, jaciunt mœnia: ac ne quis impoſito a ſe
nomine privatim gloriaretur, de condentium nu-
mero urbi nomen datum.

CAPUT XXVI.

Numidia. In ea de urſis.

QUOD eſt a flumine Amſaga, Numidiæ datur. 1
Hujus incolæ quamdiu errarunt pabulationibus va-
gabundis, Nomades dicti ſunt. Urbes in ea quam
plurimæ nobileſque, ſed Cirta eminet, dein Chul-
li purpurario fuco Tyriis velleribus comparatæ.
Omnis hæc regio finibus in Zeugitanum limitem 2
deſinit. Qua parte ſilveſtris eſt, feras educat: qua
jugis ardua eſt, equos alit. Eximio etiam marmore
prædicatur. Numidici urſi forma ceteris præſtant, 3

rabie dumtaxat & villis profundioribus: nam ge-
nitura par eſt quoquo loco genitis. Eam proti-
nus dixero. Coeunt non itidem, quo quadrupedes
aliæ: ſed apti amplexibus mutuis, velut humanis
4 conjugationibus copulantur. Deſiderium veneris
hiems ſuſcitat. Secreti honore reverentur mares
gravidas, & in iiſdem licet foveis, partitis tamen
per ſcrobes ſecubationibus dividuntur. Lucinæ il-
lis properatius tempus eſt: quippe uterum trige-
ſimus dies liberat: unde evenit, ut præcipitata fœ-
5 cunditas informes creet partus. Carnes pauxillulas
edunt, quibus color candidus, oculi nulli, & de
feſtina immaturitate tantum rudis ſanies, exceptis
unguium lineamentis. Has lambendo ſenſim figu-
rant, & interdum adpectoratas fovent, ut aſſiduo
incubatu calefactæ animalem trahant ſpiritum. In-
6 terea cibus nullus. Sane diebus primis quatuorde-
cim matres in ſomnum ita concidunt, ut nec vul-
neribus excitari queant. Enixæ quaternis latent
menſibus. Mox egreſſæ in diem liberum, tantam
patiuntur inſolentiam lucis, ut putes obſitas cæ-
7 citate. Invalidum urſis caput, vis maxima in bra-
chiis & in lumbis: unde interdum poſticis pedi-
bus inſiſtunt. Inſidiantur alvearibus apium, maxi-
me favos appetunt, nec avidius aliud, quam mel-
8 la captant. Cum guſtavere mandragoræ mala, mo-
riuntur: ſed eunt obviam, ne malum in perniciem
convaleſcat, & formicas devorant ad recipiendam
9 ſanitatem. Si quando tauros adoriuntur, ſciunt,
quibus potiſſimum partibus immorentur; nec aliud,
quam cornua aut nares, petunt: cornua, ut pon-

dere defatigentur: nares, ut acrior dolor sit in
loco teneriore. M. Messala consule, Domitius Æ- 10
nobarbus Curulis Ædilis ursos Numidicos centum, & totidem Æthiopas venatores in circo Romano edidit: idque spectaculum inter memorabiles titulos annotatur.

CAPUT XXVII.

Africa cum Cyrenaica regione. In ea de leonibus, de leontophona, de hyaena, de lapide hyænio, de crocotta, de onagris, de serpentibus, de gemma heliotropio, de Psyllis, de lapide cornu Ammonis, de arbore melopode, de lacte sirpicio, de serpente basilisco, de genere simiarum.

OMNIS Africa a Zeugitano pede incipit, pro- 1
montorio Apollinis Sardiniæ contraversa: promontorio Mercurii procedens in frontem Sicanam. Proinde extenta in duas prominentias, quarum altera promontorium candidum dicitur: alteram, quæ est in Cyrenaica regione, Phucuntem vocant.
Ea per sinum Creticum opposita Cretæ insulæ, 2
contra Tænaron Laconicæ excurrit. Arenis Cata- 3
bathmi Ægypto insinuata, cui proximi Cyrenenses, extenditur inter duas Syrtes, quas inaccessas vadosum ac reciprocum mare efficit: cujus sali defectus, vel incrementa haud promtum est deprehendere, ita incertis motibus nunc in brevia crescit dorsuosa, nunc inundatur æstibus inquietis: &
auctor est Varro, perflabilem ibi terram ventis 4

penetrantibus subitam vim spiritus citissimi, aut
5 revomere maria, aut resorbere. Omnis hæc plaga ab Æthiopia & terminis Asiæ Nigri flumine, qui Nilum parit, ab Hispania freto scinditur: latere, quo ad meridiem vergit, fontium inops & infamis siti: altrinsecus, qua septemtrionem pa-
6 titur, aquarum larga: in agro Byzaceno, qui patet passuum ducenta vel amplius millia, glebis ita præpinguibus, ut jacta ibi semina cum incremen-
7 to centesimæ frugis renascantur. Externos ibi plurimos conventasse, argumentum de urbibus & locis dabimus. Borion promontorium, quod aquilone cæditur, Græci advenæ sic vocaverunt. Hipponem, Regium postea dictum, item Hipponem alterum de interfluente freto Diarrhyton nuncupatum, nobilissima oppida, equites Græci condi-
8 derunt. Clypeam civitatem Siculi exstruunt, & Aspida primum nominant. Veneriam etiam, in quam Veneris Erycinæ religiones transtulerunt. Achæi Tripolin lingua sua signant de trium urbium nu-
9 mero, Œæ, Sabratæ, Leptis Magnæ. Philænis fratribus a laudis cupidine Grajum vocamen datum. Adrymeto atque Carthagini auctor est a Tyro populus: sed quæ super Carthagine veraces libri pro-
10 diderunt, hoc loco reddam. Urbem istam, ut Cato in oratione senatoria autumat, cum rex Japon rerum in Libya potiretur, Elissa mulier exstruxit domo Phœnix, & Carthadam dixit, quod Phœnicum ore exprimit civitatem novam. Mox sermone verso in verbum Punicum, & hæc Elissa, & illa Car-
11 thago dicta est: quæ post annos septingentos tri-

ginta-septem exciditur, quam fuerat constituta. Deinde a C. Graccho colonis Italicis data, & Junonia dicta, aliquantisper ignobilis, humili & languido statu: demum in claritatem secundæ Carthaginis, interjectis centum & duobus annis, M. Antotonio, P. Dolabella Consulibus enituit, alterum post
urbem Romam terrarum decus. Verum, ut ad Afri- 12
cam redeam, interna ejus plurimæ quidem bestiæ, sed principaliter leones tenent: qui, ut Aristoteles perhibet, soli ex eo genere, quod dentatum vo-
cant, vident protinus atque nascuntur. Quorum 13
trifarium genus scinditur: nam breviores, & jubis crispi, plerumque ignavi sunt & imbelles: longiores, & coma simplici, acres magis ac potentes: at hi, quos creant pardi, in plebe remanent, jubarum inopes. Pariter omnes parcunt a sagina, primum quod alternis diebus potum, alternis cibum capiunt, ac frequenter, si digestio non est insecu-
ta, solitæ cibationi superponunt diem: tum, quod 14
carnes justo amplius devoratas, cum gravantur, insertis in ora unguibus sponte protrahunt. Sane & cum fugiendum est in satietate, idem faciunt. Senec-
tam defectio probat dentium. Nam clementiæ indi- 15
cia multa sunt: prostratis parcunt: in viros potius, quam in feminas sæviunt: infantes non nisi in magna fame perimunt. Nec a misericordia separantur: assiduis denique exemplis patet, eos pepercisse, cum multi captivorum aliquot leonibus obvii intacti repa-
triaverint. Gætulæ etiam mulieris nomen Jubæ libris 16
comprehensum est, quæ obtestata occursantes feras, impunis rediit. Aversi coeunt, nec hi tantum:

ſed & lynces, & cameli, & elephanti, & rhinoce-
17 rotes, & tigres. Leænæ fœtu primo catulos quin-
que edunt: deinde per ſingulos partus numerum
decoquuunt annis inſequentibus: ſed poſtremo, cum
ad unum materna fœcunditas recidit, ſteriles fiunt
18 in æternum. Animos leonum frons & cauda indi-
cant, ſicut motus equini de auribus intelliguntur.
Dedit enim has notas generoſiſſimo cuique natura.
Vis ſumma in pectore eſt, firmitas in capite præci-
pua. Cum premuntur a canibus, contemtim rece-
dunt, ſubſiſtenteſque interdum ancipiti receſſu diſ-
ſimulant timorem: idque agunt, ſi in campis pa-
19 tentibus ac nudis urgeantur: nam ſilveſtribus lo-
cis, quaſi teſtem ignaviæ non reformident, quan-
ta poſſunt ſe fuga ſubtrahunt. Cum inſequuntur,
niſum ſaltu adjuvant: cum fugiunt, non valent ſa-
lire. Gradientes mucrones unguium vaginis corpo-
rum claudunt, ne acumina attritu retundantur. Hoc
adeo cuſtodiunt, ut non niſi averſis falculis cur-
20 rant. Septi a venantibus, obtutu terram contuentur,
quo minus conſpectis venabulis terreantur. Nun-
quam limo vident, minimeque ſe volunt aſpici.
Cantus gallinaceorum & rotarum timent ſtrepitus,
21 ſed ignes magis. Leontophonas vocari accepimus
beſtias modicas, quæ captæ exuruntur, ut earum
cineris aſpergine carnes pollutæ jactæque per com-
pita concurrentium ſemitarum leones necent, ſi
22 quantulumcunque ex illis ſumſerint. Propterea leo-
nes naturali eas premunt odio, atque ubi facultas
data eſt, morſu quidem abſtinent, ſed dilancinatas
exanimant pedum niſibus. Spectaculum ex his pri-

mus Romæ edidit Scævola Publii filius in curuli
ædilitate. Hyænam quoque mittit Africa, cui cum 23
ſpina riget collum continua unitate, flectique non
quit, niſi toto corpore circumacto. Multa de ea
mira: primum, quod ſequitur ſtabula paſtorum,
& auditu aſſiduo addiſcit vocamen, quod exprime-
re poſſit imitatione vocis humanæ, ut in hominem
aſtu accitum nocte ſæviat. Vomitus quoque huma- 24
nos mentitur, falſiſque ſingultibus ſollicitatos canes
ſic devorat: qui forte ſi venantes umbram ejus,
dum ſequuntur, contigerint, latrare nequeunt, vo-
ce perdita. Eadem hyæna inquiſitione corporum 25
ſepultorum buſta eruit. Præterea promptius eſt ma-
rem capere: feminis enim ingenita eſt callidior aſtu-
tia. Varietas multiplex ineſt oculis, colorumque
mutatio: in quorum pupulis lapis invenitur, hyæ-
nium dicunt, præditum illa poteſtate, ut, cujus ho-
minis fuerit linguæ ſubditus, prædicat futura. Ve- 26
rum hyæna quodcunque animal ter luſtraverit, mo-
vere ſe non poteſt: quapropter magicam ſcien-
tiam ineſſe ei pronuntiaverunt. In Æthiopiæ parte
coit cum leæna, unde naſcitur monſtrum: crocot-
tæ nomen eſt. Voces hominum & ipſa pariter af-
fectat. Nunquam cohibet aciem orbium, ſed in ob-
tutu ſine nictatione contendit. In ore gingiva nul- 27
la, dens unus atque perpetuus, qui, ut nunquam
retundatur, naturaliter capſularum modo claudi-
tur. Inter ea, quæ dicunt herbatica, eadem Africa
onagros habet, in quo genere ſinguli imperitant
gregibus feminarum. Æmulos libidinis ſuæ metuunt:
inde eſt, quod gravidas ſuas ſervant, ut expoſitos

mares, si qua facultas fuerit, truncatos mordicus
privent testibus. Quod caventes feminæ, in secef-
28 sibus partus occulunt. Africa serpentibus adeo fœ-
cunda est, ut mali hujus merito illi potissimum
palma detur. Cerastæ præferunt quadrigemina cor-
nicula, quorum intentatione, veluti esca inlice, sol-
licitatas aves perimunt: nam reliqua corporis de
industria arenis tegunt, nec ullum indicium sui præ-
bent, nisi ex ea parte, quæ invitatis dolo pastibus
29 necem præpetum aucupetur. Amphisbæna consurgit
in caput geminum: quorum alterum in loco suo est,
alterum in ea parte, qua cauda: quæ causa efficit, ut
capite utrinque secus nitibundo serpat tractibus cir-
30 culatis. Jaculi arbores subeunt, e quibus vi maxi-
ma turbinati, penetrant animal, quodcunque ob-
vium fortuna fecerit. Scytale tanta præfulget tergi
varietate, ut notarum gratia videntes retardet, &
quoniam reptando pigrior est, quos assequi non
quit, miraculo sui capiat stupentes. In hoc tamen
squamarum nitore hiemales exuvias prima ponit.
31 Plures diversæque aspidum species, verum dispa-
res effectus ad nocendum: dipsas siti interficit, hy-
pnale, quod somno necat, teste etiam Cleopatra,
emitur ad mortem. Aliarum virus, quoniam mede-
32 las admittit, minus famæ meretur. Hæmorrhois mor-
su sanguinem elicit, & dissolutis venarum commer-
ciis, quidquid animæ est, evocat per cruorem. Pre-
ster quem percusserit, distenditur, enormique cor-
pulentia necatur extuberatus. Ictus sepium putredo
33 sequitur. Sunt & hammodytæ, est & cenchris, ele-
phantiæ, chersydri, chamædracontes. Postremo

quantus nominum, tantus mortium numerus. Nam
ſcorpiones, ſcinci, lacertique vermibus, non ſer-
pentibus adſcribuntur. Monſtra hæc ſi bibant, cle- 34
mentius feriunt. Habent affectus: non temere niſi
conjuges evagantur: capto altero, vel occiſo, uter
ſuperfuerit, efferatur. Subtiliora ſunt capita femi-
nis, alvi tumidiores, peſtis nocentior. Maſculus
æqualiter teres eſt, ſublimior etiam mitiorque. Igi- 35
tur anguibus univerſis hebes viſus eſt. Raro in ad-
verſum contuentur: nec fruſtra, cum oculos non
in fronte habeant, ſed in temporibus, adeo, ut ci-
tius audiant, quam aſpiciant. De gemma heliotro- 36
pio inter Æthiopiam, Africam, Cyprum certamen
fuit, quænam mitteret generis hujus eminentiſſi-
mam: deprehenſumque eſt documentis plurimis
Æthiopicam aut Libycam, palmam tenere. Viridi
colore eſt non ita acuto, ſed nubilo magis & preſ-
ſo, ſtellis puniceis ſuperſperſa. Cauſa nominis de 37
effectu lapidis eſt & poteſtate. Dejecta in labris
æneis, radios ſolis mutat ſanguineo repercuſſu, ex-
traque aquam ſplendorem aeris abjicit, & avertit.
Etiam illud poſſe dicitur, ut herba ejuſdem quod
eſt nominis mixta, & præcantationibus legitimis
conſecrata, eum a quocunque geſtabitur, ſubtrahat
viſibus obviorum. Inter Syrtes, quamvis terra per- 38
gentibus, iter ſideribus deſtinatur: nec aliter cur-
ſus pateſcit: nam putris ſoli faciem aura mutat, &
minimo licet vento, tantam diverſitatem flatus ef-
ficit, ut ſubinde perverſis ſitibus locorum, nulla
indicia agnitioni relinquantur: cum modo quæ
fuerant tumulis ardua, in valles reſidunt: modo

39 quæ vallibus pressa, cœtu pulveris aggerantur. Ita
etiam continens naturam maris sui patitur: nec in-
terest, ubi potius sint procellæ, cum ad exitium
viantium elementis congruentibus, in terris flabra
40 sæviant, in mari terræ. Utræque Syrtes ducentis
quinquaginta millibus passuum separantur. Aliquan-
to clementior, quæ minor est. Cn. denique Ser-
vilio, C. Sempronio, coss. inter hæc vadosa clas-
sem Romanam impune accipimus perfretasse. In hoc
sinu Meninx insula post Minturnenses paludes C.
41 Mario fuit latebra. Supra Garamantas Psylli fue-
runt, contra noxium virus muniti incredibili cor-
poris firmitate. Soli morsibus anguium non interi-
bant, & quamvis dente letali appetiti, incorrupta
durabant sanitate. Recens etiam editos serpentibus
42 offerebant: si essent partus adulteri, matrum crimi-
na plectebantur interitu parvulorum: si pudici, pro-
bos ortus a morte paterni sanguinis privilegium
tuebatur. Sic originis fidem probabant venenis ju-
dicantibus. Sed hæc gens interivit, a Nasamonibus
capta: neque quidquam aliud, præter opinionem,
43 de vestigio nominis sui Psylli reliquerunt. Nasamo-
nitem lapidem Nasamones dant, sanguineum uni-
versum, nigris venulis adumbratum. In intimo re-
cessu Syrtis majoris, circa Philænorum aras, Loto-
phagos fuisse discimus, nec incertum est. A Philæ-
norum aris non procul palus est, quam Triton am-
nis influit, ubi speculatam se artium Deam credi-
44 derunt. Major Syrtis ostentat oppidum, Cyrenas
vocant, quod Battus Lacedæmonius Olympiade
quinta & quadragesima, rege Martio res Romanas

tenente, anno poſt Trojam captam quingenteſimo
octogeſimo ſexto condidit: quæ domus Callimacho
poetæ fuit patria. Inter hoc oppidum, & templum 45
Hammonis, millia paſſuum quadringenta ſunt. Tem-
plo fons proximat Soli ſacer, qui humoris nexibus
humum favillaticam ſtringit, & in cæſpitem ſolidat.
In qua gleba non ſine miraculo lucus viret, undi- 46
que ſecus agris arentibus. Illic & lapis legitur, Ham-
monis vocant cornum: nam ita tortuoſus eſt, & in-
flexus, ut effigiem reddat cornus arietini. Fulgore
aureo eſt. Prædivina ſomnia repræſentare dicitur
ſubjectus capiti incubantium. Et arbor eſt melopos 47
nomine, ex qua profluit lentus humor, quem a lo-
co hammoniacum nominamus. Apud Cyrenenſes 48
præterea ſirpe gignitur, odoratis radicibus, virgul-
to herbido magis, quam arbuſto: cujus e culmo
exſudat ſtato tempore pingue roſcidum, idque pa-
ſcentium hircorum inhæret barbulis: ubi cum are-
factum inolevit guttis ſtiriacis, legitur ad uſum
menſarum, vel medelis. Dictum eſt primum lac ſir- 49
picum, quoniam manat in modum lacteum: deinde
uſu derivante laſer nominatum. Quæ germina ini-
tio barbaricæ impreſſionis vaſtatis agris, poſtea ob
intolerandam vectigalis nimietatem, ferme penitus
ipſi accolæ eruerunt. Cyrenis ab læva Africa eſt, 50
ab dextra Ægyptus, a fronte ſævum & importuo-
ſum mare, a tergo barbarorum variæ nationes, &
ſolitudo inculta, ſqualens & inacceſſa, quæ baſiliſ-
cum creat, malum in terris ſingulare. Serpens eſt 51
pæne ad ſemipedem longitudinis, alba quaſi mitru-
la lineatus caput, nec hominis tantum vel alio-

rum animantium exitiis datus, sed terræ quoque
ipsius, quam polluit & exurit, ubicunque ferale sor-
titur receptaculum. Denique exstinguit herbas, ne-
cat arbores, ipsas etiam corrumpit auras, ita ut aera
nulla alitum impune transvolet, infectum spiritu
52 pestilenti. Cum movetur, media corporis parte ser-
pit, media arduus est, & excelsus. Sibilum ejus etiam
alii serpentes perhorrescunt: & cum acceperunt,
fugam quæque, quoquo potest, properant. Quid-
quid morsu ejus occiderit, non depascitur fera, non
53 attrectat ales. Mustelis tantum vincitur, quas illinc
homines inserciunt cavernis, in quibus delitescit.
Vis tamen ne defuncto quidem deest. Denique ba-
silisci reliquias amplo sestertio Pergameni compa-
raverunt. Ut ædem Apellis manu insignem, nec
araneæ intexerent, nec alites involarent, cadaver
ejus reticulo aureo suspensum ibidem locarunt. Cir-
54 ca extimum Syrtium cornum Berenicen civitatem
alluit Lethon amnis, inferna, ut putant, exundatio-
ne prorumpens, & apud pristinos vates latice me-
moratus oblivionis. Hanc Berenicen Berenice mu-
nivit, quæ Ptolemæo tertio fuit nupta, & in majori
55 Syrti locavit. Omne autem latifundium, quod in-
ter Ægyptum, Æthiopiam, Libyamque diffunditur,
quacunque lucis opacum est, varium implevit simia-
rum genus. Nec quisquam offensus nomine, cogni-
56 tionem gravetur. Enimvero pretium operæ est, ni-
hil omittere, in quo naturæ spectanda sit providen-
tia. Plebes simiarum in his est, quas passim videmus,
non sine ingenio æmulandi: quo facilius in manus
veniunt: nam dum avide venantium gestus affec-

tant, relicta consulto visci unguilla, quod mendacio factum vident, oculos suos oblinunt: ita visu obducto pronum est, eas corripi. Exsultant nova 57
luna, tristes sunt cornuto & cavo sidere. Immoderate fœtus amant, adeo ut catulos facilius amittant, quos impendio diligunt, & ante se gestant, quoniam neglecti pone matrem semper hærent. Cerçopitheci 58
caudas habent. Hæc sola discretio est inter prius dictas. Cynocephali & ipsi sunt e numero simiarum, in Æthiopiæ parte frequentissimi: violenti ad saltum, feri morsu, nunquam ita mansueti, ut non sint magis rabidi. Inter simias habentur & sphinges, 59
villosæ comis, mammis prominulis ac profundis, dociles ad feritatis oblivionem. Sunt & quas vo- 60
cant Satyros, facie admodum grata, gesticulatis motibus inquietæ. Callithriches toto pæne aspectu a ceteris differunt: in facie barba est, lata cauda. Has capere non est arduum, sed proferre rarum: neque enim vivunt in altero, quam in Æthiopico, hoc est, suo cælo.

CAPUT XXVIII.

Gens Amantum & Asbystarum.

INTER Nasamonas, & Troglodytas gens Aman- 1
tum est, quæ salibus domos exstruunt: quos in modum cautium e montibus excitatos, ad usum ædium cæmentitiis nectunt struicibus. Tanta ibi hujusce venæ copia est, ut tecta faciant e salinis. Hi 2

ſunt Amantes, qui commercium cum Troglodytis habent carbunculi gemmæ. Citra Amantes propiores Naſamonibus Asbyſtæ laſere vivunt. Hoc aguntur, hoc illis dulce eſt.

CAPUT XXIX.

Garamantum fons, & iter Garamanticum. Item pecora Garamantica, & natura inſulæ Gauloes.

1 GARAMANTICUM oppidum eſt Debris fonte miro: qui denique alternis vicibus die frigeat, nocte efferveat, ac per eadem venarum commercia, interdum ignito vapore æſtuet, interdum glaciali al-
2 gore inhorreſcat. Incredibile memoratu, ut in articulo temporis natura tam diſſonam ſui faciat varietatem! Idque qui percontari velit, tenebris ineſſe fluori illi æternam facem credat: qui rimetur die brumales ſcatebras, nunquam aliud æſtimet,
3 quam perpetuo rigere. Unde non immerito per gentes Debris inclyta eſt, cujus aquæ ex cæleſti vertigine mutant qualitatem, quamvis contraverſa ſiderum diſciplina: nam cum mundum a calore veſper temperet, ab occaſu incipit ita incaleſcere, ut ni
4 tactu abſtineas, noxium ſit contigiſſe: rurſum cum ortus ſolis inclaruit, & radiis fervefacta ſint omnia, ſic glaciales evomit ſcaturigines, ut fluorem ſuum prohibeat hauriri. Quis ergo non ſtupeat fontem,
5 qui friget calore, caleſcit frigore? Garamanticæ regionis Garama caput eſt, ad quam iter diu inextri-

cabile fuit, & invium: nam latrones puteos arenis operiebant, ut temporaria fraude ſubductis aquis, infame ſiti iter ſubmoveret acceſſus viantium. Sed 6
Veſpaſiano principe, bello, quod cum Œenſibus geſtum eſt, difficultas hæc diſſoluta eſt, compendio ſpatii brevioris reperto. Garamantas Cornelius 7
Balbus ſubegit, & primus ex hac victoria triumphavit. Primus ſane de externis, utpote Gadibus genitus, acceſſit ad gloriam nominis triumphalis. Ar- 8
menta gentis iſtius obliquis cervicibus pabulantur: nam ſi recta ad paſtum ora dirigant, officiunt prona ad humum cornua & obnixa. Ex parte, qua Cercina eſt, accepimus Gauloen inſulam, in qua ſerpens neque naſcitur, neque vivit invecta: propterea jactus ex ea quocunque gentium pulvis, arcet angues: ſcorpiones ſuperjactus illico perimit.

CAPUT XXX.

Æthiopes, & in eorum locis ac gentibus mira. De draconibus, de dracontia lapide, de camelopardali, de cepis, de rhinocerote, de catoblepa, de formicis Æthiopicis, de hyſtrice, de ave pegaſo, de ave tragopane, de hyacintho lapide, de chryſopaſto lapide, de hæmatite.

ÆTHIOPES, & gentes Atlanticæ, Nigri flu- 1
mine dividuntur, quem patrem putant Nili. Sic papyro viret, ſic calamo prætexitur, animalia eadem edit, iſdem temporibus exundat, intra ripas tunc quoque redit, cum contentus eſt alveo ſuo Nilus. Garamantici Æthiopes matrimonia privatim 2

nesciunt, sed vulgo omnibus in venerem licet. Inde est, quod filios matres tantum recognoscunt:
3 paterni nominis nulla reverentia est. Quis enim
verum patrem noverit in hac luxuria incesti lascivientis? Eapropter Garamantici Æthiopes inter
omnes populos degeneres habentur: nec immerito, qui afflicta disciplina castitatis, successionis no-
4 titiam ritu improbo perdiderunt. Nomen Æthiopum late patet. In parte Africana, qua Meroen videt Libya, plurimæ eorum sunt & variæ nationes. Harum e numero Nomades cynocephalorum lacte vivunt. Syrbotæ longi sunt ad pedes duodecim. Azachæi captos venatibus elephantos
5 devorant. Apud Psambares nulla est aurita quadrupes, ne elephanti quidem. His proximi summam regiæ potestatis cani tradunt: de cujus motibus,
6 quidnam imperitet, augurantur. Maritimos Æthiopas quaternos oculos dicunt habere: sed fides alia est, illa denique, quod & vident plurimum, & manifestissime destinant jactus sagittarum. Occidentem versus Agriophagi tenent, qui solas pantherarum & leonum carnes edunt, rege præditi, cujus in
7 fronte oculus unus est. Sunt & Pamphagi, quibus esca est, quidquid mandi potest, & omnia fortuitu gignentia. Sunt & Anthropophagi, quorum mores
8 vocamen sonat. Cynomolgos ajunt habere caninos rictus, & prominula ora. Artabatitæ proni, atque quadrupedes, nec secus, ac feræ, sine sedibus evagantur. Confines Mauritaniæ certo tempore locustas terrestres legunt, duratasque salsugine in præsidium vitæ solas habent: sed ex illis quadragesimum

ævi annum nullus ſupergreditur. Ab Oceano æſtu 9
ad Meroen, quam inſulam amplexu primo Nilus
facit, millia paſſuum ſunt ſexcenta viginti. Ultra
Meroen ſuper exortus ſolis Macrobii Æthiopes vo-
cantur: dimidio enim eorum protentior, quam no-
ſtra vita eſt. Hi Macrobii juſtitiam colunt, amant 10
æquitatem, plurimum valent robore, præcipua de-
cent pulchritudine, ornantur ære, auro vincula fa-
ciunt noxiorum. Locus apud eos eſt Ἡλίου τρά-
πεζα, opiparis epulis ſemper refertus, quibus in-
diſcretim omnes veſcuntur: nam & divinitus eas
augeri ferunt. Eſt & ibidem lacus, quo perfuſa cor- 11
pora velut olivo niteſcunt. Ex hoc lacu potus ſa-
luberrimus. Sane adeo liquidus eſt, ut ne caducas
quidem vehat frondes, ſed illico folia lapſa ad fun-
dum demittat laticis tenuitate. Ultra hos deſertæ in- 12
humanæque ſolitudines ad uſque Arabicos ſinus.
Deinde in ultimis Orientis monſtroſæ gentium fa-
cies. Aliæ ſine naribus, æquali totius oris plani-
tie, informes habent vultus. Aliis concreta ora 13
ſunt, modico tantum foramine calamis avenarum
paſtus hauriunt. Nonnullæ linguis carent, in vi-
cem ſermonis utentes nutibus motibuſque. Quædam 14
ex iſtis nationibus ante Ptolemæum Lathyrum re-
gem Ægypti, incognitum habuerunt ignis uſum.
Æthiopia omnis ab oriente hiberno ad occidentem
hibernum tenet. Quidquid ejus ſub meridiano car-
dine lucis nitet, qui maxime virent hieme. A meri-
diana parte mons editus mari imminet, ingenuo
igne per æternum fervidus, & inquiete jugis fla-
grantibus: inter quæ incendia jugis æſtus, draco- 15

num magna copia eſt. Porro veris draconibus ora
nulla ſunt ad morſum dehiſcentia, ſed arctæ fiſtulæ,
per quas & trahunt ſpiritus, & linguas exſerunt:
quippe non in dentibus vim, ſed in caudis habent,
16 & verbere potius, quam rictu nocent. Exciditur e
cerebris draconum dracontias lapis, ſed lapis non
eſt, niſi detrahatur viventibus: nam ſi obeat prius
ſerpens, cum anima ſimul evaneſcit, duritie ſoluta.
Uſu ejus orientis reges præcipue gloriantur, quan-
quam nullum lenocinium artis admittat ſoliditate: &
quidquid in eo nobile eſt, non manus faciunt, nec
alterius quam naturæ candor ſit, quo reluceat.
17 Auctor Sotacus gemmam hanc etiam viſam ſibi ſcri-
bit, &, quibus intercipiatur modis, edocet. Præ-
ſtantiſſimi audacia viri explorant anguium foveas,
& receptus: inde præſtolati ad paſtum exeuntes,
prætervectique percitis curſibus, objiciunt gramina
medicata, quantum poteſt ad incitandum ſoporem:
18 ita ſomno obſopitis, e capitibus exſecant lapides,
& de manubiis præcipitis auſi, prædam revehunt
19 temeritatis. Quæ locorum Æthiopes tenent, feris
plena ſunt, e quibus quam nabun vocant, nos ca-
melopardalim dicimus, collo equi ſimilem, pedibus
bubulis, capite camelino, nitore rutilo, albis ma-
20 culis ſuperſperſa. Hoc animal Romæ Circenſibus dic-
tatoris Cæſaris primum publicatum. Iiſdem ferme
temporibus illinc exhibita monſtra ſunt, Cepos ap-
pellant, quorum poſteriores pedes crure, & veſti-
gio humanos artus mentiuntur: priores hominum
manus referunt: quæ tamen a noſtris non amplius,
21 quam ſemel viſa ſunt. Ante ludos Cnei Pompeji rhi-

nocerotem Romana ſpectacula neſciebant: cui be-
ſtiæ color buxeus, in naribus cornu unicum & re-
pandum, quod ſubinde attritum cautibus in mu-
cronem excitat, eoque adverſus elephantos prœlia-
tur, par ipſis longitudine, brevior cruribus, natu-
raliter alvum petens, quam ſolam intelligit ictibus
ſuis perviam. Juxta Nigrim fluvium Catoblepas na- 22
ſcitur modica atque iners beſtia, caput prægrave
ægre ferens, aſpectu peſtilenti: nam qui in oculos
ejus offenderint, protinus vita exeunt. Formicæ ibi 23
ad formam canis maximi, arenas aureas pedibus
eruunt, quos leoninos habent: quas cuſtodiunt,
ne quis auferat, captanteſque ad necem perſequun-
tur. Eadem Æthiopia mittit lycaonem. Lupus eſt 24
cervicem jubatus, & tot modis varius, ut nullum
illi colorem dicant abeſſe. Mittit & tarandum, boum 25
magnitudine, biſulco veſtigio, ramoſis cornibus,
capite cervino, urſino colore & pariter villo pro-
fundo. Hunc tarandum affirmant habitum metu ver-
tere, & cum deliteſcat, fieri aſſimilem cuicunque
rei proximaverit, ſive illa ſaxo alba ſit, ſeu frutecto
virens, ſive quam aliam præferat qualitatem. Fa- 26
ciunt hoc idem in mari polypi, in terra chamæleon-
tes: ſed & polypus, & chamæleon glabra ſunt, ut ſit
pronius cutis lævitatem proximanti æmulari: in
hoc novum eſt ac ſingulare, hirſutiam pili colo-
rum vices facere. Hinc evenit, ut difficulter capi 27
poſſit. Æthiopicis lupis proprium eſt, quod in ſa-
liendo ita niſus habent alitis, ut non magis profi-
ciant curſu, quam meatu: homines tamen nunquam
impetunt. Bruma comati ſunt, æſtate nudi: thoas 28

vocant. Hystrix quoque inde loci frequentissima;
erinaciis similis, spinis tergum hispida, quas ple-
rumque laxatas jaculatione emittit voluntaria, ut
assiduis aculeorum nimbis canes vulneret ingruen-
29 tes. Illius cæli ales est pegasus: & hæc ales equinum
nihil præter aures habet. Tragopan quoque avis
major aquilis, cornibus arietinis proferens arma-
30 tum caput. Æthiopes legunt cinnamum. Id frutec-
tum situ brevi nascitur, ramo humili & depresso,
nunquam ultra duas ulnas altitudinis: quod graci-
lius provenit, eximium magis ducitur: quod in cras-
31 situdinem extuberatur, despectui est. Verum legitur
per sacerdotes hostiis prius cæsis: quæ cum litave-
runt, observatur, ut messis nec ortum solis anti-
cipet, nec egrediatur occasum. Quisquis principa-
tum tenet, sarmentorum acervos hasta dividit, quæ
sacrata est in hoc ministerium: atque ita portio
manipulorum Soli dicatur: quæ si juste divisa est,
32 sponte incenditur. Inter ea, quæ diximus, nitore
cærulo hyacinthus invenitur, lapis pretiosus, si
quidem inculpabilis inveniatur: est enim vitiis non
parce obnoxius: nam plerumque aut violaceo di-
luitur, aut nubilo obducitur, aut albicantius in
aquaticum eliquescit: optimus in illo tenor, si nec
densiore fuco sit obtusior, nec propensa perspicui-
tate detectior, sed ex utroque temperamento lucis
33 & purpuræ fucatum suaviter florem trahat. Hic est,
qui sentit auras, & cum cælo facit: nec æqualiter
rutilat, cum aut nubilosus est, aut serenus dies.
Præterea in os missus magis friget. Scalpturis certe
minime accommodatus, ut qui attritum respuat:

nec tamen penitus invictus est: nam adamante scribitur & notatur. Ubi hyacinthus, ibi & chrysopa- 34
stus apparet: quem lapidem lux celat, produnt tenebræ. Hæc enim est in illo diversitas, ut nocte igneus sit, die pallidus. Ex ipso solo sumimus hæmatitem rubore sanguineo: ac propterea hæmatitem vocatum.

CAPUT XXXI.

De intimis gentibus Libyæ. De lapide hexecontalitho.

QUOD ab Atlante ad usque Canopitanum ostium 1
panditur, ubi Libyæ finis est, & Ægyptium limen, dictum a Canopo Menelai gubernatore ibi sepulto in ea insula, quæ ostium Nili facit, gentes tenent dissonæ, quæ in aviæ solitudinis secretum recesserunt. Ex his Atlantes ab humano ritu prorsus exsu- 2
lant. Nulli proprium vocabulum, nulli speciale nomen. Diris solis ortus excipiunt, diris occasus prosequuntur, ustique undique torrentis plagæ sidere, oderunt Deum lucis. Affirmant, eos somnia non 3
videre, & abstinere penitus ab animalibus universis. Troglodytæ specus excavant, illis teguntur. Nullus ibi habendi amor: a divitiis paupertate se abdicaverunt voluntaria. Tantum lapide uno gloriantur, quem hexecontalithon nominamus, tam diversis notis sparsum, ut sexaginta gemmarum colores in parvo ejus orbiculo deprehendantur. Homines isti carnibus vivunt serpentium: ignarique

4 sermonis, stridunt potius, quam loquuntur. Augylæ vero solos colunt inferos. Feminas suas primis noctibus nuptiarum adulteriis cogunt patere: mox ad perpetuam pudicitiam legibus stringunt severis-
5 simis. Gamphasantes abstinent prœliis, fugiunt commercia, nulli se externo misceri sinunt. Blemmyas credunt truncos nasci parte, qua caput est, os tamen & oculos habere in pectore. Satyri de ho-
6 minibus nihil aliud præferunt, quam figuram. Ægipanes hoc sunt, quod pingi videmus. Himantopodes fluxis nisibus crurum repunt potius, quam incedunt, & pergendi usum lapsu magis destinant, quam ingressu. Pharusii cum Herculi ad Hesperiadas pergenti forent comites, itineris tædio hic resederunt. Hactenus Libya.

CAPUT XXXII.

Ægyptus. In ea de origine & natura Nili, de tauro Apide, de crocodilo, de hippopotamo, de ave ibide & serpentibus Arabicis, de ficu Ægyptia & palma, de disciplina Ægyptiorum, de urbibus inclytis.

1 ÆGYPTUS ad meridiem introrsus recedit, quoad prætendant Æthiopes a tergo. Inferiorem ejus partem Nilus circumfluit, qui scissus a loco, cui Delta nomen est, ad insulæ faciem spatia amplectitur interamna, & incerto pæne fonte decur-
2 rens proditur, ut loquemur. Originem habet a monte inferioris Mauritaniæ, qui Oceano propinquat. Hoc affirmant Punici libri: hoc Jubam regem acce-

pimus tradidiſſe. Igitur protinus lacum efficit, quem
Nilidem dicunt. Nilum autem jam inde conjiciunt, 3
quod hoc ſtagnum in herbis, piſcibus, belluis nihil minus procreet, quam in Nilo videmus: ac ſi quando Mauritania, unde origo ejus eſt, aut nivibus denſioribus, aut imbribus largioribus irrigatur, incrementa exundationis in Ægypto augentur. Sed effuſus hoc lacu arenis ſorbetur, & cuni- 4
culis cæcis abſconditur: deinde in Cæſarienſis pede prorumpens amplior, eadem indicia præfert, quæ
in exortu notavimus: rurſuſque ſubſidit, nec ſe 5
prius reddit, quam poſt intervalla itineris extenti contingat Æthiopas. Ubi exit, Nigrim facit fluvium, quem ſupra diximus terminum eſſe limitis Africani. Aſtapum eum indigenæ vocant, ſcilicet
aquam e tenebris profluentem. Multas magnaſque 6
ambit inſulas: quarum pleræque ſunt tam diffuſæ & vaſtæ magnitudinis, ut vix eas dierum quinque
curſu prætermeet, quamvis concitus ibi feratur. No- 7
biliſſima earum eſt Meroe, circum quam diviſus dextero alveo Aſtoſapes, lævo Aſtabores nominatur. Tunc quoque emenſus magna longinqua, cum primum occurrentibus ſcopulis aſperatur, tantis agminibus extollitur inter objecta rupium, ut ruere potius, quam manare credatur: demumque a ca-
taracte ultimo tutus eſt: ita enim quædam clauſtra 8
ejus Ægyptii nuncupant. Relicto tamen hoc pone ſe nomine, quo Nigris vocatur, mox inoffenſus meat. Septem oſtiis conditur, in meridiem verſus
excipitur Ægyptio mari. Ignari ſiderum, vel loco- 9
rum, varias de exceſſibus ejus cauſas dederunt. Alii

affirmant, eteſias nubium denſitatem illo cogere,
unde amnis hic auſpicatur, ipſumque fontem humo-
re ſupero ſaginatum, tantam inundationis habere
ſubſtantiam, quantum pabuli ad liquorem nubila
10 ſubminiſtraverint. Ferunt alii, quod ventorum fla-
tibus repercuſſus, cum fluorem ſolitæ velocitatis
non queat promovere, aquis in arcto luctantibus
intumeſcat: & quanto jam impenſius contraverſi ſpi-
ritus repugnaverint, tanto excelſius ſublimari in al-
titudinis vertices repercuſſam celeritatem; quando
nec ſolitus extenuet curſus alveum, & ſtipato jam
flumine, venis originalibus torrentium pondera ſu-
11 perveniant: ita concurrente violentia hinc urgen-
tis elementi, hinc reſiſtentis, undis exſultantibus
molem colligi, quæ exceſſus facit. Nonnulli affir-
mant fontem ejus, qui Phialus vocatur, ſiderum
motibus excitari, extractumque radiis candentibus
cæleſti igne ſuſpendi, non tamen ſine certa legis di-
12 ſciplina, hoc eſt, lunis cœptantibus. Verum om-
nem abſceſſus originem de ſole concipi, primoſque
fieri exceſſus tumoris, cum per cancrum ſol veha-
tur: poſtmodum triginta ejus partibus evolutis,
ubi ingreſſus leonem, ortus ſirios excitavit, pro-
pulſo omni fluore tantam vim amnis erumpere.
13 Quod tempus ſacerdotes natalem mundi judicarunt,
id eſt, inter tertium decimum Kalendas Auguſtas,
& undecimum. Deinde revocari exitus univerſos,
cum in Virginem tranſeat, penituſque intra ripas
14 ſuas capere, cum libram ſit ingreſſus. Hoc etiam
addunt, pariter eum nocere, ſive abundantius exæ-
ſtuet, ſive parcius: quandoquidem exiguitas mini-

mum apportet fœcunditatis, propenſior copia diu-
turno humore culturam moretur. Maximos deinde 15
ejus exitus cubitis duodeviginti conſurgere, juſtiſ-
ſimos ſedecim temperari: nec in quindecim abeſſe
proventus, ſed quidquid intra ſit, famem facere.
Dant illi etiam hoc majeſtatis, ut portendat futura, 16
quandoquidem Pharſalico bello non fuerit egreſſus
quinque ulnas. Jam illud palam eſt, ſolum illum ex
amnibus univerſis nullas exſpirare auras. Ditionis
Ægyptiæ eſſe incipit a Syene, in qua fines Æthio-
pum: & inde uſque dum mari intimatur, Nili nomen
tenet. Inter omnia, quæ Ægyptus habet digna me- 17
moratu, præcipue bovem mirantur: Apim vocant.
Hunc ad inſtar colunt Numinis, inſignem notæ al-
bæ macula, quæ dextero ejus lateri ingenita, cor-
niculantis lunæ refert faciem. Statum ævi ſpatium 18
eſt, quod ut affuit, profundo ſacri fontis immerſus
necatur, ne diem longius trahat, quam licebit. Mox
alter, nec ſine publico luctu, requiritur, quem re-
pertum centum antiſtites Memphim proſequuntur,
ut incipiat, ſacris ibi initiatus, ſacer fieri. Delubra, 19
quibus ſuccedit aut incubat, myſtice thalamos no-
minant. Dat omnia manifeſtantia de futuris: illud
maximum, ſi de conſulentium manu cibum capiat.
Denique averſatus Germanici Cæſaris dexteram,
prodidit ingruentia, nec multo poſt Cæſar exſtinc-
tus eſt. Pueri Apim gregatim ſequuntur, & repente 20
velut lymphatici ventura præcinunt. Bos illi oſten-
ditur femina in anno ſemel, & ipſa non abſque cer-
tis inſignibus, quæ atque inventa & oblata eſt,
eadem die neci datur. Apis natalem Memphi cele- 21

brant jactu aureæ pateræ, quam projiciunt in Nili
ſtatum gurgitem. Hæc ſolennitas per ſeptem dies agi-
tur: quibus diebus cum ſacerdotibus quaſdam croco-
dili inducias habent, nec attrectant lavantes. Verum
octavo die cæremoniis jam peractis, velut reddita
ſæviendi licentia, ſolitam reſumunt atrocitatem.
22 Crocodilus malum quadrupes & in terra, & in flu-
mine pariter valet, linguam non habet, maxillam
movet ſuperiorem. Morſus ejus horribili tenacitate
conveniunt, ſtipante ſe pectinatim ſerie dentium.
Plerumque ad viginti ulnas magnitudinis evaleſcit.
23 Qualia anſeres edit ova. Metatur locum nido na-
turali providentia, nec alibi fœtus premit, quam
quo procreſcentis Nili aquæ non poſſint pervenire.
In partu fovendo mas & femina vices ſervant. Præ-
ter hiatum oris, armatus eſt etiam unguium imma-
24 nitate. Noctibus in aqua degit, per diem humi ac-
quieſcit. Circumdatur maxima cutis firmitate, in
tantum, ut ictus quovis tormento adacto tergo re-
25 percutiat. Trochilos avis parvula: ea reduvias eſca-
rum dum affectat, os belluæ hujuſce paulatim ſcal-
pit, & ſenſim ſcalpurrigine blandiente aditum ſibi
in uſque fauces facit. Quod ichneumon conſpica-
tus, penetrat belluam, populatiſque vitalibus, ero-
26 ſa exit alvo. Sunt delphines in Nilo, quorum dor-
ſa ſerratas habent criſtas. Hi delphines crocodilos
ſtudio eliciunt ad natandum, demerſique aſtu frau-
dulento tenera ventrium ſubternatantes ſecant, &
27 interimunt. Præterea habitant in inſula Nili homi-
nes forma perexigui, ſed audacia uſque eo perditi,
ut crocodilis ſe offerant obvios: nam hæc monſtra

fugientes insequuntur, formidant resistentes: ergo capiuntur, subactique etiam intra aquas suas serviunt, & perdomiti metu ita obsequuntur, ut immemores atrocitatis, victores suos inequitantes dorso vehant. Hanc ergo insulam, & hanc gentem ubi- 28
cunque indicio odoris persenserint, procul fugiunt. In aqua obtusius vident, in terra acutissime. Hieme nullum cibum capiunt, quin etiam quatuor menses a coeptu brumæ inedia exigunt. Scinci quoque cir- 29
ca Nilum frequentissimi, crocodilis quidem similes: sed forma modica, & angusta, verum ad opem salutarem non qualibet necessarii: medentes quippe ex ipsis pocula inficiunt, quibus & stupor nervorum excitetur, & veneni vis exigatur. Hippopota- 30
mus in eodem flumine ac solo nascitur, equino dorso & juba & hinnitu, rostro resimo, ungulis bifidis, aprugineis dentibus, cauda tortuosa. Noctibus segetes depascitur, ad quas pergit aversus astu doloso, ut fallente vestigio revertenti nullæ insidiæ præparentur. Idem cum distenditur nimia satie- 31
tate, arundines recens cæsas petit, per quas tamdiu obversatur, quoad stirpium acuta pedes vulnerent, ut profluvio sanguinis levetur sagina: plagam deinde cœno oblinit, usque dum vulnus conducatur in cicatricem. Hippopotamos & crocodilos primus Romam Marcus Scaurus invexit. Circa eas- 32
dem ripas ales est Ibis. Ea serpentium populatur ova, gratissimamque ex his escam nidis suis defert. Sic rarescunt proventus fœtuum noxiorum. Nec ta- 33
men aves istæ tantum intra fines Ægyptios prosunt: nam quacunque Arabicæ paludes pennatorum an-

guium mittunt examina, quorum tam citum virus, ut morsum ante mors quam dolor insequatur; sagacitate qua ad hoc valent, aves excitatæ, in procinctum eunt universæ, & prius quam terminos proprios externum malum vastet, in aere occursant catervis pestilentibus: ibi agmen devorant universum: quo merito sacræ sunt, & illæsæ. Ore pariunt. Nigras solum Pelusium mittit, reliqua pars
34 candidas. De arboribus, quas sola fert Ægyptus, præcipua est ficus Ægyptia, foliis moro comparanda, poma non ramis tantum gestitans, sed & caudice, usque adeo fœcunditati suæ angusta est. Uno anno septies fructum sufficit: unde pomum si de-
35 cerpseris, alterum sine mora protuberat. Materies ejus in aquam missa subsidit: deinde cum diu desederit in liquore, levior facta sustollitur: & versa vice, quod natura in alio ligni genere non recipit,
36 fit humore sicca. Palma quoque Ægyptia dicenda res est, proprie adipsos vocatur, ut dici oportuit eam, quæ gustata arcet sitim. Odor ei idem, qui & malis cydoniis: sed demum sitim sedat, si prius quam maturuerit, decerpatur: nam si matura sumatur, sensum intercipit, gressum præpedit, linguam retardat, obsessisque officiis mentis & corporis,
37 vitium facit ebrietatis. Ægyptium limitem, qua ad Diacecaumenem tendit, incolunt populi, qui momentum, quo reparari mundum ad motus ferunt annuos, hoc studio deprehendunt. Eligitur sacer lucus, in quo conseptant animalia diversissimi generis. Ea, ubi ad statum modum cælestis pervenit disciplina, sensus suos significationibus produnt, qui-

bus poſſunt: alia ululant, alia mugiunt, quædam 38
ſtridunt, quædam rudunt, nonnulla ſimul confugiunt ad volutabra. Hoc argumentum illis eſt magiſtrum ad indicium temporis deprehendendi. Idem 39
populi ferunt a primis ſibi gentis ſuæ avis traditum, ubi nunc occaſus eſt, quondam ibi ortus ſolis fuiſſe.
Inter Ægyptias urbes numero portarum Thebæ no- 40
biles, ad quas commercia Arabes Indique ſubvehunt: hinc regio Thebaica. Abydos & ipſa nobi- 41
lis, olim Memnonis regia, nunc Oſiridis fano exculta. Alexandriam & operis ipſius magnitudo, & auctor Macedo nobilitant: quam metatus Dinocrates architecton alterum a conditore in memoria locum detinet. Condita autem Alexandria eſt duo- 42
decima centeſimaque Olympiade, L. Papyrio Spurio Spurii filio, C. Pœtilio Caji filio, conſulibus Romanis, haud longe ab oſtio fluminis Nili, quod Heracleoticon alii, alii Canopicon appellant. Eſt 43
& Pharos, colonia a Cæſare dictatore deducta, de qua facibus accenſis nocturna dirigitur navigatio: nam Alexandria inſidioſo acceſſu aditur, fallacibus vadis, cæco mari, tribuſque tantum canalibus admittit navigantes, Tegano, Poſideo, Tauro. Hinc igitur in portibus machinas ad prælucendi miniſterium fabricatas Pharos dicunt. Pyrami- 44
des turres ſunt in Ægypto faſtigatæ ultra excelſitatem omnem, quæ fieri manu poſſit: itaque menſuram umbrarum egreſſæ nullas habent umbras.
Nunc ab Ægypto provehamus ſtilum.

CAPUT XXXIII.

Arabia. In ea mira de fontibus, de moribus & habitu populorum, de Eulæo flumine, de thure, de myrrha, de cinnamomo, de Phœnice ave, de cinnamolgis avibus, de gemma fardonyche, de lapide molochite, de iride, de androdamante, de pæderote lapide, de gemma Arabica.

1 ULTRA Pelusiacum ostium Arabia est, ad ru-
brum pertinens mare, quod Erythræum ab Erythra
rege Persei & Andromedæ filio, non solum a co-
lore appellatum Varro dicit, qui affirmat, in litore
maris istius fontem esse, quem si oves biberint, mu-
tent vellerum qualitatem, & antea candidæ amit-
tant quod fuerint usque ad haustum, ac furvo post-
2 modum nigrescant colore. Rubri autem maris Arsi-
noe oppidum. Verum hæc Arabia procedit ad us-
que illam odoriferam & divitem terram, quam Ca-
tabani & Scenitæ tenent Arabes, nobiles monte Ca-
3 sio: qui Scenitæ causam nominis inde ducunt, quod
tentoriis succedunt, nec alias domos habent: ipsa
autem tentoria cilicina sunt: ita nuncupant vela-
4 menta caprarum pilis texta. Præterea suillis carni-
bus prorsus abstinent. Sane hoc animalis genus, si
invectum illo fuerit, moritur illico. Hanc Arabiam
Græci Eudæmonem, nostri Beatam nominaverunt.
Habitatur colle manu facto inter flumen Tigrin, &
flumen Eulæum, quod ortum a Medis tam puro
fluore inclytum est, ut omnes inde reges non alias

quam ejus aquas bibant. Eudæmonem non frustra 5
cognominatam hinc capessas, quod præter odores,
quos creat plurimos, sola thus mittit, nec tamen
universa: nam in medio ejus sunt Atramitæ, pagus
Sabæorum, a quo octo mansionibus regio thurife-
ra disterminatur: Arabia appellatur, id est, sacra; 6
hoc enim significari interpretantur. Virgulta hæc
non sunt publica, sed quod inter barbaros novum,
in jus posterorum per successiones transeunt fami-
liarum. Ergo quicunque dominatum istius tenent 7
nemoris, Arabice sacri vocantur. Idem illi cum lu-
cos istos vel metunt vel incidunt, non funeribus
intersunt, non congressionibus feminarum polluun-
tur. Hanc arborem, prius quam penitus fides pro- 8
deret, alii lentisco, alii terebintho comparabant,
usque dum libris, quos Juba rex scripsit ad Cæsarem
Augusti filium, palam fieret, intorto eam esse vi-
mine, ramis ad aceris qualitatem, amygdalæ modo
succum fundere, incidi ortu canis, flagrantissimis
solibus. In isdem saltibus myrrha provenit, cujus 9
radices ut vitium rastris proficiunt, ablaqueationi-
bus gaudent. Nudatæ pinguiore fluunt lacrima.
Sponte manans pretiosior ex ea sudor est: elicitus
corticis vulnere, vilior judicatur. Codex in verti- 10
ginem flexus, & spinis hispidus: folium crispius li-
cet, olivæ tamen simile: maxima altitudine extolli-
tur ad quinque cubita proceritatis. Arabes sarmentis
ejus ignes fovent: quorum fumo satis noxio, nisi
odore cremati storacis occurrant, plerumque in-
sanabiles morbos contrahunt. Apud eosdem nasci- 11
tur Phœnix avis, aquilæ magnitudine, capite ho-

norato in conum plumis exſtantibus, criſtatis faucibus, circa colla fulgore aureo, poſtera parte purpureus abſque cauda, in qua roſeis pennis cæruleus
12 interſcribitur nitor. Probatum eſt, quadraginta & quingentis eum durare annis. Rogos ſuos ſtruit cinnamis, quos prope Panchajam concinnat, in Solis
13 urbem ſtrue altaribus ſuperpoſita. Cum hujus vita magni anni fieri converſionem rata fides eſt inter auctores: licet plurimi eorum magnum annum non quingentis & quadraginta, ſed duodecim millibus nongentis quinquaginta quatuor annis conſtare di-
14 cant. Plautio itaque Sextio, & P. Apronio Coſſ. Ægyptum phœnix involavit: captuſque anno octingenteſimo Urbis conditæ, juſſu Claudii principis in comitio publicatus eſt. Quod geſtum, præter cenſu-
15 ram, quæ manet, actis etiam Urbis continetur. Cinnamolgos perinde Arabiæ avis in excellentiſſimis lucis texit nidos e fruticibus cinnamorum: ad quos quoniam non eſt pervenire propter ramorum altitudinem & fragilitatem, accolæ illas congeries plumbatis petunt jaculis, dejectaſque pretiis vendunt amplioribus, quod hoc cinnamum magis,
16 quam alia, mercatores probent. Arabes longe lateque diffuſi, diverſis moribus vivunt & cultibus. Plurimis crinis intonſus, mitrata capita, pars raſa in cutem barba. Commerciis ſtudent, aliena non emunt, vendunt ſua: quippe & ſilvis, & mari di-
17 vites. Umbræ, quæ nobis dexteræ ſunt, illis ſiniſtræ. Pars eorum, quibus aſper victus eſt, angues edunt, nulla vel animi cura vel corporis, ac prop-
18 terea ophiophagi nominantur. Ex iſtius litoris ſinu

Polycrati regi adveƈta ſardonyx gemma, prima in orbe noſtro luxuriæ excitavit facem. Nec multum de ea diſſerendum puto, adeo ſardonyx in omnium venit conſcientiam. Superficies ejus probatur, ſi meracius rubeat: arguitur, ſi fuerit fæculentior: medietas circumitur limite candidante: optima eſt, 19
ſi nec colorem ſuum ſpargat in proximum, nec ipſe ex altero mutuetur: reliqua nigro finiuntur. Quod ſi transluceat, vitio vertitur: ſi perſpicuitatem arceat, proficit ad decorem. Et molochitem Arabs 20
invenit, virentem craſſius quam ſmaragdus, contra infantum pericula ingenita vi reſiſtentem. Invenit & iridem in mari rubro, ſicut cryſtallum ſexangulatam: quæ radiis iƈta ſolis, rutilo aeris repercuſſu cæleſtis arcus ex ſeſe jacit ſpeciem. Andro- 21
damantem iidem legunt Arabes nitoris argentei, lateribus æqualiter quadris, quem de adamante nonnihil mutuatum putes. Datum illi nomen ex eo cenſent, quod animorum calentium mollit impetus, & tumentes refrenat iras. Pæderotem & Arabicam in- 22
de ſumimus. Arabica aſpeƈtu eburnea eſt, radi abnuit: contra nervorum moleſtias prodeſt habentibus. In pæderote congruit quidquid eximium eſt, quadam decoris prærogativa: cryſtallinum lucet, rubet purpuram, in orarum extimis corona crocea velut e liquido renitente: hac ſuavitate oculos af- 23
ficit, viſum illicit, detinet intuentes: hac etiam gratia Indis placet. Hoc Arabiæ ſat eſt: hinc ad Peluſium repatriemus.

CAPUT XXXIV.

Regio Ostracina. Joppe oppidum. Andromedæ vincula.

1 A Pelusio Casius mons est, & delubrum Jovis Casii, atque ita Ostracinæ locus Pompeji Magni sepulcro inclytus. Idumæa inde incipit palmis opima. Deinde Joppe oppidum antiquissimum orbe toto, utpote ante inundationem terrarum condi-
2 tum. Id oppidum saxum ostentat, quod vinculorum Andromedæ vestigia adhuc retinet: quam expositam belluæ non irritus rumor cirtumtulit: quippe ossa monstri illius M. Scaurus inter alia miracula in
3 ædilitate sua Romæ publicavit. Annalibus nota res est: mensuræ quoque veracibus libris continentur, scilicet quod costarum longitudo excesserit pedes quadraginta, sublimitas autem elephantis Indicis eminentior fuerit: porro verticuli spinæ ipsius latitudine semipedem sint supergressi.

CAPUT XXXV.

Judæa. In ea de Asphaltite lacu, de balsamo arbore, de gente Essenorum.

1 Judæa illustris est aquis, sed natura non eadem aquarum omnium. Jordanes amnis eximiæ suavitatis. Paneade fonte demissus, regiones præterfluit

amœniſſimas, mox in Aſphaltiten lacum merſus
ſtagno corrumpitur: qui Aſphaltites gignit bitumen, 2
animal non habet, nihil in eum mergi poteſt: tau-
ri etiam camelique impune ibi fluvitant. Eſt & 3
lacus Geneſara extentus paſſuum ſedecim millibus,
circumſeſſus urbibus plurimis, & celebribus, ipſe
par optimis. Sed lacus Tiberiadis omnibus antepo-
nitur, ſalubris ingenuo æſtu, & ad ſanitatem uſu
efficaci. Judææ caput fuit Hieroſolyma, ſed exciſa 4
eſt. Succeſſit Hiericus: & hæc deſivit, Artaxerxis
bello ſubacta. Callirrhoe Hieroſolymis proxima,
fons calore medico probatiſſimus, & ex ipſo aqua-
rum præconio ſic vocatus eſt. In hac terra balſa- 5
mum naſcitur, quæ ſilva intra terminos viginti ju-
gerum uſque ad victoriam noſtram fuit: ac cum
Judæa potiti ſumus, ita luci illi propagati ſunt, ut
jam nobis latiſſimi colles ſudent balſama. Similes
vitibus ſtirpes habet, malleolis digeruntur, raſtris
niteſcunt, aqua gaudent, amant amputari, tenacibus
foliis ſempiterno inumbrantur. Lignum caudicis at-
trectatum ferro ſine mora emoritur: ea propter 6
aut vitro, aut cultellis oſſeis, ſed in ſolo cortice
artifici plaga vulneratur, ex qua eximiæ ſuavitatis
gutta manat. Poſt lacrimam ſecundum in pretiis
locum poma obtinent, cortex tertium, ultimus ho-
nos ligno. Longo ab Hieroſolymis receſſu triſtis ſi- 7
nus panditur, quem de cælo tactum teſtatur humus
nigra, & in cinerem ſoluta. Duo ibi oppida, Sodo- 8
mum nominatum alterum, alterum Gomorrum,
apud quæ pomum quod gignitur, habeat licet ſpe-
cimen maturitatis, mandi tamen non poteſt: nam

fuliginem intrinſecus favillaciam ambitio tantum
extimæ cutis cohibet, quæ vel levi preſſa tactu fu-
9 mum exhalat, & fatiſcit in vagum pulverem. Inte-
riora Judææ, quæ occidentem contuentur, Eſſeni
tenent, qui præditi memorabili diſciplina receſſe-
runt a more gentium univerſarum, majeſtatis, ut
reor, providentia ad hunc morem deſtinati. Nulla
ibi femina. Venere ſe penitus abdicarunt. Pecuniam
10 neſciunt. Palmis victitant. Nemo ibi naſcitur, nec
tamen deficit hominum multitudo. Locus ipſe ad-
dictus pudicitiæ eſt: ad quem plurimi licet undi-
que gentium properent, nullus admittitur, niſi quem
caſtitatis fides, & innocentiæ meritum proſequa-
11 tur: nam qui reus eſt vel levis culpæ, quamvis ſum-
ma ope adipiſci ingreſſum velit, divinitus ſummo-
vetur. Ita per immenſum ſpatium ſeculorum, in-
credibile dictu, æterna gens eſt, ceſſantibus puer-
12 periis. Engadda oppidum infra Eſſenos fuit, ſed ex-
ciſum eſt. Verum inclytis nemoribus adhuc durat
decus, luciſque palmarum eminentiſſimis nihil vel
ævo vel bello derogatum. Judææ terminus Maſſa-
da caſtellum.

CAPUT XXXVI.

De Scythopoli oppido. De monte Caſio.

1 TRANSEO Damaſcum, Philadelphiam, Ra-
phianam, Scythopoli primos incolas, & auctorem
dabo. Liber pater cum humo nutricem tradidiſſet,
condidit hoc oppidum, ut ſepulturæ titulum etiam

urbis mœnibus ampliaret. Incolæ deerant: e comi- 2
tibus ſuis Scythas delegit, quos ut animi firmaret
ad promtam reſiſtendi volentiam, præmium loci
nomen dedit. In Seleucia alter Caſius mons eſt, An- 3
tiochiæ propinquus, cujus e vertice vigilia adhuc
quarta conſpicitur globus ſolis, & brevi corporis
circumactu radiis caliginem diſſipantibus, illinc nox,
hinc dies cernitur. Talis e Caſio ſpecula eſt, ut lu-
cem prius videas, quam auſpicetur dies.

CAPUT XXXVII.

De fluminibus Tigri & Euphrate. De lapidibus zmilanthi, ſagda, myrrhite, mithridace, tecolitho, hammochryſo, aetite, pyrite, chalaſia, echite, dionyſia, gloſſopetra, gemma ſolis, crine Veneris, ſelenite, meconite, myrmecite, chalcophthongo, ſiderite, phlogite, anthracia, enydro.

EUPHRATEM fundit Armenia major, ortum 1
ſupra Zizamam ſub radicibus montis, quem Capo-
ten accolæ nominant, Scythis proximum. Hic re-
ceptis in ſe aliquot amnibus convaleſcit, & ſtipa-
tus convenis aquis, luctatur cum Tauri montis ob-
jectu, quem apud Elegeam ſcindit, reſiſtat licet,
duodecim millibus paſſuum latitudine: longiſque
excurſibus dextera Comagenen, Arabiam læva re-
linquit: deinde prælabens plurimas gentes, Baby- 2
loniam, quondam Chaldæorum caput, dividit. Me-
ſopotamiam opimat inundationis annuæ exceſſibus,
ad inſtar Ægyptii amnis terras contegens, invecta

soli fœcunditate, isdem ferme temporibus, quibus Nilus exit, sole scilicet in parte cancri vicesima
3 constituto: tenuatur, cum jam leone decurso, ad extima virginis curricula facit transitum. Quod gnomonici similibus parallelis accidere contendunt, quos pares in terrarum positione æqualitas norma-
4 lis efficit lineæ. Unde apparet, ista duo flumina ad modulum ejusdem perpendiculi constituta, licet diversis manent plagis, easdem incrementi causas ha-
5 bere. De Tigri quoque dicere hoc loco par est. In Armeniæ regione caput tollit mire quam lucidum, conspicuo fonte, in loco edito, qui Elegos nominatur. Nec ab exordio statim totus est. Primo pigre fluit, nec cum suo nomine: at cum fines Medorum invectus est, Tigris statim dicitur: ita enim nomi-
6 nant Medi sagittam. Influit in Arethisam lacum omnia pondera sustinentem: cujus pisces nunquam se alveo Tigridis miscent, sicut nec amnici pisces in stagnum transeunt Arethisæ, per quem dissimilis colore, volucri meat cursu. Mox, Tauro resistente, in profundum specum mergitur, quem subterlabens in altero ejus latere apud Zomadam emicat, ulvas & purgamenta plurima secum trahens: deinde iden-
7 tidem absconditur, rursusque redditur. Adiabenos Arabesque præterfluit: Mesopotamiam amplectitur: amnem nobilissimum Choaspem accipit: Euphratem defert in sinum Persicum. Quæcunque Euphratem bibunt gentes, diverso nitent lapide. Zmilantis in ipso Euphratis alveo legitur, gemma ad imaginem marmoris Proconnensis, nisi quod in medio umbilico lapidis istius glaucum, ut oculi pupula, inter-

nitet. Sagda a Chaldæis uſque ad nos fluxit, haud 8
facilis repertu, niſi, ut perhibent, ipſa ſe capeſſen-
dam daret: namque ingenita ſpiritus efficacia ſuper-
meantes naves e profundo petit, & carinis ita te-
naciter adcorporatur, ut, niſi abraſa parte ligni ægre
ſeparetur. Ea ſagda apud Chaldæos propter effec- 9
tus, quos ex ea ſciunt, habetur in loco principe,
ceteris propter gratiam magis complacet jucundiſ-
ſime virens. Myrrhites Parthis familiaris eſt. Hunc 10
ſi viſu æſtimes, myrrhæ color eſt, & non habet,
quo afficiat aſpectum: ſi penitus explores, & at-
tritu incites ad calorem, ſpirat nardi ſuavitatem.
In Perſide lapidum tanta copia eſt, tantaque diver- 11
ſitas, ut longum pæne ſit ipſis vocabulis immorari.
Mithridax ſole percuſſa coloribus micat variis. Te- 12
colithos nucleo olivæ ſimilis, ſpernitur, cum vi-
detur, ſed remediis bonus, vincit aliorum pulchri-
tudinem: ſolutus quippe & hauſtus, pulſis calcu-
lis, renium dolores ac veſicæ levat. Hammochry- 13
ſos arenis auro intermixtis, nunc bractearum, nunc
pulveris habet quadrulas. Aetites & fulvus eſt, & 14
tereti poſitione alterum lapidem intrinſecus cohi-
bens: cujus crepitu ſonorus eſt, cum movetur,
quamlibet tinnitum illum non internum ſcrupu-
lum facere, ſed ſpiritum ſcientiſſimi dicant. Hunc 15
aetitem Zoroaſtres præfert omnibus, maximamque
illi tribuit poteſtatem. Invenitur autem in nidis aqui-
læ, aut in litoribus oceani: in Perſide tamen plu-
rimus. Subnexus ſpem uteri defendit a fluxibus abor-
tivis. Pyrites fulvus eſt, tenerique ſe vehementius 16
non permittit: ac ſi quando arctiori manu premi-

17 tur, digitos adurit. Chalazias grandinis & cando-
rem præfert & figuram, duritia robuſtiſſima &
18 invicta. Echites vipereas habet maculas. Dionyſias
fuſcus eſt, rubentibus notis ſparſus. Idem ſi aquæ
mixtus conteratur, vinum fragrat, &, quod in il-
19 lo odore mirificum eſt, ebrietati reſiſtit. Gloſſope-
tra deficientibus lunis cælo cadit, linguæ ſimilis hu-
manæ, non modicæ, ut magi ferunt, poteſtatis, qui
20 ex ea lunares motus excitari putant. Solis gemma
percandida eſt ad ſpeciem fulgidi ſideris, rutiloſque
ex ſe jacit radios. Veneris crinis nitet nigro, inter-
nis ductibus oſtentans ruforum crinium ſimilitudi-
21 nem. Selenites tranſlucet fulgore candido melleo-
que, continens lunæ imaginem, quam juxta cur-
ſum aſtri ipſius perhibent diebus ſingulis vel mi-
22 nui vel augeri. Meconites papavera exprimit. Myr-
mecites reptantis formicæ effigie notatur. Chal-
cophthongos reſonat, ut pulſata æra: pudice habi-
23 tus ſervat vocis claritatem. Siderites a contempla-
tione ferri nihil diſſonat, verum maleficus quoquo
inferatur, diſcordiam excitat. Phlogites oſtentat in-
24 tra ſe quaſi flammas æſtuantes. Anthracias coruſcat,
velut ſcintillantibus ſtellis. Enydros exſudat, ut
clauſam in eo putes fontaneam ſcaturiginem.

CAPUT XXXVIII.

Cilicia. In ea Cydnus amnis, antrum Corycium, mons Taurus.

CILICIAM, qua de agitur, si, ut nunc est, lo- 1
quamur, derogasse videbimur fidei vetustatis: si terminos sequimur, quos habuit olim, absonum est a contemplatione rerum præsentium. Ergo inter utramque culpam factu optimum est, amborum
temporum statum persequi. Cilicia antea usque Pe- 2
lusium Ægypti pertinebat, Lydis, Medis, Armeniis, Pamphilia, Cappadocia, sub imperio Cilicum constitutis: mox ab Assyriis subacta, in breviorem modum scripta est. Plurima jacet campo, sinu lato recipiens mare Issicum, a tergo montium Tauri
& Amani jugis clausa. A Cilice nomen trahit, quem 3
ætas pristina pæne ultra ævum memoriæ abscondit. Hunc Phœnice ortum, qui antiquior Jove, de primis terræ alumnis habetur. Matrem urbium habet Tarson, quam Danaæ proles nobilissima Perseus locavit. Hanc urbem intersecat Cydnus am-
nis. Hunc Cydnum alii præcipitari Tauro, alii 4
derivari ex alveo Choaspis, tradiderunt. Qui Choaspes ita dulcis est, ut Persici reges, quamdiu intra ripas Persidis fluat, solis sibi ex eo pocula vindicaverint, & cum eundum peregre esset, aquas
ejus secum vectitarent. Ex illo igitur parente Cyd- 5
nus miram trahit suavitatem. Quidquid candidum est, illinc homines Cydnum dicunt: unde am-

ni huic nomen datum. Tumet vere, cum liquuntur nives, reliqua parte anni tenuis & quietus.
6 Circa Corycum Ciliciæ crocum plurimum, optimumque: det licet Sicilia, det Cyrenæa, det & Lycia, hoc primum eſt: ſpirat fragrantius, colore plus aureo eſt, ſucci ope citius proficit ad me-
7 delam. Ibi Corycos oppidum eſt, & ſpecus, qui montem impoſitum mari a ſummo cavat vertice, patulus hiatu ampliſſimo: nam, dejectis lateribus in terræ profundum, nemoroſo orbe amplectitur mediam inanitatem, virens introrſus lu-
8 cis pendentibus. Deſcenſus in eum per duo millia & quingentos paſſus, non ſine largo die, hinc inde fontium aſſidua ſcaturigine. Ubi perventum ad ima primi ſinus, alter rurſus ſpecus panditur: quod antrum latis primum patet faucibus, poſtmodum in proceſſu per anguſtias obſcuratur. In eo ſacrum eſt Jovis fanum, in cujus receſſu intimo Typhonis
9 gigantis cubile poſitum, qui volunt, credunt. Heliopolis antiquum oppidum Ciliciæ fuit, patria Chryſippi Stoicæ ſapientiæ potentiſſimi: quod a Tigrane Armenio ſubactum, & diu ſolum, Pompejopolim, devictis Cilicibus, Cneus Magnus cognominavit.
10 Mons Taurus ab Indico primo mari ſurgit: deinde a ſcopulis Chelidoniis inter Ægyptium & Pamphylium pelagus objectus ſeptemtrioni dextero latere, lævo meridianæ plagæ, occidenti obverſus fronte profuſa. Prorſus palam eſt, terras eum continuare voluiſſe penetrato mari, niſi profundis re-
11 ſiſtentibus extendere radices ſuas vetaretur. Denique qui periclitantur naturas locorum, tentaſſe

tum omnes exitus promontoriis probant: nam quoquorsum mari alluitur, procedit in prominentias: sed modo intercluditur Phœnicio, modo Pontico sinu, interdum Caspio vel Hyrcano: quibus renitentibus subinde fractus, contra Mæoticum lacum flectitur, multisque difficultatibus fatigatus, Riphæis se jugis annectit. Pro gentium ac linguarum varie- 12
tate plurifariam nominatus, apud Indos Imaus, mox Paropanisus, Choatras apud Parthos, post Niphates, inde Taurus; atque ubi excelsissima consurgit sublimitate, Caucasus. Interea etiam a populis appellationem trahit: a dextro latere Caspius dicitur vel Hyrcanus, a lævo Amazonicus, Moschicus, Scythicus: ad hæc, vocabula habet alia multa. Ubi 13
dehiscit hiulcis jugis, facit portas, quarum primæ sunt Armeniæ, tum Caspiæ, post Ciliciæ. In Græciam verticem exserit, ubi Ceraunius prædicatur. A Ciliciæ finibus Africum limitem dispescit, quantus meridiem videt, sole æstuat: quidquid septemtrioni oppositum est, vento tunditur & pruina: quod silvestris est, efferatur plurimis bestiis & leonibus immanissimis.

CAPUT XXXIX.

Lycia. In ea mons Chimæra.

QUOD in Campania Vesuvius, in Sicilia Ætna, 1
hoc in Lycia mons Chimæra est. Hic mons nocturnis æstibus fumidum exhalat. Unde fabula triformis monstri in vulgum data est, quod Chimæram

animal putaverunt. Et quoniam natura ibidem ſubeſt ignea, Vulcano urbem proximam Lycii dicarunt, quam de vocabulo ſui nominis Hephæſtiam vocant.
2 Olympos quoque inter alia ibi oppidum fuit nobile, ſed intercidit: nunc caſtellum eſt, infra quod aquæ regiæ ob inſigne fluoris ſpectaculo ſunt viſentibus.

CAPUT XL.

Aſia, Phrygia, Lydia, Teuthrania. In his de urbe Epheſo, de monte Mimante, de illuſtribus viris, de Homeri & Heſiodi temporibus, de animali bonnaco, de ſepulcris Ajacis & Memnonis, de Memnoniis avibus, de chamæleonte, de ciconiis.

1 SEQUITUR Aſia: ſed non eam Aſiam loquor, quæ in tertio orbis divortio terminos amnes habet, ab Ægyptio mari Nilum, a Mæotio lacu Tanaim: verum eam, quæ a Telmeſſo Lyciæ incipit, unde etiam Carpathius auſpicatur ſinus. Eam igitur Aſiam ab oriente Lycia includit & Phrygia, ab occidente Ægæa litora: a meridie mare Ægyptium, Paphla-
2 gonia a ſeptemtrione. Epheſos in ea urbs clariſſima eſt: Epheſo decus templum Dianæ, Amazonum fabrica, adeo magnificum, ut Xerxes, cum omnia Aſiatica templa igni daret, huic uni pepercerit: ſed hæc Xerxi clementia ſacras ædes non diu a malo
3 vindicavit: namque Heroſtratus, ut nominis ſui memoriam fama ſceleris extenderet, incendium nobilis fabricæ manu ſua ſtruxit: ſicut ipſe faſſus eſt,

voto adipiſcendæ famæ latioris. Notatur ergo ea- 4
dem die conflagraviſſe templum Epheſi, qua Alexan-
der Magnus Pellæ natus eſt. Qui oritur, ut Nepos
edidit, M. Fabio Ambuſto, Tito Quintio Capito-
lino Coss. poſt Romam conditam, anno CCCLXXXV.
Id templum cum poſtmodum ad cultum auguſtio- 5
rem Epheſii reformarent, faber operi Dinocrates
præfuit: quem Dinocratem Alexandri juſſu Alexan-
driam in Ægypto præmetatum ſupra expoſuimus.
Nuſquam orbe toto tam aſſiduos terræ motus, &
tam crebras urbium demerſiones, quam in Aſia eſ-
ſe, cladibus Aſiaticis patuit, cum Tiberio principe
urbes duodecim ſimul una ruina occiderint. Inge- 6
nia Aſiatica inclyta per gentes fuere. Poetæ Ana-
creon inde, Mimnermus, & Antimachus, deinde
Hipponax, deinde Alcæus, inter quos etiam Sappho
mulier: at hiſtoriæ conditores, Xanthus, Hecatæus,
Herodotus: cum quibus Ephorus, & Theopompus.
Namque de ſeptem ſapientia præditis, Bias, Tha-
les, Pittacus: Cleanthes, Stoicæ eminentiſſimus:
Anaxagoras naturæ indagator: Heraclitus etiam ſub-
tilioris doctrinæ arcanis immoratus. Aſiam excipit 7
Phrygia, in qua Celæne, quæ antiquato priori no-
mine in Apamiam tranſit, oppidum a rege Seleu-
co poſtmodum conſtitutum. Iſtic Marſyas ortus,
iſtic & ſepultus: unde qui proximat fluvius, Mar-
ſyas dicitur: nam ſacrilegi certaminis factum, & 8
audaces in Deum tibias teſtatur non procul cum fon-
te vallis, quæ eventum geſtæ rei ſignat, & ab Apa-
mia decem millibus paſſuum ſeparata, Aulucrene
uſque adhuc dicitur. Ex arce hujuſce oppidi Mæan-

der amnis caput tollit, qui recurrentibus ripis fle-
xuoſus inter Cariam & Joniam præcipitat in ſi-
num, qui Miletum dividit & Prienam. Ipſa Phry-
gia Troadi ſuperjecta eſt, aquilonia parte Galatiæ
collimitanea: meridiana Lycaoniæ, Piſidiæ, Myg-
doniæque contermina: eidem ab oriente vicina Ly-
diæ: a ſeptemtrione Mœſiæ: Cariæ a parte, qua dies
10 medius eſt. Mons Lydiæ Tmolus croco florentiſſi-
mus: amnis Pactolus, quem aurato fluore incitum,
aliter & Chryſorrhoan vocant. In his locis animal
naſcitur, quod bonnacum dicunt, cui taurinum
caput ac deinceps corpus omne: tantum juba equi-
na: cornua autem ita multiplici flexu in ſe recur-
rentia, ut ſi quis in ea offenderit, non vulnere-
11 tur. Sed quidquid præſidii monſtro illi frons negat,
alvus ſufficit: nam cum in fugam vertit, proluvie
citi ventris fimum egerit per longitudinem trium ju-
gerum, cujus ardor quidquid attigerit, amburit: ita
12 egerie noxia ſummovet inſequentes. Miletos Joniæ
caput, Cadmi olim domus, ſed ejus, qui primus
13 invenit proſæ orationis diſciplinam. Non longe
Epheſum Colophon civitas, nobilis oraculo Cla-
rii Apollinis. Unde haud procul Mimas ſurgit,
cujus vertices de nubilis ſupervolantibus futuræ
14 tempeſtatis ſignificant qualitatem. Caput Mæoniæ
Sypilus excipit, Tantalis antea dictus, & in illam
15 vocabuli memoriam orbitatibus datus Niobæ. Smyr-
nam Meles circumfluit, inter flumina Aſiatica faci-
le præcipuus amnis. Smyrnæos vero campos flu-
vius Hermus ſecat, qui ortus a Dorylao Phrygiæ,
Phrygiam ſcindit a Caria. Hunc quoque Hermum

fluctibus aureis æſtuaſſe antiquitas credidit. Smyr- 16
na, unde præcipue nitet, Homero vati patria ex-
ſtitit, qui poſt Ilium captum anno ducenteſimo ſep-
tuageſimo ſecundo humanis rebus exceſſit, Agrippa
Sylvio, Tyberini filio, Albæ regnante, anno ante
Urbem conditam centeſimo ſexageſimo. Inter quem 17
& Heſiodum poetam, qui in auſpiciis Olympiadis
primæ obiit, centum triginta octo anni medii fue-
runt. In Rhœteo litore Athenienſes & Mitylenæi
ad tumulum ducis Theſſali Achillion oppidum con-
diderunt, quod propemodum interiit: deinde in- 18
terpoſitis quadraginta ferme ſtadiis, in altero cornu
ejuſdem litoris ob honorem Salaminis Ajacis alte-
rum oppidum, cui Æantio datum nomen eſt, Rho-
dii exſtruxerunt. At juxta Ilium Memnonis ſtat aliud 19
ſepulcrum, ad quod ſempiterno ex Æthiopia cater-
vatim aves advolant, quas Ilienſes Memnonias vo-
cant. Cremutius auctor eſt, has eaſdem anno quin-
to in Æthiopia catervatim coire, & undique ver-
ſum quod uſquam gentium ſit, ad regiam Mem-
nonis convenire. Mediterranea, quæ ſunt ſupra 20
Troadis partem, Teutrania tenet regio, quæ prima
Mœſorum fuit patria. Hæc Teutrania perfunditur
Caico flumine. Per omnem Aſiam chamæleon plu- 21
rimus, animal quadrupes, facie qua lacertæ, niſi
crura recta & longiora ventri jungerentur: prolixa
cauda, eademque in vertiginem torta: hamati un-
gues ſubtili aduncitate: inceſſus piger, & fere idem
qui teſtudinum motus: corpus aſperum ſquamoſa
cute, qualem in crocodilis deprehendimus: ſub-
ducti oculi, & receſſu concavo introrſum recepti,

22 quos nunquam nictatione obnubit. Visum denique
non circumlatis pupillis, sed obtutu rigidi orbis intentat. Hiatus ejus æternus, ac sine ullius usus ministerio: quippe cum neque cibum capiat, neque potu alatur, nec alimento alio, quam haustu aeris vivat.
23 Color varius, & in momenta mutabilis, ita ut cuicunque se rei conjunxerit, concolor ei fiat. Colores duo sunt, quos fingere non valet, rubrus & candidus: ceteros facile mentitur. Corpus pæne sine carne, vitalia sine liene: nec nisi in corculo pauxillum sanguinis deprehenditur. Latet hieme, producitur vere.
24 Impetibilis est coraci, a quo cum interfectus est, victorem suum perimit interemtus: nam si vel modicum ales ex eo ederit, illico moritur: sed corax quoque habet præsidium ad medelam, natura manum porrigente: nam cum afflictum se intelligit, sum-
25 ta fronde laurea recuperat sanitatem. Pythonos Come in Asia locus est campis patentibus, ubi primo adventus sui tempore ciconiæ advolant, & eam, quæ ultima advenerit, lancinant universæ. Aves istas ferunt linguas non habere, verum sonum, quo cre-
26 pitant, oris potius quam vocis esse. Eximia illis inest pietas: etenim quantum temporis impenderint fœtibus educandis, tantum & ipsæ a pullis suis invicem aluntur: ita enim impense nidos fovent, ut
27 incubitus assiduitate plumas exuant. Noceri eas, omnibus quidem locis nefas ducunt, sed in Thessalia vel maxime, ubi serpentum immanis copia est, quos dum escandi gratia insectantur, regionibus Thessalicis plurimum mali detrahunt.

CAPUT XLI.

Galatia.

Galatiam primis ſeculis priſcæ Gallorum gentes occupaverunt: Toliſtobogi, Veturi, & Ambitoti: quæ vocabula adhuc permanent: quamvis Galatia unde dicta ſit, ipſo ſonat nomine.

CAPUT XLII.

Bithynia. In ea Hannibalis exitus & ſepulcrum.

Bithynia in Ponti exordio ad partem ſolis 1
orientis adverſa Thraciæ, opulenta ac dives urbium, a fontibus Sangarii fluminis primos fines habet: ante Bebrycia dicta: deinde Mygdonia: mox
a Bithyno rege Bithynia. In ea Pruſiadem urbem al- 2
luit Hylas flumen, & perſpergit Hylas lacus, in quo reſediſſe credunt delicias Herculis, Hylam puerum, Nymphis rapinam: in cujus memoriam uſque adhuc ſolenni curſitatione lacum populus cir-
cumit, & Hylam voce clamant. In Bithyno quoque 3
agro Lybyſſa locus Nicomediæ proximus, ſepulcro Hannibalis famæ datus: qui poſt Carthaginienſe judicium transfuga ad regem Antiochum, deinde poſt Antiochi apud Thermopylas pugnatam malam pugnam, fractumque regem fortunæ vicibus, in hoſpitium Pruſiæ devolutus, ne traderetur Tito Quin-

tio ob hanc caufam in Bithyniam miffo, captivufque Romam veniret, veneni mali poculo animam expulit, & ab Romanis fe vinculis morte defendit.

CAPUT XLIII.

Acone portus. Acherufius fpecus.

1 IN ora Pontica poft Bofphori fauces, & Rhefum amnem, portumque Calpas, Sagaris fluvius ortus in Phrygia, dictufque a plerifque Sangarius, exordium facit Maryandini finus, in quo oppidum Heraclea appofitum Lyco flumini: & Acone portus, qui proventu malorum graminum ufque eo celebris eft, ut noxias herbas aconita illinc nominemus.
2 Proximus inde Acherufius fpecus, quem foraminis cæci profundo ad ufque inferna ajunt patere.

CAPUT XLIV.

Paphlagonia.

1 PAPHLAGONIAM limes a tergo Galaticus amplectitur. Ea Paphlagonia Carambi promontorio fpectat Tauricam, confurgit Cytoro monte porrecto in fpatium paffuum trium & fexaginta millium, infignis loco Heneto; a quo (ut Cornelius Nepos perhibet) Paphlagones in Italiam tranfvecti, mox Veneti funt nominati. Plurimas in ea re-

gione urbes Milesii condiderunt, Eupatoriam Mithridates: quo subacto a Pompejo, Pompejopolis est dicta.

CAPUT XLV.

Cappadocia. In ea de equis.

CAPPADOCIA gentium universarum, quæ Pon- 1
tum accolunt, præcipue introrsus recedit. Late-
re lævo utrasque Armenias, & Comagenem simul
transit: dextro plurimis Asiæ populis circumfusa.
Attollitur ad Tauri juga & solis ortus. Præterit
Lycaoniam, Pisidiam, Ciliciam. Vadit super trac- 2
tum Syriæ Antiochiæ, parte regionis alterius in
Scythiam pertendens, ab Armenia majore divisa Eu-
phrate amne: quæ Armenia, unde Parydri montes
sunt, auspicatur. Multæ in Cappadocia urbes in- 3
clytæ: verum, ut ab aliis referamus pedem, colo-
niam Archelaidem, quam deduxit Claudius Cæsar,
Halys præterfluit: Neocæsaream fluvius Lycus al-
luit: Melitam Semiramis condidit: Mazacam sub 4
Argæo sitam Cappadoces matrem habent urbium:
qui Argæus nivalibus jugis arduus, ne æstivo qui-
dem torrente pruinis caret, quemque indidem po-
puli habitari Deo credunt. Terra illa ante alias al- 5
trix equorum, & proventui equino accommoda-
tissima est: quorum hoc in loco ingenium perse-
quemur: nam equis inesse judicium documentis 6
plurimis patefactum est, cum jam aliquot inventi
sint, qui nonnisi primos dominos recognoscerent,

obliti mansuetudinis, si quando mutassent consue-
ta servitia. Inimicos partis suæ norunt adeo, ut in-
7 ter prœlia hostes morsu petant. Sed illud majus est,
quod rectoribus perditis, quos diligebant, arces-
sunt fame mortem. Verum hi mores in genere equo-
rum præstantissimo reperiuntur: nam qui infra no-
bilitatem sati sunt, nulla documenta sui præbue-
8 runt. Sed ne quid videamur dicendi licentia con-
tra fidem arrogasse, exemplum frequens dabimus.
Alexandri Magni equus Bucephalus dictus, sive de
aspectus torvitate, seu ab insigni, quod taurinum
caput armo inustum gerebat, seu quod de fronte
ejus quædam corniculorum protuberabant minæ,
cum ab equario suo alias etiam molliter sederetur,
accepto regio stratu neminem unquam alium præ-
9 ter dominum vehere dignatus est. Documenta ejus
in prœliis plura sunt, quibus Alexandrum e duris-
simis certaminibus sospitem ope sua extulit: quo
merito effectum, ut defuncto in India exsequias rex
duceret, & suprema ornaret sepulcro: urbem etiam
conderet, quam in nominis memoriam Bucepha-
10 lam nominavit. Equus C. Cæsaris nullum præter
Cæsarem dorso recepit: cujus primores pedes facie
vestigii humani tradunt fuisse, sicuti ante Veneris
11 genitricis ædem hac effigie locatus est. Regem Scy-
tharum, cum singulari certamine interemtum ad-
versarius victor spoliare vellet, ab equo ejus cal-
cibus morsuque est lancinatus. Agrigentina etiam
regio frequens est equorum sepulcris, quod munus
12 supremorum meritis datum creditur. Voluptatem
his inesse Circi spectacula prodiderunt: quidam

enim equorum cantibus tibiarum, quidam saltatio-
nibus, quidam colorum varietate, nonnulli etiam
accensis facibus ad cursus provocantur. Affectum
equinum lacrimæ probant. Denique interfecto 13
Nicomede rege, equus ejus vitam inedia expulit.
Cum prœlio Antiochus Galatas subegisset, Cinta-
reti nomine ducis, qui in acie ceciderat, equum
insiluit ovaturus, isque adeo sprevit lupatos, ut de
industria cernuatus, ruina pariter & se & equitem
affligeret. Ingenia equorum etiam Claudii Cæsaris 14
Circenses probaverunt, cum effuso rectore, quadri-
gæ currus æmulos non minus astu quam velocita-
te præverterent, & post decursa legitima spatia,
ad locum palmæ sponte consisterent, velutque vic-
toriæ præmium postularent. Excusso quoque auri- 15
ga, quem Rutumannam nominabant, relicto cer-
tamine ad Capitolium quadriga prosiluit, nec an-
te substitit, quamlibet obviis occursibus impedita,
quam Tarpejum Jovem terna dextratione lustraret.
In hujusce animalis genere ætas longior maribus: 16
nam legimus equum ad usque annos LXX vixisse.
Jam illud non venit in ambiguum, quod in annum
tertium & tricesimum generant, utpote qui etiam
post vicesimum mittatur ad sobolem reficiendam.
Notatum etiam advertimus, Opuntem nomine equum
ad gregariam Venerem durasse in annos XL. Equarum 17
libido exstinguitur jubis tonsis. In quarum partu
amoris nascitur veneficium, quod frontibus præ-
ferunt recens editi, furvo colore, cicatricis si-
mile, hippomanes nominatum: quod si præreptum
statim fuerit, nequaquam mater pullo ubera præ-

18 bet felitanda. Quo quis acrior fuerit, ſpeique majoris, eo profundius nares merſitat in bibendo. Mas ad bella nunquam producitur apud Scythas, eo quod feminæ exonerare veſicas etiam in fuga poſſint. Edunt equæ ex ventis conceptos: ſed hi nunquam ultra triennium ævum trahunt.

CAPUT XLVI.

Aſſyria. In ea de unguentorum origine, de arbore Medica.

1 ASSYRIORUM initium Adiabene facit: in cujus parte Arbelitis regio eſt: quem locum victoria Alexandri Magni non ſinit præteriri: nam ibi copias Darii fudit, ipſumque ſubegit, expugnatiſque ejus caſtris in reliquo apparatu regis reperit ſcrinium unguentis refertum, unde primum Romana luxu-
2 ria fecit ingreſſum ad odores peregrinos. Aliquantiſper nos tamen virtute veterum ab hac vitiorum illecebra defenſi ſumus, atque adeo in cenſuram Publii Craſſi, & Julii Cæſaris: qui edixerunt anno Urbis conditæ ſexcenteſimo ſexageſimo quinto, ne
3 quis unguenta inveheret peregrina. Poſtmodum vicerunt noſtra vitia, & ſenatui adeo placuit odorum delicia, ut ea etiam in pœnalibus tenebris uteretur: ſicut L. Plotium, fratrem L. Planci bis Conſulis, proſcriptum a Triumviris, in Salernitana
4 latebra unguenti odor prodidit. Hos terrarum ductus excipit Media, cujus arbor inclaruit etiam carminibus Mantuanis. Ingens ipſa, cui tale ferme,

quale unedonibus folium eſt : tantum eo differt, quod ſpinoſis faſtigiis hiſpida turgeſcat. Malum inimicum venenis, ſapore aſpero, & amaritudinis meræ : odoris autem fragrantia plus quam jucundum, longeque ſenſibile. Verum pomorum illi tanta uber- 5
tas ineſt, ut onere proventus ſemper gravetur : nam protinus atque poma ejus deciderunt maturitate, alia protuberant, eaque tantum eſt opimitati mora, fœtus ut decidant ante nati. Uſurpare ſibi ne- 6
mora iſta optaverunt & aliæ nationes per induſtriam tralati germinis, ſed beneficium ſoli Mediæ datum, natura reſiſtente terra alia non potuit mutuari.

CAPUT XLVII.

Portæ Caſpiæ.

CASPIÆ portæ panduntur itinere manu facto, 1
longo octo millibus paſſuum : nam latitudo vix eſt plauſtro permeabilis. In his anguſtiis etiam illud aſperum, quod præciſorum laterum ſaxa liquentibus inter ſe ſalis venis, exundant humorem affluentiſſimum, qui conſtrictus vi caloris, velut in æſtivam glaciem corporatur : ita labes invia acceſſum negat. Præterea octo & viginti millium paſſuum 2
tractus omnis, quoquo inde pergitur, nullis puteis vel fontibus, ſine præſidio ſitit : tum ſerpentes undique gentium convenæ, a verno ſtatim die illuc confluunt. Ita periculi ac difficultatis concordia, ad Caſpios, niſi hieme, acceſſus negatur.

CAPUT XLVIII.

Direum locus. Margiane regio.

1 A CASPIIS ad orientem verſus eſt locus, quod
Direum appellatur, cujus ubertati non eſt, quod
uſpiam comparari queat. Hunc circumſident Tapy-
2 ri, Naricli, Hyrcani. Proximat ei Margiane regio,
inclyta cæli ac ſoli commodis, adeo ut in toto illo
latifundo vitibus ſola gaudeat. In faciem theatra-
lem montibus clauditur, ambitu ſtadiorum mille
quingentorum, pæne inacceſſa ob incommodum
arenoſæ ſolitudinis, quæ per centum & viginti mil-
3 lia paſſuum undique verſum circumfuſa eſt. Regio-
nis hujus amœnitatem Alexander Magnus uſque
adeo miratus eſt, ut ibi primum Alexandriam con-
deret: quam mox a barbaris exciſam, Antiochus
Seleuci filius reformavit, & de nuncupatione do-
mus ſuæ dixit Seleuciam: cujus urbis circuitus dif-
funditur in ſtadia LXXV. In hanc Orodes Romanos
4 captos Craſſiana clade deduxit. Et aliud in Caſpiis
Alexander oppidum excitavit, idque Heraclea dic-
tum, dum manebat, ſed hoc quoque ab iiſdem
everſum gentibus: deinde ab Antiocho reſtitutum,
ut ille maluit, Achais poſtmodum nominatum eſt.

CAPUT XLIX.

Gentes circum Oxum amnem. Terminus itinerum Liberi patris & Herculis. Item regiones cum gentibus: ſimul de camelorum natura.

OXUS amnis oritur de lacu Oxo, cujus oras 1
hinc inde Bateni & Oxiſtacæ accolunt: ſed præci-
puam partem Bactri tenent. Bactris præterea eſt pro-
prius amnis Bactros: unde & oppidum, quod in-
colunt, Bactrum. Gentis hujus quæ pone ſunt, Pa- 2
ropamiſi jugis ambiuntur: quæ averſa, Indi fon-
tibus terminantur: reliqua includit Oxus flumen.
Ultra hos Panda oppidum Sogdianorum, in quo- 3
rum finibus Alexander Magnus tertiam Alexandriam
condidit, ad conteſtandos itineris ſui terminos. Hic 4
enim locus eſt, in quo primum a Libero patre, poſt
ab Hercule, deinde a Semiramide, poſtremo etiam
a Cyro aræ ſunt conſtitutæ, quod proximum glo-
riæ omnes duxerint, illo uſque promoviſſe itineris
ſui metas. Univerſi ejus ductus dumtaxat ab illa ter- 5
rarum parte Jaxartes fluvius ſecat fines, quem ta-
men Jaxartem ſoli vocant Bactri: nam Scythæ Si-
lin nominant. Hunc eundem eſſe Tanain exercitus
Alexandri Magni crediderunt: verum Demodamas,
dux Seleuci, & Antiochi, ſatis idoneus vero auc-
tor, tranſvectus amnem iſtum, titulos omnium ſu-
pergreſſus eſt, aliumque eſſe, quam Tanain, depre-
hendit. Ob cujus gloriæ inſigne dedit nomini ſuo, 6
ut altaria ibi ſtatueret Apollini Didymæo. Hoc eſt

collimitium, in quo limes Persicus Scythis jungitur: quos Scythas Persæ lingua sua Sacas dicunt, & invicem Scythæ Persas Chorsacos nominant, montemque Caucasum Croucassim, id est, nivibus
7 candidantem. Densissima hic populorum frequentia, cum Parthis legem placiti ab exordio moris incorrupta custodit disciplina. E quibus celeberrimi
8 sunt Massagetæ, Essedones, Satarchæ & Apalæi. Post quos, immanissimis barbaris interjacentibus, de ritu aliarum nationum pæne inconstanter definitum
9 advertimus. Bactri camelos fortissimos mittunt, licet & Arabia plurimos gignat. Verum hoc differunt, quod Arabici bina tubera in dorso habent, singula Bactriani. Hi nunquam pedes atterunt: sunt enim illis reciprocis quibusdam pulmunculis vestigia carnulenta. Unde & contraria est labes ambulantibus, nullo favente præsidio ad nisum insistendi. Habentur in duplex ministerium. Sunt alii oneri ferundo accommodati, alii perniciores: sed nec illi ultra justum pondera recipiunt, nec isti amplius
10 qua solita spatia volunt egredi. Geniture cupidine efferantur adeo, ut sæviant, cum Venerem requirunt. Oderunt equinum genus. Sitim etiam in quatriduum tolerant: verum cum occasio bibendi data est, tantum implentur, quantum & satiet deside-
11 ria præterita, & in futurum diu prosit. Lutulentas aquas captant, puras refugiunt. Denique nisi cœnosior liquor fuerit, ipsi assidua proculcatione limum excitant, ut turbidetur. Durant in annos centum, nisi forte tralati in peregrina, insolentia
12 mutati aeris morbos trahant. Ad bella feminæ præ-

parantur, inventumque est, ut desiderium ejus coitionis quadam castratione exsecaretur: putant enim fieri validiores, si a coitibus arceantur.

CAPUT L.

Seres, item vellus Sericum.

QUA ab Scythico Oceano, & mari Caspio in 1
Oceanum Eoum cursus inflectitur, ab exordio hujusce plagæ profundæ nives: mox longa deserta: post Anthropophagi, gens asperrima, dein spatia sævissimis bestiis efferata, ferme dimidiam itineris
partem impenetrabilem reddiderunt. Quarum dif- 2
ficultatum terminum facit jugum mari imminens, quod Tabim barbari dicunt: post quæ adhuc longinquæ solitudines. Sic in tractu ejus oræ, quæ spectat æstivum orientem, ultra inhumanos situs primos hominum Seres cognoscimus, qui aquarum aspergine inundatis frondibus, vellera arborum adminiculo depectunt liquoris, & lanuginis teneram
subtilitatem humore domant ad obsequium. Hoc il- 3
lud est Sericum, in usum publicum damno severitatis admissum, & quo ostendere potius corpora, quam vestire, primo feminis, nunc etiam viris luxuriæ persuasit libido. Seres ipsi quidem mites, & inter se quietissimi, & qui reliquorum mortalium coetus refugiant, adeo ut ceterarum gentium commer-
cia abnuant. Primum eorum fluvium mercatores 4
ipsi transeunt, in cujus ripis nullo inter partes lin-

guæ commercio, sed depositarum rerum pretia oculis æstimantibus sua tradunt, nostra non emunt.

CAPUT LI.

Gens Attacorum.

SEQUITUR Attacenus sinus, & gens hominum Attacorum, quibus temperies prærogativa miram aeris clementiam subministrat. Arcent sane afflatum noxium colles, qui salubri apricitate undique secus objecti prohibent auras pestilentes: atque ideo, ut Amometus affirmat, par illis & Hyperboreis genus vitæ est. Inter hos & Indiam gnarissimi Ciconas locaverunt.

CAPUT LII.

India. In ea de ritu hominum & qualitate, de cæli clementia, de natura soli, de serpentibus Indicis, de leucrocotta bestia, de eale bestia, de tauris Indicis, de mantichora bestia, de bubalis Indicis, de monocerote bestia, de anguillis Gangeticis, de Gangeticis vermibus; de balæna Indica, de phyletere, de ave psittaco, de Indicis lucis, de ficu Indica, de Indicis arundinibus, de arboribus in insula Indiæ, de piperis arbore, de ebeno, de calamo odorato, de adamante, de magnete lapide, de lychnite lapide, de beryllo lapide, de chrysoberyllo lapide, de chrysopraso lapide, de hyacinthizonte lapide.

AB Emodis montibus auspicatur India, a meridiano mari porrecta ad Eo, favonii spiritu saluberrima. In anno bis æstatem habet, bis legit frugem,

vice hiemis etesias patitur auras. Hanc Posidonius 2
adversam Galliæ statuit. Sane nec quidquam ex ea
dubium: nam Alexandri Magni armis comperta, &
aliorum postmodum regum diligentia peragrata penitus
cognitioni nostræ addicta est. Megasthenes 3
sane apud Indicos reges aliquantisper moratus, res
Indicas scripsit, ut fidem, quam oculis subjecerat,
memoriæ daret. Dionysius quoque, qui & ipse a
Philadelpho rege spectator missus est, gratia periclitandæ
veritatis, paria prodidit. Tradunt ergo in 4
India fuisse quinque millia oppidorum præcipua capacitate,
populorum novem millia. Diu etiam credita
est tertia pars esse terrarum. Nec mirum sit,
vel de hominum, vel de urbium copia, cum soli
Indi nunquam a natali solo recesserint. Indiam Li- 5
ber pater primus ingressus est, utpote qui Indis
subactis omnium primus triumphavit. Ab hoc ad
Alexandrum Magnum numerantur annorum sex millia
quadringenti quinquaginta unus, additis & amplius
tribus mensibus, habita per reges computatione,
qui centum quinquaginta tres tenuisse medium
ævum deprehenduntur. Maximi in ea amnes Gan- 6
ges, & Indus: quorum Gangen quidam fontibus
incertis nasci, & Nili modo exsultare contendunt:
alii volunt a Scythicis montibus exoriri. Hypanis 7
etiam ibi nobilissimus fluvius, qui Alexandri Magni
iter terminavit, sicuti aræ in ripa ejus positæ probant.
Minima Gangis latitudo per octo millia passuum,
maxima per viginti patet: altitudo, ubi vadosissimus
est, mensuram centum pedum devorat. Gan- 8
garides extimus est Indiæ populus: cujus rex equi-

tes mille, elephantos septingentos, peditum sexa-
9 ginta millia in apparatu belli habet. Indorum qui-
dam agros exercent, militiam plurimi, merces alii:
optimi ditissimique rem publicam curant, reddunt
judicia, assident regibus Quietum ibi eminentissi-
mæ sapientiæ genus est, vita repletos incensis rogis
10 mortem accersere. Qui vero ferociori sectæ se de-
diderunt, & silvestrem agunt vitam, elephantos
venantur, quibus perdomitis ad mansuetudinem
11 aut arant, aut vehuntur. In Gange insula est po-
pulosissima, amplissimam continens gentem, quo-
rum rex peditum quinquaginta millia, equitum
quatuor millia in armis habet. Omnes sane, qui-
cunque præditi sunt regia potestate, non sine maxi-
mo elephantorum, equitum, peditumque nume-
12 ro militarem agitant disciplinam. Prasia gens va-
lidissima Palibotram urbem incolunt, unde qui-
dem gentem ipsam Palibotros nominarunt. Quo-
rum rex peditum sexaginta millia, equitum trigin-
ta millia, elephantorum octo millia omnibus diebus
13 ad stipendium vocat. Ultra Palibotram mons Ma-
leus, in quo umbræ hieme in septemtriones, æsta-
te in austros cadunt, vicissitudine hac durante men-
sibus senis. Septemtriones in eo tractu in anno se-
mel, nec ultra quindecim dies parent, sicut auctor
est Beton, qui perhibet, hoc in plurimis Indiæ lo-
14 cis evenire. Indo flumini proximantes, versa ad
meridiem plaga, ultra alios torrentur calore: de-
15 nique vim sideris prodit hominum color. Montana
Pygmæi tenent. At ii, quibus est vicinus Oceanus,
sine regibus degunt. Pandæa gens a feminis regitur,

cui reginam primam aſſignant Herculis filiam. Et
Nyſa urbs regioni iſti datur. Mons etiam Jovi ſa- 16
cer, Meros nomine, in cujus ſpecu nutritum Li-
berum patrem veteres Indi affirmant: ex cujus vo-
cabuli argumento laſcivienti famæ creditur, Libe-
rum patrem femina natum. Extra Indi oſtium ſunt 17
inſulæ duæ, Chryſe & Argyre, adeo fœcundæ
copia metallorum, ut plerique eas aurea ſola pro-
diderint habere, & argentea. Indis omnibus pro- 18
miſſa cæſaries, non ſine fuco cæruli aut crocei co-
loris. Cultus præcipuus in gemmis. Nullus funerum 19
apparatus. Præterea, ut Jubæ & Archelai regum
libris editum eſt, in quantum mores populorum diſ-
ſonant, habitus quoque diſcrepantiſſimus eſt: alii
lineis, alii laneis peplis veſtiuntur, pars nudi, pars
obſcœna tantum amiculati, plurimi etiam flexibili-
bus libris circumdati. Quidam populi adeo proceri, 20
ut elephantos, velut equos, facillima inſultatione
tranſiliant. Plurimis placet, neque animal occide- 21
re, neque veſci carnibus. Plerique tantum piſcibus
aluntur, & e mari vivunt. Sunt, qui proximos, 22
parenteſque priuſquam annis aut ægritudine in ma-
ciem eant, velut hoſtias cædunt: deinde perem-
torum viſcera epulas habent: quod ibi non ſceleris
ſed pietatis loco numerant. Sunt etiam, qui, cum 23
incubuere morbi, procul a ceteris in ſecreta abeunt,
nihil anxie mortem exſpectantes. Aſtacanorum gens 24
laureis viret ſilvis, lucis buxeis: vitium vero, &
arborum univerſarum, quibus gratia dulcis eſt,
proventibus copioſiſſima. Philoſophos habent Indi, 25
Gymnoſophiſtas vocant, qui ab exortu ad uſque

ſolis occaſum contentis oculis orbem candentiſſimi ſideris contuentur, in globo igneo rimantes ſecreta quædam, areniſque ferventibus perpetem diem
26 alternis pedibus inſiſtunt. Ad montem, qui Nulo dicitur, habitant quibus adverſæ plantæ ſunt, &
27 octoni digiti in plantis ſingulis. Megaſthenes per diverſos Indiæ montes eſſe ſcribit nationes capitibus caninis, armatas unguibus, amictas veſtitu tergorum, ad ſermonem humanum nulla voce, ſed la-
28 tratibus tantum ſonantes, aſperis rictibus. Apud Cteſiam legitur, quaſdam feminas ibi ſemel parere, natoſque canos illico fieri. Eſſe rurſum gentem alteram, quæ in juventa cana ſit, nigreſcat in ſenec-
29 tute, ultra ævi noſtri terminos perennantem. Legimus monocolos quoque ibi naſci ſingulis cruribus, & ſingulari pernicitate: qui ubi defendi ſe velint a calore, reſupinati plantarum ſuarum magnitudi-
30 ne inumbrentur. Gangis fontem qui accolunt, nullius ad eſcam opis indigi, odore vivunt pomorum ſilveſtrium, longiuſque pergentes eadem illa in præſidio gerunt, ut olfactu alantur. Quod ſi tetriorem ſpiritum forte traxerint, exanimari eos certum eſt.
31 Perhibent eſſe & gentem feminarum, quæ quinquennes concipiant, ſed ultra octavum annum vi-
32 vendi ſpatium non protrahunt. Sunt qui cervicibus carent, & in humeris habent oculos. Sunt qui ſilveſtres, hirti corpora, caninis dentibus, ſtridore terrifico. Apud eos vero, quibus ad vivendi rationem exactior cura eſt, multæ uxores in ejuſdem viri coeunt matrimonium, &, cum maritus homine deceſſerit, apud graviſſimos judices ſuam quæ-

que de meritis agunt causam, & quæ officiosior ceteris sententia judicum vicerit, hoc palmæ refert præmium, ut arbitratu suo accendat rogum conjugis, & supremis ejus semetipsam det inferias: ceteræ in nota vivunt. Enormitas in serpentibus tanta est, ut cervos & animantium alia ad parem molem tota hauriant: quin etiam Oceanum Indicum, quantus est, penetrent, & insulas magno spatio a continenti separatas pabulandi petant gratia. Idque ipsum palam est, non qualibet magnitudine evenire, ut per tantam sali latitudinem ad loca permeent destinata. Sunt illic multæ ac mirabiles bestiæ, quarum partem persequemur. Leucrocotta velocitate præcedit feras universas: ipsa asini feri magnitudine, cervi clunibus, pectore ac cruribus leoninis, capite melium, bisulca ungula, ore ad usque aures dehiscente, dentium locis osse perpetuo. Hæc quod ad formam: voce autem loquentium hominum sonos æmulatur. Est & eale, ut equus cetera, cauda vero elephanti, nigro colore, maxillis aprugnis, præferens cornua ultra cubitalem modum longa, ad obsequium cujus velit motus accommodata: neque enim rigent, sed moventur, ut usus exigit prœliandi: quorum alterum quo cum pugnat, protendit, alterum replicat, ut si nisu aliquo fuerit alterius acumen obtusum, acies succedat alterius. Hippopotamis comparatur: & ipsa sane aquis fluminum gaudet. Indicis tauris color fulvus est, volucris pernicitas, pilus in contrarium versus, hiatus omne quod caput. Hi quoque circumferunt cornua flexibilitate qua volunt, tergi

33 | 34 | 35 | 36 (margin section numbers beside: "Enormitas" line 33; "Sunt illic" line 34; "Est & eale" line 35; "Hippopotamis" line 36)

duritia omne telum reſpuunt, & tam immiti fero-
37 citate, ut capti animas projiciant furore. Manticho-
ra quoque nomine inter hæc naſcitur, triplici den-
tium verſu coeunte ordinibus alternis, facie homi-
nis, glaucis oculis, ſanguineo colore, corpore leo-
nino, cauda veluti ſcorpionis aculeo ſpiculata, vo-
ce tam ſibila, ut imitetur modulos fiſtularum, tu-
38 barumque concinentum. Humanas carnes avidiſſi-
me affectat. Pedibus ſic viget, ſaltu ſic poteſt, ut
morari eam nec extentiſſima ſpatia poſſint, nec ob-
ſtacula altiſſima. Sunt præterea boves unicornes
39 & tricornes, ſolidis ungulis nec bifiſſis. Sed atro-
ciſſimum eſt monoceros, monſtrum mugitu horri-
do, equino corpore, elephanti pedibus, cauda ſuil-
40 la, capite cervino. Cornu e media fronte ejus pro-
tenditur, ſplendore mirifico, ad longitudinem pe-
dum quatuor, ita acutum, ut quidquid impetat,
facile ictu ejus perforetur. Vivus non venit in ho-
minum poteſtatem: & interimi quidem poteſt, ca-
41 pi non poteſt. Aquæ etiam gignunt miracula non
minora. Anguillas ad tricenos pedes longas educat
Ganges: quem Statius Seboſus inter miracula præ-
cipua ait vermibus abundare, cæruleis nomine &
colore. Hi bina habent brachia longitudinis cubi-
torum non minus ſenûm, adeo robuſtis viribus, ut
elephantos ad potum ventitantes, mordicus com-
prehenſos ipſorum manu rapiant in profundum.
42 Indica maria balænas habent ultra ſpatia quatuor
jugerum: ſed & quos phyſeteras nuncupant, qui
enormes ſupra molem ingentium columnarum, ul-
tra antennas ſe navium extollunt, hauſtoſque fiſtu-

lis fluctus ita eructant, ut nimboſa alluvie plerumque deprimant alveos navigantium. Sola India mittit avem pſittacum, colore viridem, torque puniceo, cujus roſtri tanta duritia eſt, ut cum e ſublimi præcipitat in ſaxum, niſu ſe oris excipiat, & quodam quaſi fundamento utatur extraordinariæ firmitatis: caput vero tam valens, ut ſi quando ad diſcendum plagis ſiet admonendus, nam ſtudet, ut quod homines alloquatur, ferrea clavicula ſit verberandus. Dum in pullo eſt, atque adeo intra alterum ætatis ſuæ annum, quæ monſtrata ſunt, & citius diſcit, & retinet tenacius: major pullo, eſt & obliviosſus, & indocilis. Inter nobiles & ignobiles diſcretionem digitorum facit numerus: qui præſtant, quinos in pedes habent digitos, ceteri ternos: lingua lata, multoque latior, quam ceteris avibus: unde perficitur, ut articulata verba penitus eloquatur. Quod ingenium ita Romæ deliciæ miratæ ſunt, ut barbaris pſittacos mercem fecerint. Indorum nemora in tam proceram ſublimantur excelſitatem, ut transjaci ne ſagittis quidem poſſint. Pomaria ficus habent, quarum codices in orbem ſpatio ſexaginta paſſuum extuberantur: ramorum umbræ ambitu bina ſtadia conſumunt: foliorum latitudo formæ Amazonicæ peltæ comparatur: pomum eximiæ ſuavitatis. Quæ paluſtria ſunt, arundinem creant ita craſſam, ut fiſſis internodiis, lembi vice vectitet navigantes. E radicibus ejus exprimitur humor dulcis ad melleam ſuavitatem. Tylos Indiæ inſula eſt: ea fert palmas, oleam creat, vinis abundat. Terras omnes hoc miraculo ſola vincit, quod quæ-

(margin section numbers: 43 beside "que deprimant … mit-"; 44 beside "firmitatis"; 45 beside "oblivioſus"; 46 beside "ut barbaris"; 47 beside "ut transjaci"; 48 beside "ſuavitatis"; 49 beside "dulcis ad")

cunque in ea arbos naſcitur, nunquam caret folio.
50 Mons Caucaſus inde incipit, qui maximam orbis. partem perpetuis jugis penetrat. Idem fronte, qua ſoli obverſus eſt, arbores piperis oſtentat, quas ad juniperi ſimilitudinem diverſos fructus edere aſſeve-
51 rant. Eorum, qui primus erumpit, velut corylorum fimbria, dicitur piper longum: qui deinde caducus torretur fervido ſole, vocamen trahit de colore: at qui ex ipſa arbore ſtringitur, ut eſt, album
52 piper dicitur. Sed, ut piper ſola India, ita & ebenum ſola mittit, nec tamen univerſa, verum exigua ſui parte ſilvas hoc genus edit. Arbor eſt plerumque tenuis, & frequentior vimine, raro in craſſitudinem caudicis extuberatur, hiulco cortice & admodum reticulato, dehiſcentibus venis, adeo ut per ipſos ſinus pars intima vix tenui libro contega-
53 tur: lignum omne atque mediale eadem ferme & facie & nitore, qui eſt in lapide gagate. Indi reges ex eo ſceptra ſumunt, & quaſcunque Deorum imagines nonniſi ex ebeno habent. Idem ferunt, materia iſta liquorem noxium non contineri, & quidquid maleficum fuerit, tactu ejus averti: hac gra-
54 tia pocula ex ebeno habent. Ita nihil mirum, ſi peregre ſit in pretio, quod etiam ipſi, quibus provenit, honorantur. Ebenum Romæ Mithridatico
55 triumpho primum Magnus Pompejus exhibuit. Mittit India & calamos odoratos, potentes adverſum inteſtinæ ægritudinis incommoda: dat & multa
56 alia fragrantia mirifici ſpiritus ſuavitate. Indicorum lapidum in adamantibus dignitas prima, utpote qui lymphationes abigunt, venenis reſiſtunt, &

pavitantium vanos metus pellunt. Hæc primum de 57
iis prædicari oportuit, quæ reſpicere ad utilitatem
videbamus: nunc reddemus quæ adamantum ſint
ſpecies, & quis colos cuique eximius. In quodam
cryſtalli genere invenitur, materiæ in qua naſci-
tur adæque ſimilis, ſplendore liquidiſſimo, in mu-
cronem ſexangulum utrinque ſecus leniter turbina-
tus, nec unquam ultra magnitudinem nuclei avel-
lanæ repertus. Huic proximus in excellentiſſimo 58
auro deprehenditur, pallidior, ac magis ad argenti
colorem renitens. Tertius in venis cupri apparet,
propior ad æream faciem. Quartus in metallis
ferrariis legitur, pondere ceteros antecedens, non
tamen & poteſtate: nam & hi, & qui in cupro 59
deprehenduntur, frangi queunt, plerique etiam
adamante altero perforantur: at illi, quos primos
ſignificavimus, nec ferro vincuntur, nec igne do-
mantur. Verum tamen ſi diu in ſanguine hircino
macerentur, non aliter, quam ſi calido vel recen-
ti, malleis aliquot ante fractis, & incudibus diſſi-
patis, aliquando cedunt, atque in particulas diſſi-
liunt: quæ fragmenta ſcalptoribus in uſum inſig-
niendæ cujuſcunque modi gemmæ expetuntur. In- 60
ter adamantem & magnetem eſt quædam naturæ
occulta diſſenſio, adeo ut juxta poſitus non ſinat
magnetem capere ferrum: vel, ſi admotus magnes
ferrum traxerit, quaſi prædam quandam adamas
magneti rapiat, atque auferat. Lychnitem perinde 61
fert India, cujus lucis vigorem ardor excitat lucer-
narum, qua ex cauſa lychniten Græci vocaverunt.
Duplex ei facies: aut enim purpura emicat clari-

62 tate, aut meracius suffunditur cocci rubore, per
omne intimum sui, siquidem pura sit, inoffensam
admittens perspicuitatem: at si excanduit radiis so-
lis incita, vel ad calorem digitorum attritu excitata
est, aut palearum cassa, aut chartarum fila ad se ra-
63 pit, contumaciter scalpturis resistens: ac si quando
insignita est, dum signa exprimit, quasi quodam
animali morsu partem ceræ retentat. Beryllos in
sexangulas formas Indi atterunt, ut hebetem colo-
ris lenitatem angulorum repercussu excitent ad vi-
64 gorem. Beryllorum genus dividitur in speciem mul-
tifariam: eximii intervirente glauci & cæruli tem-
peramento, quandam præferunt puri maris gratiam.
65 Infra hos sunt chrysoberylli, qui languidius mi-
66 cantes nube aurea circumfunduntur. Chrysoprasos
quoque ex auro & porraceo mixtam lucem trahen-
tes, æque beryllorum generi adjudicaverunt. Hya-
cinthizontas, scilicet qui hyacinthos prope refe-
rant, & ipsos probent: eos vero, qui crystallo si-
miles, capillamentis intercurrentibus obscurantur,
hoc enim vitio illorum nomen est, scientissimi la-
67 pidum plebi dederunt. Indici reges hoc genus gem-
mas in longissimos cylindros amant fingere, eos-
que perforatos elephantorum setis suspendunt, ac
monilia habent, aut ex utroque capite inserunt au-
reos umbilicos, ut marcentem faciem ad nitelam
incendant pinguiorem, quo per industriam metal-
lo hinc inde addito fulgentiorem trahant lucem.

CAPUT LIII.

Taprobane. In ea de qualitate hominum, de sideribus, de natura maris & nationis disciplina, de testudinum magnitudine, de margaritis.

TAPROBANEM insulam, antequam temeritas humana exquisito penitus mari fidem panderet, diu orbem alterum putaverunt, & quidem eum, quem habitare Antichthones crederentur. Verum Alexandri Magni virtus ignorantiam publici erroris exstinxit, dum in hæc usque secreta propagavit nominis sui gloriam. 1 Missus igitur Onesicritos, præfectus classi Macedonicæ, terram istam, quanta esset, quid gigneret, quomodo haberetur, exquisitam notitiæ nostræ dedit. Patet in longitudinem stadiûm septem millia, in latitudinem quinque millia. Scinditur amni interfluo. 2 Nam pars ejus bestiis & elephantis repleta est, majoribus multo, quam fert India: partem homines tenent. Margaritis scatet, & gemmis. Sita est inter ortum & occasum. 3 Ab Eoo mari incipit, prætenta Indiæ. A Prasia Indorum gente, dierum viginti primo in eam fuit cursus, sed hoc cum papyraceis & Nili navibus illo pergeretur: mox navibus nostris septem dierum iter factum est. 4 Mare vadosum interjacet altitudinis non amplius senûm passuum, certis autem canalibus depressum adeo, ut nullæ unquam ancoræ ad profundi illius ima potuerint perveni- 5

6 re. Nulla in navigando ſiderum obſervatio: nam
neque ſeptemtriones illic conſpiciuntur, nec Ver-
giliæ apparent. Lunam ab octava in ſextam deci-
7 mam tantum ſupra terram vident. Lucet ibi Ca-
nopos, ſidus clarum & ampliſſimum. Solem orien-
tem dextera habent, occidentem ſiniſtra. Obſer-
vatione itaque navigandi nulla ſuppetente, ut ad
deſtinatum pergentes locum capiant, vehunt alites,
quarum meatus terram petentium, magiſtros ha-
bent regendi curſus. Quaternis non amplius men-
8 ſibus in anno navigatur. Ad uſque Claudii princi-
patum de Taprobane hæc tantum noveramus: tunc
enim fortuna patefecit ſcientiæ viam latiorem. Nam
libertus Annii Plocami, qui tunc Rubri maris vec-
tigal adminiſtrabat, Arabiam petens, aquilonibus
præter Carmaniam raptus, quinto decimo demum
die appulſus eſt ad hoc litus, portumque invectus,
9 qui Hippuros nominatur. Sex deinde menſibus ſer-
monem perdoctus, ductuſque ad colloquia regis,
quæ compererat, reportavit. Stupuiſſe ſcilicet re-
gem, pecuniam, quæ capta cum ipſo erat, quod
tametſi ſignata diſparibus foret vultibus, parem ta-
10 men haberet modum ponderis: cujus æqualitatis
contemplatione, cum Romanam amicitiam flagran-
tius concupiviſſet, Rachia principe legatos nos
aduſque tranſmiſit, a quibus cognita ſunt univerſa.
11 Ergo inde homines corporum magnitudine alios
omnes antecedunt: crines fuco imbuunt, cæruleis
12 oculis ac truci viſu, terrifico ſono vocis. Quibus
immatura mors eſt, in annos centum ævum tra-
hunt: aliis omnibus annoſa ætas, & extenta pæne

ultra humanam fragilitatem. Nullus aut ante diem, aut per diem somnus: noctis partem quieti destinant: lucis ortum vigiliæ antevertunt. Ædificia mo- 13
dica ab humo tollunt. Annona pari semper tenore. Vites nesciunt: pomis abundant. Colunt Herculem. In regis electione non nobilitas prævalet, 14
sed suffragium universorum. Populus eligit spectatum moribus, & inveteratæ clementiæ, annis etiam gravem. Sed hoc in eo quæritur, cui liberi nulli 15
sint: nam qui pater sit, etiamsi vita spectetur, non admittitur ad regendum: & si forte dum regnat, sobolem velit edere, exuit potestatem. Idque eo maxime custoditur, ne fiat hereditarium regnum. Deinde etiamsi rex maximam præferat æquitatem, 16
nolunt ei totum licere: quadraginta ergo rectores accipit, ne in causis capitum solus judicet: & sic quoque, si displicuerit judicatum, ad populum provocatur: a quo datis judicibus septuaginta fertur sententia, cui necessario acquiescitur. Cultu rex dis- 17
similis a ceteris vestitur syrmate, ut est habitus, quo Liberum patrem amiciri videmus. Quod si etiam ipse in peccato aliquo arguitur, morte multatur: non tamen ut cujusquam attrectetur ma- 18
nu, sed consensu publico rerum omnium interdicitur ei facultas: etiam colloquii potestas punito negatur. Culturæ student universi. Interdum ve- 19
natibus indulgent, nec plebejas agunt prædas, quippe cum tigres aut elephanti tantum requirantur. Maria quoque sagacissime expiscantur: marinas te- 20
studines capere gaudent, quarum tanta est magnitudo, ut superficies earum domum faciat, & nume-

21 roſam familiam non arte receptet. Major pars hu-
jus inſulæ calore ambuſta eſt, & in vaſtas deſinit
ſolitudines. Latus ejus mare alluit perviridi colore
fruticoſum, ita ut jubæ arborum plerumque guber-
naculis atterantur. Cernunt latus Sericum de mon-
22 tium ſuorum jugis. Mirantur aurum, & ad gratiam
poculorum omnium gemmarum adhibent appara-
23 tum. Secant marmora teſtudinea varietate. Marga-
ritas legunt plurimas, maximaſque: conchæ ſunt,
in quibus reperiuntur, quæ certo anni tempore,
luxuriante conceptu, ſitiunt rorem velut maritum,
cujus deſiderio hiant: & cum maxime lunares li-
quuntur aſpergines, oſcitatione quadam hauriunt
humorem cupitum: ſic concipiunt, gravidæque
fiunt, & de ſaginæ qualitate reddunt habitus unio-
24 num: nam ſi purum fuit, quod acceperant, candi-
cant orbiculi lapillorum: ſi turbidum, aut pallore
langueſcunt, aut ruſo innubilantur. Ita magis de
25 cælo, quam de mari partus habent. Denique quo-
ties excipiunt matutini aeris ſemen, fit clarior mar-
garita: quoties veſpere, fit obſcurior: quantoque
magis hauſerit, tanto magis proficit lapidum mag-
nitudo. Si repente micaverit coruſcatio, intempe-
ſtivo metu comprimuntur, clauſæque ſubita for-
midine vitia contrahunt abortiva: aut enim per-
26 parvuli fiunt ſcrupuli, aut inanes. Conchis ipſis
ineſt ſenſus: partus ſuos maculari timent: cumque
flagrantioribus radiis excanduit dies, ne fucentur
lapides ſolis calore, ſubſidunt in profundum, &
ſe gurgitibus ab æſtu vindicant. Huic tamen pro-
videntiæ ætas opitulatur: nam candor ſenecta diſ-

perit, & grandeſcentibus conchis flaveſcunt margaritæ. Lapis iſte in aqua mollis eſt, duratur eviſceratus. Nunquam duo ſimul reperiuntur: unde 27
unionibus nomen datum. Ultra ſemunciales inventos negant. Piſcantium inſidias timent conchæ: inde eſt, ut aut inter ſcopulos, aut inter marinos canes plurimum deliteſcant. Gregatim natant: certa examini dux eſt: illa ſi capta ſit, etiam quæ evaſerint, in plagas revertuntur. Dat & India margari- 28
tas, dat & litus Britannicum: ſicut divus Julius thoracem, quem Veneri genitrici in templum ejus dicavit, ex Britannicis margaritis factum, ſubjecta inſcriptione teſtatus eſt. Lolliam Paullinam Caji prin- 29
cipis conjugem vulgatum eſt habuiſſe tunicam ex margaritis, ſeſtertio tunc quadringenties æſtimatam: cujus parandæ avaritiæ pater ipſius M. Lollius, ſpoliatis orientis regionibus, offendi ſperavit Cajum Cæſarem Auguſti filium, interdictaque amicitia principis, veneno interiit. Illud quoque expreſſit vetus 30
diligentia, quod Sullanis primum temporibus Romam illati ſunt uniones.

CAPUT LIV.

Itinerarium Indicum. Sinus Perſicus & Arabicus. Azanium mare.

AB inſulenſi, ut conſequens eſt, ad continen- 1
tem. Igitur a Taprobane in Indiam revertamur: convenit enim res Indicas videre. Sed ſi in his aut urbibus aut nationibus reſiſtamus, egrediemur re-

2 promissæ concinnitatis modum. Proximam Indo flu-
mini urbem habuere Caphusam, quam Cyrus diruit.
Arachosiam Erumando amni impositam Semiramis
condidit. Cadrusia oppidum ab Alexandro Magno
ad Caucasum constitutum est, ubi & Alexandria,
quæ patet amplitudinis stadia XXX. Multa & alia
3 sunt, sed hæc cum eminentissimis. Post Indos mon-
tanas regiones Ichthyophagi tenent, quos subactos
Alexander Magnus in reliquum abstinere jussit a
4 piscibus: nam antea sic alebantur. Ultra hos deserta
Carmaniæ, Persis deinde, atque ita navigatio: in
qua Solis insula rubens semper, & omni animantium
generi inaccessa, quippe quæ nullum non animal
5 illatum necet. Ex India revertentes ab Azario Car-
maniæ flumine septemtriones primum vident. Achæ-
6 menides in hoc tractu sedes fecerunt. Inter Car-
maniæ promontorium & Arabiam quinquaginta
millia passuum interjacent: deinde tres insulæ, cir-
ca quas hydri marini egrediuntur vicenûm cubitûm
7 longitudinem. Dicendum hoc loco, quatenus ab
Alexandria Ægypti pergatur in usque Indiam. Nilo
vehente Copton usque etesiis flatibus cursus est:
deinde terrestre iter Hydreum tenus: post, trans-
actis aliquot mansionibus, Berenicen pervenitur,
8 ubi Rubri maris portus est. Inde Ocelis Arabiæ
portus tangitur. Proximum Indiæ emporium exci-
pit Zmirim infame piraticis latronibus. Deinde
per diversos portus Cottonare pervenitur, ad quam
9 monoxylis lintribus piper convehunt. Petentes In-
diam, ante exortum canis, aut protinus post exor-
tum, navigia media æstate solvunt. Revertentes

navigant Decembri mense. Secundus ex India ven- 10
tus est vulturnus: at cum ventum est in Rubrum
mare, aut africus, aut auster vehunt. Spatium In-
diæ decies septies quinquaginta millia passuum pro-
ditur: ac Carmaniæ centum millia, cujus pars non
caret vitibus. Præterea habet genus hominum, qui 11
non alia, quam testudinis carne vivunt, hirsuti
omnia facie tenus, quæ sola lævis est. Idem coriis
piscium vestiuntur, Chelonophagi cognominati. Ir- 12
rumpit hæc litora Rubrum mare, idque in duos si-
nus scinditur: quorum qui ab oriente est, Persicus
appellatur, quandoquidem oram illam habitavere
Persidis populi, vicies & sexagies centena millia
passuum circuitu patens: ex adverso, unde Arabia
est, alter Arabicus vocatur: Oceanum vero, qui
ibi influit, Azanium nominarunt. Carmaniæ Persis 13
annectitur, quæ incipit ab insula Aphrodisiæ va-
riarum opum dives, translata quondam in Parthi-
cum nomen, litore, quo occasui objacet, porrecta
millia passuum quingenta quinquaginta. Oppidum 14
ejus nobilissimum Susa, in quo templum Susiæ Dia-
næ. A Susis Babytace oppidum CXXXV millibus
passuum distat, in quo mortales universi odio auri
coemunt hoc genus metallum, & abjiciunt in ter-
rarum profunda, ne polluti usu ejus avaritia cor-
rumpant æquitatem. Hic inconstantissimus est men- 15
surarum modus: nec immerito, cum aliæ circa Per-
sidem nationes schœnis, aliæ parasangis, aliæ in-
comperta disciplina terras metiantur, & incertam
fidem faciat mensuræ ratio discors.

CAPUT LV.

Parthia, & circa Parthiam regiones. Item Cyri sepulcrum.

1 PARTHIA quanta omnis est, a meridie Ru-
brum mare, a septemtrione Hyrcanum salum clau-
dit. In ea regna duodeviginti dividuntur in duas
partes. Undecim, quæ vocantur superiora, inci-
piunt ab Armenico limite, & Caspio litore, por-
recta ad terras Scytharum, quibuscum concorditer
2 degunt: reliqua septem inferiora, sic enim voci-
tant, habent ab ortu Arios Arianosque, Carma-
niam a medio die, Medos ab occidui solis plaga, a
septemtrione Hyrcanos. Ipsa autem Media ab oc-
casu transversa, utraque Parthiæ regna amplecti-
tur: a septemtrione Armenia circumdatur: ab ortu
Caspios videt: a meridie Persidem. Deinde tractus
hic procedit usque ad castellum, quod Magi obti-
nent, Passargada nomine. Hic Cyri sepulcrum.

CAPUT LVI.

Babylon. Deinde recursus ad Oceanum Atlanticum, in quo insulæ Gorgades, Hesperides, Fortunatæ.

1 CHALDÆÆ genti caput Babylon, Semiramidi
condita, tam nobilis, ut propter eam & Assyrii
& Mesopotamia in Babyloniæ nomen transierint.
2 Urbs est sexaginta millia passuum circuitu patens,

muris circumdata, quorum altitudo ducentos pe-
des detinet, latitudo quinquaginta, in ſingulos pe-
des ternis digitis ultra quam menſura noſtra eſt al-
tioribus. Amni interluitur Euphrate. Beli ibi Jovis 3
templum, quem inventorem cæleſtis diſciplinæ tra-
didit etiam ipſa religio, quæ Deum credit. In æmu-
lationem urbis hujus Cteſiphontem Parthi condi-
derunt. Tempus eſt ad Oceani oras reverti, repreſ- 4
ſo in Æthiopiam ſtilo: namque ut Atlanticos æſtus
occipere ab occidente & Hiſpania dudum dixera-
mus; ab his quoque partibus mundi, unde pri-
mum Atlantici nomen induat, exprimi par eſt. Pe- 5
lagus Azanium uſque ad Æthiopum litora promo-
vetur. Æthiopicum ad Moſſylicum promontorium:
inde rurſus Oceanus Atlanticus. Juba igitur uni- 6
verſæ partis, quam plurimi propter ſolis ardorem
perviam negaverunt, facta etiam, vel gentium, vel
inſularum commemoratione ad firmandæ fidei ar-
gumentum, omne illud mare ab India ad uſque Ga-
des voluit intelligi navigabile, cori tamen flati-
bus: cujus ſpiritus præter Arabiam, Ægyptum,
Mauritaniam, evehere quamvis queant claſſem,
dummodo ab eo promontorio Indiæ curſus diriga-
tur, quod alii Lepten acran, alii Drepanum nomi-
naverunt. Addidit & loca ſtationum, & ſpatiorum 7
modum: nam ab Indica prominentia ad Malichu in-
ſulam affirmat eſſe quindecies centena millia paſ-
ſuum: a Malichu ad Sceneon ducenta XXV millia:
inde ad inſulam Adanu centum quinquaginta millia:
ſic confici ad apertum mare decies octies centena
& ſeptuaginta quinque millia. Idem opinioni pluri- 8

morum, qui ob ſolis flagrantiam, maximam par-
tis iſtius regionem ferunt humano generi inacceſ-
ſam, ſic reluctatur, ut mercantium ibi tranſitus
infeſtari ex Arabicis inſulis dicat: quas Aſcitæ
habent Arabes, quibus e re nata datum nomen:
nam bubulis utribus contabulatas crates ſuperpo-
nunt, vectatique hoc ratis genere prætereuntes infe-
9 ſtant ſagittis venenatis. Habitari etiam addit Æthio-
piæ aduſta Troglodytarum & Ichthyophagorum
nationibus: quorum Troglodytæ tanta pernicitate
pollent, ut feras, quas agitant, curſu pedum aſſe-
quantur: Ichthyophagi non ſecus, quam marinæ
10 belluæ, nando in mari valent. Ita exquiſito Atlan-
tico mari uſque in occaſum, etiam Gorgadum me-
minit inſularum. Gorgades inſulæ, ut accepimus,
obverſæ ſunt promontorio, quod vocamus Heſpe-
11 ruceras. Has incoluerunt Gorgones monſtra, &
ſane uſque adhuc monſtroſa gens habitat. Diſtant a
12 continenti bidui navigatione. Prodidit denique Xe-
nophon Lampſacenus, Hannonem Pœnorum regem
in eas permeaviſſe, repertaſque ibi feminas aliti per-
nicitate, atque ex omnibus, quæ apparuerant, duas
captas tam hirto atque aſpero corpore, ut ad argu-
mentum ſpectandæ rei duarum cutes miraculi gra-
tia inter donaria Junonis ſuſpenderit: quæ durave-
13 re uſque in tempora excidii Carthaginienſis. Ultra
Gorgadas Heſperidum inſulæ, ſicut Seboſus affir-
mat, dierum XL navigatione in intimos maris ſi-
14 nus receſſerunt. Fortunatas inſulas certe contra læ-
vam Mauritaniæ tradunt jacere, quas Juba ſub me-
15 ridie quidem ſitas, ſed proximas occaſui dicit. De

harum nominibus exſpectari magna non miror, ſed infra famam vocabuli res eſt. In prima earum, cui nomen Norion, ædificia nec ſunt, nec fuerunt. Juga montium ſtagnis madeſcunt. Ferulæ ibi ſurgunt ad arboris magnitudinem: earum, quæ nigræ ſunt, expreſſæ liquorem reddunt amariſſimum: quæ candidæ, aquas revomunt etiam potui accommodatas. Alteram inſulam Junoniam appellari ferunt, in qua pauxilla ædes ignobiliter ad culmen faſtigata. Tertia huic proximat eodem nomine, nuda omnia. Quarta Capraria appellatur, enormibus lacertis plus quam referta. Sequitur Nivaria 16
nebuloſo aere, & coacto, ac propterea ſemper nivalis. Deinde Canaria repleta canibus forma emi- 17
nentiſſimis: inde etiam duo exhibiti Jubæ regi. In 18
ea ædificiorum durant veſtigia. Avium magna copia, nemora pomifera, palmeta caryotas feritantia, multa nux pinea, larga mellatio, amnes ſiluris piſcibus abundantes. Perhibent etiam exſpui in eam 19
undoſo mari belluas: deinde cum monſtra illa putredine tabefacta ſunt, omnia illic infici tetro odore; ideoque non penitus ad nuncupationem ſui congruere inſularum qualitatem.

INDEX

RERUM PRÆCIPUARUM.

Prior numerus caput denotat, posterior paragraphum.

A.

INDEX RERUM PRÆCIPUARUM.

74

B.

C.

I.

N.

V.

X.

Z.